



# **Sermonum decades duae : de potissimis uerae religionis capitibus, quoru[m] catalogu[m] uersa pagella exhibebit**

<https://hdl.handle.net/1874/423319>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat


**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**


**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

 E. qu.  
79



14  
hh









E. qu.  
79

Dei Gratia et Privilegio Sanctae Romanae Ecclesiae Cantuariensis Archiepiscopi et Universitatis Cantuarie





lee

84079

# SERMONVM

## Decades duæ.

De potissimis ueræ religionis capitibus, quorū catalogū uersa pagella exhibebit, authore Henrycho Bullingero.

ACCESSIT operi Prefatio de certa ratione qua possit iratus peccatis nostris Deus placari. Accesserunt item uetustissimorum Conciliorum & antiquissimorum orthodoxorum patrum symbola.

### TOMVS PRIMVS.

I E S V S.

HIC est filius meus dilectus: in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI APVD FROSCHOVERVM,  
ANNO M. D. XLIX.



Ex Donatione nunt. à Burchel.

CATALOGVS CAPITVM

*tractatorum in hoc libro.*

De uerbo Dei, eius origine, progressu, præstantia & uirtute.

De sensu & expositione legitima uerbi Dei.

De fide uera quid sit, unde oriatur, & quæ sit uirtus fidei.

Expositio breuis sed dilucida Symboli apostolorū, uel 12. articulorum Christianæ fidei.

De dilectione Dei & proximi.

De lege naturæ humana & diuina.

Expositio breuis, sed perspicua septem præceptorum Decalogi.

De iureiurando.

De magistratu & eius officijs.

De continentia & ieiunio.

# CLARISSIMIS VIRIS D. RO

DOLPHO GVALTHERO, PETRO SYMLER  
ro, Ioanni Stumppffio, Ioanni Floro, Ioanni Seylero, Adriano Ho  
spiniano, Nicolao Sarctorio & Ioanni Hugoni Decanis seu archie  
presbyteris, omnibusq; Christi & ecclesiarum ministris, Classium  
Tigurini lacus, Liberæ prouinciæ, Steinæ, Vituduri, Heligouç,  
Vuertikonæ & Reginospurgi, in agro Tigurino, ue  
nerandis suis dilectissimisq; symmytis &  
fratribus, S. D.



**I** VLLVM aliud tempus uberem dicendi suppe  
ditauit materiam, præsens hoc nostrum exhibet uberrimam. Nam quid fiat hodie & quid orbi Christiano im  
mineat, manifestius est quam multis recitare oporteat. Irascitur peccatis nostris iustus dominus ac punit etiam  
sed longe grauiora parat, quæ effundat in capita impo  
nitentium. Nostrum autem officium est uigilare pro gre  
ge uonni, & adueniente gladio omnes nostræ fidei commissas oues admonere in  
tempore, ne sanguis pereuntium requiratur de manibus nostris. Videbor ergo mi  
hi operæ pretium facturus si colloquar uobiscum uenerandi symmytæ & fratres  
chariss. de officio nostro, periculoso hoc seculo rite faciendo, ac de certa ratione  
qua exasperatam peccatis nostris Dei iram pie placemus. Scio quibuscum loquar,  
nempe cum peritissimis rerum diuinarum, breuitati ergo studebo.

Dubium non est quin propter peccata hominum irascatur iustissimus dominus,  
unde consequens est unicam esse placandæ iræ diuinæ rationem, peccata abluere.  
Ea uero non abluuntur nisi agnoscantur primum, deinde deponantur per fidem  
& penitentiam. Proinde si uolumus pro nostro officio sublatam à grege domini  
iram & pœnas graues, peccata populi proferre & accusare, sed & fidem docere  
& penitentiam urgere oportebit. Dominus enim per Ezechielem, Et tu fili homi  
nis an non iudicabis? inquit, an non iudicabis ciuitatem sanguinum? Indica ei cun  
ctas abominationes suas, dicesq; O ciuitas effundens sanguinem in medio sui, ut  
tempus eius appetat, & quæ idola fecit contra se ut pollueretur. In sanguine tuo  
quem effudisti deliquisti: & in idolis tuis quæ fecisti polluta es: & adduxisti dies  
tuos: ideo tradam te gentibus. En principes uiri tui quisq; pro uirili in hoc est ut  
sanguis effundatur. Patrem & matrem uilipenderunt in te. Peregrino qui est in  
medio tui fecerunt calumniam. Pupillum & uiduam afflixerunt in te. Sancta mea  
despexisti & sabbata mea prophanaasti. Viri dolosi fuerunt in te ut effunderent  
sanguinem. Et in montibus comederunt in te, atq; scelus meditauerunt in te designa  
erunt. Verenda patris in te reterit, pollutamq; mensibus in te humiliarunt, & quisq;

Proitahens  
da & accus  
sanda sunt  
peccata ho  
minum.

QVOMODO POSSIT IRATVS PECCA

eum uxore proximū sui abominanda designauit, quisq; ntrum suam polluit abominando scelere, quisq; sororem suam filiam patris sui in te humiliavit. Munera acciperunt in te ad effundendum sanguinem, & fornus siue excessum acceperisti, & emolumentum tuum promouisti cum iniuria proximi tui, atq; mei es oblitus dicit dominus Deus. Et ecce ego complōsi manus meas super auaritia tua, quam exercuisti, & super sanguines tuos qui fuerunt in medio tui. Num autem praualebis cum ego contra te insurrexero? Ego dissipabo te in gentes & dispergam te in nationes & finem faciam inmundiciae tuae quae est in te. Haec uerboim recensui haecenus ex Ezechiele, fratres, & hoc quidem libentius quod ista generalem quandam nobis formulam exhibent non modo accusandi scelera, sed iudicandi etiam de sceleribus quae Deus maxime oderit, & quae acerrime impeti uelit.

Cauendum enim nobis etiam atq; etiam ne duces caeci culicem excolamus de glutiamus autem camelum, id est minutis erroribus & uitijs inhaeramus accusandi exagitandisq; transseamus autem scelera & flagitia enormia intacta. Ostendit ergo hic Ezechielis locus, indicant & alij loci scripturae sanctae, quae nam sint maxime detestanda flagitia, illa nimirum quae recta tendunt in subuersionem gloriae Dei, in oppressionem iustitiae & sanctimoniae, deniq; in dissipationem charitatis. Scio horrenda illa flagitia non regnare (gratia domino) aut inueniri in singulis ecclesijs. Aliae alijs laborant morbis. Neq; utile est horrenda illa proponere populo ubi non inueniuntur. Prudentis autem pastoris est diligenter dispicere quid cuiq; congruat ecclesiae, quid sit honestum utile ac necessarium. Id urgeat. Quae uero non sunt damnata diuino in scripturis iudicio & contra modo recensita capita non pugnant, non sunt persequenda à nobis. Peccant enim grauiter qui pro peccatis damnant quae Deus ipse non damnauit. Vt his, inquit, Deo dilectus Isaias, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum. Proinde nihil hic agendum nobis ex animi nostri arbitrio, sed iudicandum & agendum potius ex praescripto diuino.

Isaie 5.

Modus accusandi scelerum.

Cauendum praeterea ne more quorundam extenuemus scelera, sed ligonem, quod dicitur, ligonem, ficum ficum appellemus, & loquamur diserte, sed sobrie & uere recunde tamen. Absit quoq; fel amaritudo, & affectus carnis prauus. Absit petulantia linguae, absit diuacitas, obscenitas, scurrilitasq; ne uideamur & decorum praeterire & maledicendi libidine laborare, non feruere zelo Dei, ueritatis & iustitiae. Intelligant & qui auditores nos affectu paterno obiurgare, ac seruandi studio, non perdendi homines peccatores persequi, adeoq; scelus magis quam personam scelerati persequi. Dicendi enim libertas in ecclesia ministrorum uerbi Dei, spiritus est ingenuitas, non affectati & luore aegrotantis libido. Nec omnia ministris licent, nec conducunt omnia. Proinde nulli bono potest probari quorundam procerum audacia scurrilisq; petulantia, qui non putant se suo functos officio, nisi plena conuictorum plaustra citra omnem modum & iudicium effuderint exonerariq; in miseris auditores. Huiusmodi rabulas non iuuant exempla prophetarum.

TIS NOSTRIS DEVS PLACARI.

rum, quæ præteritis circumstantiis, non bene aptant. Sit autem increpatio aut ob-  
iurgatio ministrorum ueritatis prudens potius quam audax, grauis & expensa, nõ  
leuis & effusa, ardeat non ira sed spiritus uehementia: sit uerecunda modesta ius-  
taq; seueritate sancte temperata, quæ ipsa rei perspicuitate euidentia & dignitate ma-  
gis urgeat reum atq; constringat quam malorum uerborum copia pungat: hoc est  
quæ scelerum uiuaci demonstratione & rerum malarum indignitate uel enormi-  
tate reos magis uulneret quam scomnatis & impuris diæterijs exasperet. Et qui-  
dem ualde commonentur homines cum clare intelligunt res quas designant ten-  
dere contra Deum & in excidium proprii corporis inq; æternum animæ interitū.

Frustra autem nulloq; cum fructu accusauerimus scelera nisi simul & fidem  
uerferimus ac penitentiam. Non placatur iratus dominus cerimonijs quibusdam  
& rebus uulgaribus, protrijs, ex traditione humana acceptis. Frustra me colunt,  
aut dominus, docentes doctrinas præcepta hominum. Imò indignissime fert domi-  
nus si pergamus cum illo redire in gratiam per cultum quemdam Dei præposterū.  
Clamat enim apud Ieremiam, Emendate uias uestras & studia uestra, tum effi-  
ciam ut habitetis in loco isto. Sed ecce uos confiditis in rebus nihili. Num furan-  
do, occidendo, adulteria committendo, per fide iurando, sequendoq; deos alienos,  
audebitis nihilominus uenire in conspectum meum in domo ista quæ appellatur  
meo nomine, ac dicere, Liberati sumus etiam si cuncta hæc abominanda fecimus?  
Num spelunca latronum facta est domus mea? Proinde repudiata doctrina falsa,  
discamus ex uerbo Dei quæ Deo placeat conuersio, quæ uera sit penitentia & fi-  
des. Ergo post acrem peccatorum increpationem per ministros uerbi Dei factam,  
flagitat uerbum ueritatis à pijs auditoribus ut agnoscant ex animo obiecta pecca-  
ta, quæ designantur contra legem domini, confiteanturq; Deo omnipotenti & omni-  
potenti (cui omnium patent corda) tribuantq; Deo qui uerax sanctus & iustus est  
omnem gloriam, ipsis autem mendacium scelera et ignominiam. Nam sanctus Io-  
annes apostolus & euangelista, Si dixerimus, inquit, peccatum non habemus, nos  
ipso fallimus, & Deum facimus mendacem, nec ulla est in nobis ueritas. Apud  
Ieremiam quoq; legimus, Cur bonam facis uiam tuam cum sit mala? Dicit inno-  
cens sum: at ego te iudico. An non inuenitur sanguis pauperum sub alis tuis? Et in  
euangelio dicit dominus, Si cæci esseis, non haberetis peccatum: nunc uero cum  
dicitis uidemus, iccirco peccatum uestrum manet. Ideoq; necessaria est arte me-  
nia peccatorum agnitio & confessio. Præit hæc humiliationem coram Deo.

Quisquis enim peccata sua agnoscit ac Deo confitetur ex animo, non potest  
non humiliari coram Deo. Gemit dolet & suspiria imo ducit ex pectore. Pudet  
illum toties & tam indignis modis offendisse patrem benignissimum: ideoq; abijcit  
se in pulueres ad pedes domini. Ita uero peccatrix illa in urbe dominum in con-  
uiuio sedentem accedens, & Petrus post abnegatum dominum iam ex atrio pon-  
tificis egrediens, prostrati coram domino, profusissimas profundunt lachrymas.  
Clamat David, Sagittæ tuæ in me defixæ sunt & depressa est in me manus tua.

Agnoscen-  
da sunt ac  
confitenda  
peccata.

Danielis 9.  
cap.

Humiliatio  
ne & dolor  
re opus.



QVOMODO POSSIT IRATVS PECCA

Nihil integrum est in carne mea propter indignationem tuam: non est pax osibus meis propter peccatum meum. Nam iniquitates transcendunt caput meum, & gratiores sunt pondere quam sim ferendo. Ego iniquitatem meam fateor & ob peccatum meum sollicitor, sed & anima mea territa est uehementer. Defatigatus sum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectum meum lachrymis meis liquefacio. Expressit his uerbis grauem dolorem ex peccatorum agnitione conceptum enatumq; ac in ijs uerum nobis ueræ humiliacionis exemplum reliquit.

Credamus peccata nostra condonata esse propter Christum.

Neq; uero fuerit satis agnoscere & confiteri peccata humiliariq; coram domino & dolere, nisi præterea credamus peccata omnia nobis condonata esse propter Christum. Nam indoluit grauius Iudas propter proditum Christum: confessus est peccatum ingenue, dicens, Peccaui, tradens sanguinem innoxium: imò precium quoq; sanguinis, acceptum à latronibus, restituit in templo, sed quia fide uera in dominum Iesum caruit nihil dolor & confessio profuit. Fides ergo docenda & urgenda erit imprimis, fides inquam qua credant penitentes remissa sibi esse peccata gratis propter Christum. Id quod apertis Dei promissionibus & exemplis illustribus comprobare imò & demonstrare oportet. Nam fides ex auditu est, teste apostolo, auditus autem per uerbum Dei. Atq; hoc agendum uel demonstrandum est tanto diligentius, quanto grauius tentantur hac in re fidelium animi. Ex lege & prophetis (licet in ijs sint copiosissima) nulla proferam testimonia, sed ex euangelicis duntaxat & apostolicis literis, quæ unice docent fidelibus gratis condonari peccata propter Christum. Clamat præcursor domini baptista, digito in ipsum dominum Iesum extento, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

Ioan. 1. Nam Ioannes apostolus dixit, Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Ipse uero dominus Iesus testificans de his dicit, Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto: ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat uitam æternam. Paulus quoq; apostolus testificatur & ait, Certus sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quod Iesus Christus uenit in mundum ut saluos faciat peccatores. Nam & Petrus dixit, Christo omnes prophætæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum. Exempla uero remissionis gratuita & receptionis in gratiam Christi fidelium sue penitentium, innumera exhibet nobis scriptura præsertim euangelica. Huc enim pertinet exempla Matthæi, Zachæi, Peccatrici, Petri, Pauli, lawonis in cruce morientis, & multorum aliorum. Hæc urgeat fidelis Christi minister in ecclesia constanter, ne quis mærore absorptus & conscientia scelerum territus contabescat, desperet & conficiatur. Credat quisq; sibi placatum esse patrem cælestem propter mortem iustitiam & redemptionem per Christum. Sola enim hac fide conceditur pax & tranquillitas perturbatis conscientijs.

Ioan. 1.

2. Ioan. 1. 2.

Ioan. 3.

1. Tim. 1.

Acto. 10.

Cæterum fides quæ credit nobis propter Christum patrem cælestem esse placatum

catum

TIS NOSTRIS DEVS PLACARI.

eam nec porro animaduersurum in nos propter delicta admissa, fides que animos  
 nostros serenat & tranquillas reddit conscientias, non omnem excoquit sollicitudo. Fides exci-  
 tam, neq; ullam inducit segnem inertiam, quin potius ad preces & ad omnia pie-  
 tatis officia excitat. Credidit Abraham Deo, uerum ideo orare non desijt, imo  
 quo certius se accepturum Dei promissiones credidit, hoc ardentius orauit. Minus  
 me dubitauit Dauid se accepturum à domino quod hic ei promiserat, nihilo minus  
 sine intermissione precatus est. Proinde admonendus erit nobis populus sedulo, ut  
 nunquam desinat preces supplices effundere coram domino, quo ille miserus no-  
 stri propter Christum, auertat à nobis iram suam, fidem quoq; ueram donet &  
 augeat, spiritu suo nos semper dirigat, deniq; ab omnibus liberet cum anime tum  
 corporis nostri malis, pacem nobis & incolumitatem concedat: principibus & ma-  
 gistratu nostro donet sapientiam, prudentiam, fortitudinem, iustitiam & felicita-  
 tem. Cauendum erit tamen in precibus ne populus alium inuocet quam solum  
 Deum patrem per dilectum & unicum filium dominum nostrum Iesum Christum,  
 ne sine fide & charitate inuocet. Qui enim dubitat in fide, non putet se quicquam  
 accepturum. Et qui munus suum ad altare offert, prius reconcilietur cum fratre  
 suo, quam oblationem faciat. Retineat autem omnes in orandi studio quod in euan-  
 gelio dixit dominus, Petite & dabitur uobis, querite & inuenietis, pulsate & aper-  
 rietur uobis. Quisquis enim petit accipit, & quicumq; querit inuenit, & pulsanti  
 aperietur. An quisquam est, qui si filius eius petierit panem, lapidem daturus sit  
 illi? aut si piscem petierit, num serpentem dabit illi? Si uos igitur cum sitis mali,  
 nostis bona dare filiis uestris, quanto magis pater uester qui est in cælis dabit bo-  
 na, si postulaueritis ab eo?

Licet uero beatus Ieremias oraret aliquando strenue & assidue pro populo  
 domini, audit tamen à domino, Et tu ne oraueris pro populo isto, neq; attollas pro  
 illis clamorem & deprecationem, neq; interuenias apud me: quoniam nequaquam  
 te audiam. An tu non uides quid isti faciant in urbe & in agro? Filij colligunt li-  
 gna, & patres incendunt ignem, uxores autem farinam aqua conspersam subigunt,  
 ut placentas faciant regine cæli, & alienis dijs fundant libamina, me uero ad iram  
 prouocent. Proinde nemo putabit solis precibus licet prolixis aut frequentibus pla-  
 cari posse iram numinis, si illam interim irritare perrexerimus quotidianis flagi-  
 tijs. Urgeamus ergo populos nostræ commissos fidei ut orent ardentem & indefi-  
 nenter, simul autem & prauos mutent mores: hoc est deposita auaritia, usura, sus-  
 perbia, incestu, adulterijs, fornicatione, luxuria, ebrietate, crapula, blasphemijs, ob-  
 treccatione, idololatria, superstitione, impietate, ira, inuidia, corrupto & uenali iu-  
 dicio, effusione sanguinis, militia mercenaria iniusta, oppressione & cõtempu pau-  
 perum, Deo seruiant in Christo beneficentia, liberalitate, humilitate, pudicitia, ca-  
 stitate, continentia, sobrietate, ieiunijs, benedictione, gratiarum actione, religione,  
 pietate, lenitate, beneuolentia, iudicio & iustitia, assertionem & cura pauperum, fide  
 spe charitate, amore patriæ, obedientia & spiritu, patientia & reliquis uirtutibus.

Viuendum  
 præterea  
 sancte, iuste  
 & incolpa-  
 te.

QUOMODO POSSIT IRATUS PECCA

rijs iam iam urbem aggredi uolentibus, Ezechias rex fidelis, inglorius perit Sobna cancellarius. Capitur & in captiuitatem abducitur rex Zedechias, liberatur à morte & libertate donatur Ieremias. Vnde uerissime dixit sanctus Petrus, Nostit dominus pios à tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Studeamus ergo uirtutibus constanter. Non erit labor noster frustraneus. Si communi aliqua calamitate orbem uisitarit dominus propter enormia scelera atque nephanda flagitia, non obliuiscetur timentium & inuocantium nomen eius, tametsi paribus cum impijs inuolui malis, uideantur similem cum impijs sorti ri finem.

Impenitens peresit.

3. Tim. 2.

Matth. 24.

Certum enim est regnum aut rempublicam penitere nesciam & impiam atq; contumacem non posse diu subsistere. Nec proderit huiusmodi contemptoribus Dei & legum diuinarum euangelica prædicatio. Rursus enim apud Ieremiam dicit dominus, Subito loquar de gente & de regno ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis ut non audiat uocem meam, penitentiam agam super bono quod loquutus sum ut facerem ei. Nemo tamen cernens populum ad scelera procliuem ruere de peccato in peccatum mox despondeat animum. Si uideris multos pertinaci improbitatis studio perrumpere, indurato et tu animum tuum ac nõ segniore studio boni & ueri te illis oppone. Hic enim memores simus oportet uerborum apostoli dicentis, Oportet seruum domini placitum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obstitunt, si quando dei illis Deus penitentiam ad agnoscendum ueritatem, ut respiciant à diaboli laqueo capi ab eo ad ipsius uoluntatem. Magna uero sunt nobis proposita præmia, fratres, si fuerimus fideles & strenui: infidelibus & ignauis econtra paratum est supplicium horrendum, cum perpetua ignominia. Vigilemus ergo & oremus. Semper obuersetur oculis et animis nostris hæc domini nostri Iesu Christi doctrina, O quam præstans res est fidelis seruus & prudens quem præfecit dominus famulatio suo ut det illis cibum in tempore. Beatus seruus ille quem cum ueneris dominus eius inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona constituet eum. Quod si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus uenire, ceperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet dominus serui illius, in die quo non expectat & hora qua ignorat, & dissecabit eum partemq; eius ponet cum hypocritis: illie erit ploratus & stridor dentium. Hæc inquam semper obuersetur oculis & animis nostris. Oremus præterea spiritum illius sui principalem nobis concedat & in diem augeat, ut eius instinctu et ductu fideliter prudenter & multo cum fructu faciamus officium nobis iniunctum à domino.

Ego certe ut meam operam uobis collocarem, iuarem studia uestra imò occasionem singulis præberem cogitandi & indagandi ampliora, scripsi sermones hos, non quibus uerbotim uteretur quisq; in sibi credita ecclesia. Opus est enim delectu & iudicio, ne uidelicet dicamus aliena aut parum utilia & necessaria ecclesie nostræ, Prudens pastor diligenter consideret quales sint mores sibi crediti populi.

TIS NOSTRIS DEVS PLACARI.

populi, quae illi maxime necessaria, ea uero illis proponat, semper spectans aedificationem, fidem ueram, pietatem, charitatem & innocentiam. Docendum enim & adhortandum ut pia & sancta sit ecclesia, cui nos praesse uoluit dominus. Ergo formulas aliquot sermonum propono, illis quoque gratificaturus qui hoc à me annis iam multis postularunt. In omnibus his & per omnia uolo ualere apud omnes lectores illam iustissimam apostoli regulam, Omnia probate, quod bonum est tenete. Nec admodum curo eorum calumnias qui clamant huiusmodi sermonibus segnes reddi fratres, sicuti quondam est factum cum legeretur sermones Discipuli & Pelbarti. Habeo enim pro me exemplum maximorum in ecclesia luminum, praestantissimorum inquam in ecclesia episcoporum, qui & ipsi non sine utilitate ecclesiae conscripserunt Sermones & Homelias. Inertes semper manent inertes, etiamsi nihil prorsus scribatur. Praeposui his symbola uetustissima cum antiquissimorum Conciliorum in ecclesia tum patrum siue episcoporum maxime orthodoxorum, non alio consilio quam ut manifestum facerem doctrinam nostram ac fidem quae hodie apud multos pessime audit & haereticos accusatur indignissime, consensum habere cum doctrina apostolica & ueteris ecclesiae, quae ab initio non aliud tradidit credendum & docendum quam quod hodie in ecclesijs nostris credimus & docemus. Innocentius tertius eius nominis, ausus est primus plures attexere articulos quam nobis exhibeant uetera Christianae fidei symbola. Extat eius symbolum in Decretalibus cap. Firmiter credimus: ac tenuit ille sedem Romanam circa annum domini 1215. ediditque symbolum ex concilio Lateranensi.

Vos autem quoniam scitis fratres cui credidistis & quod doctrina fidei nostrae Christianae apostolica catholica orthodoxa & uera antiqua & indubitatae fides & doctrina est, perseverate in illa tenenda & docenda. Vincet in aeternum ueritas, quae premi quidem potest, opprimi non potest. Veritas domini, ait propheta, manet in aeternum. Et porta inferorum, ait dominus in euangelio, non praeualebunt aduersus eam, nimirum ecclesiam in petram collocatam, quam confessus est Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei uiui, & de qua Paulus disputans dicit, Petra autem erat Christus. Fundamentum enim aliud posui non potest, quam quod positum est, quod est Christus Iesus. Nam & spiritus sanctus per prophetas praedixit, Ecce pono in Sion lapidem angularem seu fundamenti, electum, preciosum: qui crediderit in eo, non pudebit. Imponamus ergo huic fundamento Christo domino, qui alibi appellatur fundamentum prophetarum & apostolorum, populos aut ecclesias nostrae fidei creditas, ut iuxta doctrinam beati Petri doctoris ecclesiae nostrae, ipsi quoque ueluti uiui lapides aedificemur, domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Id si bona fide fecerimus, nunquam deseret nos dominus. Siue enim uiuamus siue moriamur, erit dominus petra, merces, uita & retributio nostra.

QVOMODO POSSIT IRATVS PECCA.

rijs iam iam urbem aggredi uolētibz, Ezechias rex fidelis, inglorius perit Sobna cancellarius. Capitur & in captiuitatem abducitur rex Zedechias, liberatur à morte & libertate donatur. Ieremias. Vnde uerissime dixit sanctus Petrus, Non uit dominus pios à tentatione eripere, iniustus autem in diem iudicij puniendos seruare. Studeamus ergo uirtutibus constanter. Non erit labor noster frustraneus. Si communi aliqua calamitate orbem uisitarit dominus propter enormia scelera atque nephanda flagitia, non obliuiscetur timentium & inuocantium nomen eius, tamesi paribus cum impijs inuolui malis, uideantur similem cum impijs sorti ri finem.

Impoenitentes percūt.

Certum enim est regnum aut rempublicam pœnitere nesciam & impiam atq; contumacem non posse diu subsistere. Nec proderit huiusmodi contemptoribus Dei & legum diuinarum euangelica prædicatio. Rursus enim apud Ieremiam dicit dominus, Subito loquar de gente & de regno ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis ut non audiat uocem meam, pœnitentiam agam se per bono quod loquutus sum ut facerem ei, Nemo tamen cernens populum ad scelera procliuem ruere de peccato in peccatum mox despondeat animum. Si uideris multos pertinaci improbitatis studio perrumpere, indurato et tu animum tuum ac nõ signiore studio boni & ueri te illis oppone. Hic enim memores simus oportet uerborū apostoli dicentis, Oportet seruū domini placitum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantē malos cum mansuetudine, erudientē eos qui obdistant, si quando dei illis Deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatem, ut resipiscant è diaboli laqueo capti ab eo ad ipsius uoluntatem. Magna uero sunt nobis proposita præmia, fratres, si fuerimus fideles & strenui infidelibus & ignaui e contra paratum est supplicium horrendum, cum perpetua ignominia. Vigilemus ergo & oremus. Semper obuersetur oculis et animis nostris hæc domini nostri Iesu Christi do-

2. Tim. 2.

Matth. 24.

ctrina, O quam præstans res est fidelis seruus & prudens quem præfecit dominus famulitio suo ut det illis cibum in tempore. Beatus seruus ille quem cum uenerit dominus eius inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona cõstituet eum. Quod si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus uenire, ceperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet dominus serui illius, in die quo non expectat & hora qua ignorat, & dissecat eum partemq; eius ponet cum hypocritis: illic erit ploratus & stridor dentium. Hæc inquam semper obuersentur oculis & animis nostris. Oremus præterea spiritum illius suū principalem nobis concedat & in diē augeat, ut eius instinctu et ductu fideliter prudēter & multo cū fructu faciamus officij nobis iniunctū à domino.

Ego certe ut meam operam uobis collocarem, iuarem studia uestra imò occasionem singulis præberem cogitandi & indagandi ampliora, scripsi sermones horum, non quibus uerbotim uteretur quisq; in sibi credita ecclesia. Opus est enim delectu & iudicio, ne uidelicet dicamus aliena aut parum utilia & necessaria ecclesie nostræ. Prudens pastor diligenter consideret quales sint mores sibi creditū populi.

TIS NOSTRIS DEVS PLACARI.

populi, quæ illi maxime necessaria, ea uero illis proponat, semper spectans ædificationem, fidem ueram, pietatem, charitatem & innocentiam. Docendum enim & adhortandum ut pia & sancta sit ecclesia, cui nos præesse uoluit dominus. Ergo formulas aliquot sermonum propono, illis quoq; gratificaturus qui hoc à me amissam multis postularunt. In omnibus his & per omnia uolo ualere apud omnes lectores illam iustissimam apostoli regulam, Omnia probate, quod bonum est tenete. Nec admodum curo eorum calumnias qui clamant huiusmodi sermonibus segnes reddi fratres, sicuti quondam est factum cum legerentur sermones Di scipuli & Pelbarti. Habeo enim pro me exemplum maximorum in ecclesia lumina- rum, præstantissimorum inquam in ecclesia episcoporum, qui & ipsi non sine ueritate ecclesiæ conscripserunt Sermones & Homelias. Inertes semper manent inertes, etiamsi nihil prorsus scribatur. Præposui his symbola uetustissima cum antiquissimorum Conciliorum in ecclesia tum patrum siue episcoporum maxime orthodoxorum, non alio consilio quam ut manifestum facerem doctrinam nostram ac fidem quæ hodie apud multos pessime audit & hæreseos accusatur indignissime, consensum habere cum doctrina apostolica & ueteris ecclesiæ, quæ ab initio non aliud tradidit credendum & docendum quam quod hodie in ecclesijs nostris credimus & docemus. Innocentius tertius eius nominis, ausus est primus plures attexere articulos quam nobis exhibeant uetera Christianæ fidei symbola. Extat eius symbolum in Decretalibus cap. Firmiter credimus: ac tenuit ille sedem Romanam circa annum domini 1215. ediditq; symbolum ex concilio Lateranensi.

Vos autem quoniam scitis fratres cui credidistis & quod doctrina fidei nostræ Christiana apostolica catholica orthodoxa & uera antiqua & indubitata fides & doctrina est, perseverate in illa tenenda & docenda. Vincet in æternū ueritas, quæ premi quidē potest, opprimi non potest. Veritas domini, ait propheta, manet in æternum. Et portæ inferorum, ait dominus in euangelio, non præualebunt aduersus eam, nimirum ecclesiam in petram collocatam, quam confessus est Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei uiui, & de qua Paulus disputans dicit, Petra autem erat Christus. Fundamentum enim aliud poni non potest, quam quod positum est, quod est Christus Iesus. Nam & spiritus sanctus per prophetas prædixit, Ecce pono in Sion lapidem angularem seu fundamenti, electum, preciosum: qui crediderit in eo, non pudebit. Imponamus ergo huic fundamento Christo domino, qui alibi appellatur fundamentum prophetarum & apostolorum, populos aut ecclesias nostræ fidei creditas, ut iuxta doctrinam beati Petri doctoris ecclesiæ nostræ, ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificemur, domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Id si bona fide fecerimus, nunquam deseret nos dominus. Siue enim uiuamus siue moriamur, erit dominus petra, merces, uita & retributio nostra.

**Labores uero hosce meos benigne suscipite & boni consulite. Prodeunt hi uos  
suo omnium nomine quos amo ex animo, quibus inferuire cupio fideliter. Vae  
lete memores semper horum apostoli uerborum, Videte ministerium  
quod accepistis à domino ut illud impleatis. Tiguri  
pruna Martij, Anno domini 1549.**

**Vester ex animo frater & symonista  
Meinrychus Bullingerus.**

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

# DE QVATVOR VNIVERSA-

LIBVS SYNODIS SIVE  
CONCILIIS.



TEMPORIBVS Apostolorum multa per uarias prouincias celebrata sunt Concilia. Ea tunc erant Synodi uel conuentus episcoporum atq; sanctorum coeuntium ad consultandum de seruanda puritate fidei, unitate doctrię, de disciplina atq; pace ecclesiarum. Non pauca huiusmodi exhibent nobis epistolę beati mar

tyris Cypriani.

Prima uero generalis siue uniuersalis synodus conuocata dicitur *Nicana* ab Imperatore beatissimo Constantino in urbe Nicęa anno domi *synodus.* ni<sup>324.</sup> contra Arrium & eius complices, negantes naturalem domini nostri Iesu Christi Deitatem. Ac conuenerunt ex omnibus quę sub cęlo sunt nationibus episcopi & uiri excellentiores <sup>318.</sup> conscripseruntq; symbolum quod appellatur symbolum Nicęnum.

Sufficiebat hactenus symbolum apostolorum & sufficisset ecclesię Christi etiam Constantini seculo. Consentire enim omnes, omnes ecclesias non alio symbolo, quam apostolico (quod prima Decade & recitamus & exponimus) usas, eodemq; fuisse per totum terrarum orbem contentas. Quoniam uero Constantini magni ætate emerfit impius & blasphemus Arrius, qui Christianę fidei puritatem corruptit & simplicitatem doctrię apostolicę peruertit, coacti sunt ipsa necessitate ecclesiarum ministri sese impostori opponere, ac symbolo edito ueram id est ueterem fidei confessionem (damnatam Arrij nouitate) declarando ex scripturis canonicis illustrare. Neq; enim & in alijs mox sequentib; tribus cõcilijs generalibus, editis symbolis, quicquam mutatum est in doctriņa apostolorum, neque quicquam noui adiectum, quod prius ex scriptura sancta ecclesię Christi non habuerunt uel crediderunt, sed corruptionibus nouitibusq; hæreticorum antiqua ueritas illustrata per symbola prouidenter utiliter & religiose est opposita. Scriptura aut; prophetica & apostolica in hisce omnib; est fons, directio, regula & iudex: nihil hic suo permiserunt arbitrio patres. Ac significanter loquor de Symbolis illis præcis duntaxat, nõ etiã de omnibus constitutionib; aut canonicis: quibus tantũ tribuimus quantum permittit scriptura canonica, quam confitemur unicum esse iudicandi dicendi agendiq; canonem.



CHRISTIANAE FIDEI

*Synodus Constanti-  
nop.* Secunda synodus generalis celebrata est Constantinopoli in ur-  
be regia, sub Imperio Gratiani Cæsaris anno domini 384. Conue-  
nerunt in ea patres seu episcopi, teste Prospero Aquitanico, 180. da-  
mnaruntq; Macedonium & Eudoxium negantes spiritum sanctum  
esse Deum.

*Synodus Ephesina.* At circa annum domini 434. eo ipso anno quo beatus pater Aus-  
gustinus excessit è uiuis, regnante Theodosio magno & religioso  
principe, Ephesi conuenit synodus tertia sacerdotum plus minus  
200. contra Nestorium, mysterium incarnationis lacerantem docen-  
temq; duos esse filios, alium Dei alium uero hominis: quem & con-  
demnauit unà cum multis Pelagianis qui cognatum sibi dogma  
iuuabant.

*Synodus Chalcedo-  
nensis.* Quarta uniuersalis synodus congregatur anno domini 454. sub  
Maritano principe, Chalcedoni, conuenientibus patribus 630. qui  
secundum scripturas damnarunt Eutychem confundentem natu-  
ras in Christo propter personæ unitatem.

Beda de ratione temporum & alij scriptores multi coniungunt  
quatuor his œcumenicis concilijs adhuc duas generales synodos,  
quintam & sextam, Constantinopoli celebratas. Quinta enim sub  
Iustiniano Imperatore conuenit contra Theodorum & omnes hæ-  
reticos circa annum domini 552. Sexta coijt sub Constantino Con-  
stantis filio anno domini 682. Conuenerunt autem episcopi 289.  
contra Monothelitas. Nihil tamen definitum est in his, quod nõ re-  
periatur in symbolis superiorum quatuor cõciliorum, Vnde ex his  
nihil annotauit.

*Symbolum Nicænum ex historia Ecclesiastica & Tripartita.*

**C**Redimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium  
uisibilem & inuisibilem factorem. Et in unum dominum  
Iesum Christum filium Dei, de patre natum unigenitum, id  
est ex substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum ue-  
rum ex Deo uero, genitum non factum, *quædã*, consubstantialem  
patri, per quem omnia facta sunt quæ in cœlis & quæ in terra. Qui  
propter nos homines & propter nostram salutem descendit, incar-  
natus, humanatus (homo factus est.) Passus est, & resurrexit tertia  
die, ascendit in cœlos, uenturus iudicare uiuos & mortuos. Et in spi-  
ritum sanctum. Eos autem qui dicunt, Erat aliquando quando  
non erat, & antequam nasceretur non erat: & quia ex non extran-  
sibus (ex nihilo) factus est, aut ex altera substantia uel substantia,  
dicentes

SYMBOLA.

dicentes esse uel creatum uel conuertibilem uel mutabilem filium Dei, hos anathematizat sancta catholica & apostolica ecclesia.

*Symbolum Constantinopolitanum ex exemplari quodam Græcolat.*

**C**redo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uisibilem omnium & inuisibilem.

Et in unum dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, ex patre natū ante omnia secula, lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero, genitum non factum, consubstantialem patri per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus ex spiritu sancto & Maria uirgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram Dei patris. Et iterum uenturus est cum gloria iudicare uiuos & mortuos, cuius regni nō erit finis.

Et in spiritum sanctum dominum uiuificantem, ex patre procedentem, & cum patre & filio coadorandum & conglorificandum. Qui loquutus est per prophetas in unam catholicam & apostolicam ecclesiam.

Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorū. Expecto resurrectionem mortuorum: & uitam uenturi seculi.

*Fides uel confessio fidei Ephesinæ synodi.*

**Q**uoniam per compendium hic omnia consignamus, non licuit copiosam S. Cyrilli ad Nestorium synodalem epistolam, qua continetur decretum Ephesinæ synodi, describendo his inserere: de legi magis ex eiusdem Cyrilli epistola 28. confessionem breuem in synodum missam, ac à tota synodo comprobata. Præmittuntur confessioni hæc uerba, Quemadmodum initio ex diuinis scripturis & sanctorum patrum traditione accepimus, breuiter dicemus, nihil omnino fidei in Nicæa à sanctis patribus expressæ addentes. Hęc enim sufficiens est cum ad omnem pietatis cognitionem, tum ad cuiusuis hæreticæ prauitatis abdicationē. Paulo autem post hæc ponitur confessio in hæc uerba,

Confitemur dominum nostrum Iesum Christum filium Dei unigenitum, Deum esse perfectum & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex patre secundum di-

CHRISTIANÆ FIDEI

unitatē, postremis uero diebus eundem ipsum propter nos & propter nostram salutem ex Maria uirgine, secundum humanitatem natum. Duarum siquidem naturarum facta est unio. Quapropter & unum Christum unum filium & unum dominum confitemur. Et secundum hunc inconfusæ unitatis intell. etum, sanctam uirginem deiparam esse confitemur: propterea quod Deus uerbum incarnatus & homo factus est, & ex ipsa conceptione acceptum ex ea tempulum sibi ipsi adunauit. Euangelicas uero & apostolicas de domino uoces, scimus uiros theologos, tanquam ad unam personam pertinentes, ratione duarum naturarum, diuidere, & alias quidem, uipote diuinitati competentes, ad diuinitatem Christi, alias uero humilēs, ad illius humanitatem referre.

Huic confessioni Cyrillus hæc subiūgit uerba, Cum sacras istas uestras uoces legissemus (nimirum in synodo in quam missa erat confessio) nosq; ipsos etiam ad hunc modum sentire deprehendissemus (unus enim dominus, una fides & unum baptisma) glorificauimus omnium seruatorem Deum, mutuo nobis congratulantes, quod ecclesiæ cum nostræ tum uestræ fidem habent diuinis scripturis & traditioni sanctorum patrum conuenientem.

*Confessio fidei Chalcedonensis synodi, ex libro Isidori.*

**P**ost recitata symbola Nicenæ & Constantinopolitanæ synodorum, & interiectis uerbis aliquot, mox in hæc uerba definit sancta Chalcedoneñ. synodus.

Consensientes itaq; sanctis patribus unum eundemq; filiū confiteri dominū nostrum Iesum Christum consona uoce edocemus, pariter perfectum eundem in deitate Deum, & hominem uerū eundem ex anima rationali & corpore: secundum diuinitatē unius cum patre naturæ: secundum humanitatem eundem unius naturæ nobiscum, per omnia similem nobis, absq; peccatō. Ante secula quidem ex patre natum secundum diuinitatem: in nouissimis uero diebus eundem propter nos & propter nostram salutem hominem factū.

\*in duabus naturis. Hunc unum eundemq; Christum filium dominum unigenitum  
 \* & in unā personā & in unā substantiā concurrente. \* in duas naturas incōfuse immutabiliter indiuisē inseparabiliter cognoscendum, in nullo naturarum differentias propter unitatem perimendas, magis autē salua uniusq; naturæ proprietate, \* & in unā coeunte persona unoq; statu concurrente, non in duabus personis partiendum uel diuidendum, sed unum eundemq; filium unigenitū Deum uerbum dominum Iesum Christum: sicut ab exordio prophete

S Y M B O L A.

prophetæ de eo, & ipse nos erudiuit, & nobis patrum tradidit symbolum. His ergo cum omni undiq; diligentia & sollicitudine à nobis ordinatis, statuit sancta & uniuersalis synodus aliam fidem nulli licere profiteri aut scribere aut docere aut dicere aliter.

*Decretum synodi Chalcedonensis non pugnare cum doctrina beati Cyrilli episcopi ex 5. lib. sancti Vigily martyris cõtra Eutyche.*

**S**Ed iam ultimum decreti capitulum uideamus ex Decreto synodi Chalcedonensis. Vnum eundemq; Christum dominum unigenitum (confitemur) in duabus naturis inconfuse in conuerbilitate, indiuisæ, inseparabiliter cognoscendum, nusquam duarum naturarum diuersitate euacuata propter unionem, salua magis proprietate utriusq; naturæ, in unam personam atq; substantiam conuenientibus, non ut in duas personas diuisum aut segregatum, sed unum eundemq; unigenitum filium Deum uerbum dominum Iesum Christum.

In hoc capitulo hoc eis displicet quod dixerunt, Salua proprietate utriusq; naturæ: uel, Non euacuata naturarum differentia, quæ ut firma esse perdoceant, consueta uerborum prolixitate & inani assertionem utentes, multa de Cyrilli capitulis interponunt testimonia: quibus ille in Christo non duas negat naturas, sed unam docet esse personam. Ne igitur soli eos nostra disputatione refutemus, Cyrilli etiam nos uerba ponamus, ut quomodo Cyrillo teste nituntur, Cyrillo teste uincantur. Ex synodicis Cyrilli ad Nestorium literis hæc sunt, Non enim dicimus, inquit, quod diuina natura conuersa uel immutata facta sit caro, nec quod in totum hominem, quod ex anima est & corpore transformata sit, sed illud magis quod carnem animam rationabile sibi copulauerit uerbum substantialiter ineffabiliter & indeprehensibiliter factus sit homo et nuncupatus sit etiam filius hominis, non nudæ tantummodo uoluntatis, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diuersæ quodam modo naturæ in unum conuenerint. Vnus tamen ex ambabus Christus & filius, non euacuata aut sublata diuersitate naturarum, per cõiunctionem, sed quia simul effecerunt nobis unum dominum & Christum & filium, id est diuinitas & humanitas per arcanam illam ineffabilemq; copulationem ad unitatem. Quid hoc manifestius? quid clarius ad consonantiam synodici decreti Chalcedonensis ex literis Cyrilli potuit demonstrari? Ecce nec dicta dictis; nec sententiæ sententijs aduersantur, sed sicut uno fidei sensu, ita iisdem penè usi sunt uerbis. Dixit

CHRISTIANAE FIDEI

Sancta Synodus, Nusquam duarum naturarum diuersitate euacuata. Dixit beatus Cyrillus, Non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem. Dixit sancta Synodus, Vtriusq; naturis in una persona conuenientibus. Dixit beatus Cyrillus, Non nudæ tantummodo uoluntatis, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diuersæ quodammodo naturæ in unum conuenerint. Dixit Sancta Synodus, Non in duas personas diuisum, sed unum eundemq; Christum. Dixit beatus Cyrillus, Vnus tamen ex ambabus id est naturis Christus filius. Et iterum, Sed quia simul nobis effecerunt unum dominum Christum & filium, id est diuinitas & humanitas, &c.

Circa annū  
domini 400

Symbolum Toletani Concilij primi regnantibus Honorio & Arcadio, ex libro Isidori.

**C**Redimus in unum uerum Deum patrem omnipotentem & filium & spiritum sanctum, uisibilem & inuisibilem factorem, per quem omnia facta sunt in cælo & in terra: unum Deum et unam esse diuinæ substantiæ trinitatem. Patrem autem non esse filium ipsum, sed habere filium, qui pater non sit. Filium non esse patrem, sed filium Dei de patris esse natura. Spiritum quoq; esse paraclerum, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed à patre filioq; procedens. Est ergo ingenitus pater, genitus filius, non genitus paraclerus, sed à patre filioq; procedens. Pater est cuius uox hæc audita est de cælis, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Filius est qui ait, Ego à patre exiui & à Deo ueni in hunc mundum. Paraclerum est spiritus de quo filius ait, Nisi ego abiero ad patrem paraclerum non ueniet. Hanc trinitatem personis distinctam, substantia unicā, uirtute & potestate & maiestate indiuisibilem, indifferentem, præter hanc nullam credimus diuinam esse naturam, uel angeli uel spiritus uel uirtutis alicuius quæ Deus credatur.

Hunc ergo filium Dei, Deum genitum à patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterū uirginis Mariæ, atq; ex ea uerum hominem sine uirili generatum semine suscepisse, duabus duntaxat naturis, id est deitatis & carnis, in unam conuenientibus omnino personam id est dominum nostrum Iesum Christum. Nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atq; uerum, hunc & esurisse & sitisse, & docuisse & fleuisse, & omnes corporis iniurias pertulisse. Postremo à ludæis crucifixum & sepultum, & tertia die resurrexisse, conuersatum postmodū cum discipulis suis & quadagesima post resurrectionē die ad cælum ascendisse. Hunc  
filium.

S Y M B O L A.

filium hominis etiam filium Dei, & filium Dei & filium hominis appellamus.

Resurrectionem uero futuram humanę credimus carnis: animã autem hominis non diuinę esse substantiæ aut Dei patris, sed creaturam Dei uoluntate creatam.

*Symbolum Toletani Concilij quarti, ex libro Isidori.*

**Q**uemadmodum à sanctis patribus accepimus patrem & filium & spiritum sanctum unius Deitatis atq; substantię, confitemur in personarum diuersitate trinitatem credentes, in diuinitate unitatem prædicantes, nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum uel genitum dicimus: filium à patre non factum, sed genitum asserimus: spiritum sanctum uero nec creatum nec genitum, sed procedentem ex patre & filio profitemur. Ipsum autem dominum Iesum Christum Dei filium & creatorem omnium ex substantia patris ante secula genitum descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à patre, qui nunquam desinit esse cum patre. Incarnatus est enim ex spiritu sancto & gloriosa sancta dei genitrice uirgine Maria, & natus ex ipsa solus idem dominus Iesus Christus, unus in sancta trinitate, anima & carne perfectus, sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat: æqualis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturę enim in illo duę Deus & homo. Non autem duo filij uel duo dii, sed idem una persona in utraq; natura perferens passionem & mortem pro nostra salute: non in uirtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibi tenebantur erueret. Et deuiso mortis imperio resurrexit. Assumptus in cœlos, unde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Cuius morte & sanguine mundati, remissionem peccatorum consequuti sumus, resuscitandi ab eo in die nouissima, in ea qua nunc uiuimus carne, in ea qua resurrexit idem dominus forma, percepturi ab ipso, alij pro iustitię meritis uitam æternam, alij pro peccatis supplicij æterni sententiam. Hęc est ecclesię Catholicę fides, hanc confessionem seruamus atq; tenemus, quam quisquis firmissime custodierit, perpetuã salutem habebit.

CHRISTIANÆ FIDEI

Circa annū  
domini 185

Expositio fidei seu prædicationis euangelicæ & apostolicæ ueritatis, per beatum martyrem Irenæum, ex libro eius 1. capite 2. contra Valent.

**E**cclēsia per uniuersum orbem usq; ad fines terræ dispersa ab apostolis & ipsorum discipulis eam accepit fidem quæ est in unum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram mare & omnia quæ in eis sunt, Et in unum Iesum Christum filiū Dei incarnatum pro nostra salute. Et in spiritum sanctum, qui per prophetas prædicauit dispensationis mysterium & aduentū, & ex uirgine natiuitatem & passionem & resurrectionem ex mortuis, & in carne ad cælos ascensionem dilecti Iesu Christi domini nostri: & ipseus è cælis in gloria patris aduentum ad instauranda omnia & resuscitandam omnem humani generis carnem, ut Christo Iesu domino nostro & Deo & saluatore & regi iuxta uoluntatem patris inuisibilis, omne genu flectatur cælestium & terrestrium ac inferorum, & omnis lingua confiteatur ipsi, & iudicium iustum in omnibus faciat: & spiritalia quidem nequitiei & angelos transgressores ac desertores factos et impios ac iniustos & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat: iustis uero & sanctis et qui mandata eius seruarunt & in dilectione eius permanserunt, partim ab initio, partim ex pœnitentia, uitam largitus incorruptibilitatem donet & gloriam æternam tribuat.

Hanc prædicationem & hanc fidem ecclesia, uelut dixi, adepta, quanquam per totum orbem dispersa, diligenter conseruat, quasi unam domum inhabitans, & similiter his credit uelut unam animā & idem cor habens, & consone hæc prædicat & docet ac tradit uelut uno ore prædita. Nam linguæ in mundo dissimiles sunt, uerum uirtus traditionis una & eadem est. Neq; in Germania fundatæ ecclesiæ aliter credunt aut aliter tradūt: neq; in Hispanijs neq; in Celtis, neq; in Oriente neq; in Aegypto, neq; in Libya, neq; hæc quæ in mundo constitutæ sunt: sed quemadmodum sol creatura Dei in toto mundo unus & idem est, sic etiam prædicatio ueritatis ubiq; luget & illuminat omnes homines ad cognitionem ueritatis uenire uolentes. Et neq; qui ualde potens est in dicendo, ex ecclesiæ præfectis, alia ab his dicit. Nemo enim est super magistrum. Neq; debilis in dicendo hanc traditionem imminuet. Cum enim una & eadem fides sit, neq; is qui multum de ipsa dicere potest, plus quam oportet dicit, Neq; qui parum, ipsam imminuit.

Regula

S Y M B O L A.

*Regula fidei secundum Tertullianum, ex lib. eius de præscriptio-  
nibus hæreticorum.*

*Circa annũ  
domini 210*

**R**egula est autem fidei, ut iam hinc quid credamus profiteamur illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi creatorem, qui uniuersa de nihilo produxerit per uerbum suum primo omnium emissum. Id uerbum filius eius appellatum, in nomine Dei uarie uisum patriarchis, in prophetis semper auditum, postremo delatum ex spiritu patris Dei & uirtute, in uirginem Mariam, carnem factam in utero eius & ex ea natum, egisse lesurum Christum, exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cælorum, uirtutes fecisse, sedisse ad dexteram patris, fixum cruci, tertia die resurrexisse: in cælos ereptum, sedere ad dexteram patris, misisse uicariam uim spiritus sancti qui credentes agaturum cum claritate ad sumendos sanctos in uitæ æternæ & promissorũ cælestium fructum: & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta utriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione.

Hæc regula à Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt & quæ hæreticos faciunt.

*Symbolum beati Athanasij Alexandrini episcopi, ex libris eius.*

*Circa annũ  
domini  
333.*

**Q**uicumq; uult saluus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisq; integram inuiolatamq; serauerit, absq; dubio in æternum peribit.

Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate & trinitatem in unitate ueneremur: neq; confundentes personas, neq; substantiam separantes.

Alia est enim persona patris, alia filij, alia spiritus sancti: sed patris & filij & spiritus sancti una est diuinitas, æqualis gloria, coeterna maiestas.

Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus. Immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus. Aeternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus.

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus. Et tamẽ non



CHRISTIANAE FIDEI

tres dii, sed unus est deus. Ita dominus pater, dominus filius, dominus spiritus sanctus. Et tamen non tres domini, sed unus est dominus.

Quia sicut sigillatim unamquamque personam deum aut dominum confiteri Christiana ueritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à patre & filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens. Unus ergo pater, non tres patres, unus filius, non tres filij, unus spiritus sanctus, non tres spiritus sancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Ita ut per omnia sicut iam dictum est, & unitas in trinitate & trinitas in unitate ueneranda sit. Qui uult ergo saluus esse, ita de trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem ut incarnationem quoque domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta ut credamus & cõfiteamur, quia dominus noster Iesus Christus dei filius, deus & homo est.

Deus est ex substantia patris ante secula genitus: & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem.

Qui licet deus sit & homo, non duo tamen sed unus est Christus. Unus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt ibunt in uitam æternam: qui uero mala in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiter crediderit, saluus esse non poterit.

Symbo

SYMBOLA.

Symbolum beati Damasi Romani episcopi, ex 2. tomo operum  
S. Hieronymi.

Circa annū  
domini 376

**C**Redimus in unum Deum patrem omnipotentem, & in unum dominum nostrum Iesum Christum Dei filium, et in spiritum sanctum. Deum non tres deos, sed patrem filium & spiritum sanctum, unum Deum colimus & confitemur: non sic unum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius: sed patrem esse qui genuit, & filium esse qui genitus sit: spiritum vero sanctum non genitum neq; ingenitum, non creatum neq; factum, sed de patre filioq; procedentem, patri & filio coeternum & coequallem & cooperatorem: quia scriptum est, Verbo domini caeli firmati sunt, id est à filio Dei, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et alibi, Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ideoq; in nomine patris & filij & spiritus sancti unum confitemur Deum, quod nomen est potestatis non proprietatis. Proprium nomen est patri Pater: & proprium nomē est filio Filius: & proprium nomē spiritui sancto Spiritus sanctus. In hac trinitate unum Deum colimus, quia ex uno patre quod est, unius cum patre naturæ est, unius substantiæ & unius potestatis. Pater filium genuit non uoluntate nec necessitate, sed natura.

Filius ultimo tempore ad nos saluandos & ad implendas scripturas descendit à patre, qui nunquam desijt esse cum patre. Et concepitur de spiritu sancto, & natus ex uirgine: carnem & animam & sensum, hoc est perfectum suscepit hominem nec amisit quod erat, sed corpus esse quod non erat, ita tamen ut perfectus in suis sit & uerus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est: & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui deuictis mortis imperio cum ea carne qua natus & passus & mortuus fuerat & resurrexit, ascendit ad patrem sedensq; ad dexteram eius in gloria, quam semper habuit et habet. In huius morte & sanguine credimus emundatos nos: & ab eo resuscitandos die nouissimo in hac carne quæ nunc uiuimus. Et habemus spem nos consequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicij. **HÆC lege, hæc crede, hæc retine, huic fidei animam tuam subiuga & uitam consequeris & præmium à Christo.** **EADÈM docuit & credidit cum**

Petrus Alexandrinus  
episcopus.

beato Athanasio & Damaso S. Petrus episcopus Alexandrinus, sicut colligi potest ex Tripertitæ historiæ libro 7. capite 37. & libro 8. capite 14.

CHRISTIANAE FIDEI SYMBOLA.

Circa annū  
domini 382

Decretum Imperatorum de fide Catholica, ex Tripartita histo-  
ria lib. 9, cap. 7.

**Catholici.**  
**Hæretici.**

**I**mp. Gratianus Valentinianus & Theodosius Aug. populo  
urbis Constantinopolitanæ: Cunctos populos quos clementiæ  
nostræ regit imperium in ea uolumus religione uersari, quam diui-  
num Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usq; nunc ab  
ipso insinuata declarat, quamq; pontificem Damasum sequi cla-  
ret & Petrum Alexandria episcopum uirum apostolicæ sanctitatis,  
hoc est ut secundum apostolicam disciplinam euangelicamq; do-  
ctrinam patris & filij & spiritus sancti unam deitatem sub pari ma-  
iestate & sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, Christia-  
norum catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos uero de-  
mentes uæsanosq; iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustine-  
re diuina primum uindicta post etiam motus animi nostri, quem  
ex cœlesti arbitrio sumperimus ultione plectendos. Data  
3. Calendas Martias Thessalonicæ, Gratiano 5,  
Valent. & Theod. Aug. Coss.

F I N I S.

# SERMONVM DE

CAS PRIMA, AVTHORE

HEINRYCHO BVL  
LINGERO.

De uerbo Dei, origine eius, quomodo & per quos mundo  
sit reuelatum.

SERMO I.



**M** N I A dogmata fidei Christianæ, omnis item recte bene beateq; uiuendi ratio, omnis deniq; sapientia uera diuinatq; semper petita est ex uerbi Dei testimonijs seu iudicatis, neq; hodie uel à uere sapientibus uiris, uel à fidelibus & à Deo uocatis ecclesiarum ministris illa aliunde quam ex uerbo Dei hauriri, doceri deniq; & confirmari solide possunt. Quisquis itaq; ignorat quid sit uerbum Dei, & quæ uerbi Dei ratio, in ipso templo domini auditorioq; Christi, adde & in lectione scripturarum sacrarum, ueluti cæcus surdus & amens uersari uideatur. Imò quod aliqui in audientis sermonibus sacris ecclesiasticisue irreligiosiores & segniores apparent, non alto exoritur fonte, quam quod uirtutem & ueram rationem uerbi Dei, neq; recte intelligunt, neq; satis diligenter expendant. Ne quid itaq; remoretur hic studiosos ueritatis ac uerbi Dei; Quinimo ut in omnium animos iusta uerbi Dei existimatio reponatur, explicabo, Deo iuuante, charitati uestræ, quæ nam religiosum hominem de uerbo Dei sentire & tenere oporteat. Vos assiduis & intèris precibus benignas Dei nostri aures pulsare, quo & mihi sanctam & efficacem dicendi facultatem concedar, & uobis aures & mentem aperiat, ut in omnibus laudetur nomen domini, uberemq; fructum percipiant animæ nostræ.

Principio explicandum erit nobis quid sit uerbum Dei. Verbum in scripturis & iuxta idioma linguæ Hebrææ latissime patet. Significat enim rem quamlibet, sicuti & Germanis latissime patet uocabulum *ding*. Apud sanctum Lucam dicitur ad beatam uirginem angelus Dei, Non erit apud Deum impossibile omne uerbum. Id quod perinde est, ac si dixisset, Deo omnia possibilia, aut res nulla erit impossibilis deo. Significat uerbum & dictionem ore hominis prola-

*Verbum  
quid.*

*Verbum  
Dei quid.*

tam. Aliquando usurpatur pro commissione, aliquando & pro integra sententia aut etiam oratione aut prophetia. Exempla de his in scripturis copiosa sunt. Cæterum cum uerbum coniungitur cum alio, ut cum dicitur in præsentem uerbum Dei, etiam sic non usurpatur eadem significatione. Nam uerbum Dei significat uirtutem & potentiam Dei: ponitur & pro filio dei, qui est secunda in adoranda trinitate persona. Manifestum est enim omnibus illa diui euangelistæ uox, Verbum caro factum est. Proprie autem in nostro hoc negotio significat uerbum Dei, eloquium Dei, reuelationem uoluntatis diuinæ, per os Christi prophetarum ac apostolorum, primum quidem uiua uoce prolatam, deinde etiam relata in literas, quas recte appellant sacras atque diuinas. Verbum enim mentem eius ex quo prodit refert: proinde uerbum Dei Deum refert. Est autem Deus natura sua uerax, iustus, bonus, purus, immortalis, æternus, iccirco consequens est & uerbum Dei quod prodit ex ore Dei, uerum esse iustum, sine fraude & dolo, sine errore & affectu prauo, sanctum, purum, bonum, immortale, æternum. Dominus enim in euangelio dicit, Sermo tuus ueritas est. Et apostolus Paulus, Verbum Dei, inquit, non est alligatum. Rursus clamat tota scriptura, Verbum domini manet in æternum. Nam & Solomon dicit, Omne eloquium Dei est repurgatum. Nihil adicias uerbis eius, ne forte redarguat te & inueniaris mendax, Dauid quoque, Eloquia domini, ait, eloquia munda, argentum igne expurgatum, defecatum à terra septemplexiter.

*De causis  
& origine  
uerbi Dei.*

Hæc intelliget charitas uestra plenius, si paulo copiosius de causa siue origine tum & certitudine uerbi Dei dixerò. Verbum Dei ueritas est: atqui ueritatis unicus fons est Deus: origo ergo & causa uerbi Dei Deus est. Atque hic quidem Deus cum membra, mortalium hominum instar, minime habeat, ore caret etiam corporeo: quia tamen os instrumentum est uocis, tribuitur Deo os. Nam loquutus est hominibus uoce humana, id est, uoce hominibus perceptibili atque effigiata ad sermonem usitatum inter homines. Claret hoc in rebus gestis cum sanctis patribus, quibus cum, ut cum parentibus nostris Adamo & Eua, cum Noe & reliquis patribus frequentissime colloquutus legitur. In monte Sina ipse dominus concionatur ad magnam Israelis ecclesiam, recitans significanter decem illa capita, in quibus omnis comprehenditur pietas. Nam Deut. 5. cap. sic legimus, Verba ista (decalogum intelligens) loquutus est dominus ad omnem ecclesiam de medio ignis uoce magna. Et in cap. 4. Vocem uerborum uos audistis, similitudinem autem nullam

nullam uidistis, præter uocem. Frequentissime uero usus est deus opera angelorum, per quorum ministerium colloquutus est cum mortalibus. Cognitissimum uero illud est omnibus hominibus, quod filius patris incarnatus in terris obambulauit, uerusq; Deus & homo Israeliicum populum ferme per triennium docuit. Quondam autem & antequam nasceretur mundo Dei filius, insinuauit se Deus animis sanctorum patrum, deinde etiam mentibus sanctorum prophetarum, ac deinceps per ipsorum ora & scripta mundum docuit. Ita & Christus dominus spiritum S. qui patris & filij spiritus est, misit in apostolos, per quorum ora uoces ac calamos toti mundo innotuit.

Atq; hi serui Dei omnes ceu electa dei organa reuelationem Dei *Verbum* à Deo percipientes animis syncerissimis, oracula seu eloquia Dei *Dei reuelatur mundo* quæ perceperant, primum quidem uiua uoce mundo tradiderunt, *per homines.* deinde senescente mundo, quidam ipsorum & literarum monimentis mandarunt. Hæc autem quomodo & per quos facta sint præstat cognoscere. Nam ex hac historia elucescit uera uerbi Dei ratio certitudo & dignitas.

Ab exordio rerum ad tempora usq; Moysis nulla extant scripta quæ peruenerint ad nostram notitiam: quamuis uerisimile sit priscum & primum illud sæculum non omnino fuisse sine omni scriptura, Nam citatur à S. Iuda apostolo fratre beati Iacobi scriptum uaticinium beati patris nostri Enoch, qui legitur septimus fuisse à patre nostro Adam. Videtur præterea scriptum aut historia Iob antiquis ædita temporibus. Vt unquam uero hoc habeat, sancti in ecclesia Dei omnes primum inter scriptores sacros collocant fidelissimum Dei seruum Moysen.

Ab exordio itaq; mundi Deus per spiritum suum, per ministeria *Quomodo* quoq; angelorum locutus est sanctis patribus, ac hi filijs nepotibusq; *et per quos* & toti posteritati quæ à Deo acceperant, uiua uoce tradiderunt: cum *ab exordio* ea utiq; accepissent, non ut sibi reseruarent, sed posteris quoq; com- *mundi reuelati sit uerbum Dei.* municarent. Deus enim subinde testabatur se uelle Deum esse & patrum & seminis ipsorum in sempiternum. Elucescit hoc in historia Adæ Noe & Abrahamæ primorum genearcharum maxime. Certè Gen. 19. legitimus angelum domini, adeoq; ipsum dominum dixisse ad Abrahamum, *Abraham.* Num celabo Abrahamum, quæ ego facturus sum? cum Abraham omnino futurus sit in gentem magnam & ualentem, benedicentemq; sint in eo omnes nationes terræ? Hoc quoq; scio quod mandaturus sit filiis suis & domui suæ post se ut custodiant uiam domini, faciantq; iustitiam et iudicium, & reliqua. Abraham itaq; fidelissimus & religiosissimus Dei cultor (sicuti & prisci illi primi sæculi patres) nihil hac in re neglexit, sed diligentissime homines de uoluntate & iudicijs Dei instituit.

DE VERBO DEI

Vnde & à Mose adeoq; ab ipso Deo appellatus est propheta. Vsurpata est autem religiosa & uiua illa traditio sanctorum patrum ab exordio mundi usq; ad tempora Mosis. Præterea curauit diuina bonitas ne ulla unquam secula carerent clarissimis luminibus indubitæ fidei testibus & maxime authoritatis patribus. Seculū enim ante diluuium habuit clarissimos & sanctissimos sapientissimosq; uiros nouem, Adam, Seth, Enos, Kenam, Malalehel, Jared, Enoch, Mathusalem & Lamech. Ex his præcipui Adam & Mathusalem ordiuntur & concludunt omnes annos seculi ante diluuium 1656. Nam Adam uixit annos uitæ 930. Moritur ergo ante diluuium anno 726. Mathusalem uero uixit annos uitæ 969. Moritur eo ipso anno, quo inundauit diluuium: ac uixit unā cum Adamo annos 243, ut abunde poterit institui ab Adamo de exordio rerum, de Deo, de lapsu hominis & restitutione, rebusq; ad religionē pertinentibus omnibus, quemadmodum ipse ab ipso Deo erat institutus. Ergo hi duo patres unā cum alijs supra nominatis totum illud seculum abunde satis erudire poterunt de salute uerā ac de iustis uijs domini. A diluuiō dedit Deus iterum mundo uiros clarissimos & lumina maxima. Horum nomina sunt, Noe, Sem, Arphaxat, Sale, Heber, Palec, Reu, Saruch, Nachor, Thare, Abraham, Isaac, Iacob. Habemus hic patriarchas præstantissimos 13. In quibus primi duo Noe & Sem principatum tenent, post quos illustriores sunt Abraham Isaac & Iacob. Vixit Noe annos uitæ in uniuersum 950. Natus erat annos 600, cum inundaret diluuiū. Vidit ergo & audiuit omnes sanctos patres primi seculi ante diluuium, tribus duntaxat exceptis Adamo, Seth & Enos. At cum reliquis, qui hos uiderant & audierant, conuixit annis plurimis, ut nihil eorum quæ Adam tradiderat ignorare potuerit. Moritur Noe (quod dictū mirum sed tamen uerum est) anno ætatis Abrahamæ 59. Cum patre uiuit multos annos filius Sem. Vixit enim annos uitæ in uniuersum 600. Natus est ipse Noe ante diluuiū annis circiter 96. Vidit ergo & audiuit non tantū patrem Noe & auū Lamech, sed etiam proauū Mathusalem cum quo uixit ante diluuiū annos illos 96. Ab eo erudiri potuit de omnibus quæ Mathusalem audierat & didicerat ab Adamo ac reliquis patriarchis. Moritur autem Sem post fata Abrahamæ anno Iacobi 52, nimirū 37 annos post mortem Abrahamæ, anno ætatis Isaac 112, ut Iacob patriarcha ab ipso Sem omnem ueram theologiā uiri hic à Mathusalem acceperat, discere potuerit, à tertio post Adam teste ac præceptore. Porro Iacob patriarcha suis quoq; liberis tradidit, quod ut traderet à Deo per patres accepit. Nascitur Iacobo in Mesopo-

Clarissima  
primi seculi  
lumina.

Adam &  
Mathusalem

Noe.

Sem.

Iacob.

fopotamia Leui filius, & huic rursus Kahad, qui uidit & audiuit Iacobum. Nam non paucos annos uixit Kahad cum auo Iacobo. Recensetur enim in catalogo liberorū descendentiū cum Iacobo in Aegyptum: at uixit Iacob in Aegypto cum liberis suis annos 17. Hic autē Kahad est auus Mosis, pater Amram, à quo plenam & certam illam traditionē de uoluntate præceptis & iudicijs Dei perfectissime hausit, sicuti Amrā pater didicerat ex patre Kahad, Kahad à Iacobo, Iacobus à Sem, Sem à Mathufalem atq; Adamo primo patre omnium nostrū, ut iam Moses ster in mundo sepimus testis ab ipso Adamo. Complentur autē anni mundi ab exordio rerū ad natiuitatem usque Mosis 2368. Reperiet autem hanc supputationem ueram & iustam esse quisquis annos à Mose in Genesi & Exodo non frustra consignatos diligenter supputauerit.

Genes. 46.

Kahad &amp; Amram.

Moses.

Genes. 5. et 11. Exo. 6.

Summa capita uiuæ traditionis sanctorum patrum.

Iam præstat etiam scire prima illa capita uiuæ traditionis à sanctis patribus, Deo sic disponente, ueluti per manus toti posteritati tradita. Tradiderunt patres posteris suis Deū pro natiua sua bonitate bene uelle hominibus, uelle ut homines omnes ad agnitionē ueritatis ueniant & diuinæ consortes naturæ sancti scilicet & beati fiant. Ideoq; ab initio deum condidisse hominē ad similitudinē & imaginē suam, ut esset bonus, sanctus, immortalis, beatus, & omnium bonorū Dei particeps: hominē autē in ea dignitate & foelicitate non perstitisse, sed opera diaboli & culpa propria incidisse in peccatū miseriam & mortē, cōmurasseq; imaginē dei imagine diaboli. Porro Deum opus hic iterū ceu nouū salutis instituisse, per quod homo refitutus, & ab omnibus malis liberatus deo rursus similis fiat: ac opus quidem hoc ingens & diuinū medio quodam perfecturū, nempe per uerbum incarnatū. Nam ut hoc incarnando hominem Deo coniunxit, ita moriendo in carne expiauit, sanctificauit & liberauit hominē, eidemq; spiritū sanctū donando eundem reddidit diuinæ consortē naturæ, immortalem & beatū. Efficat deniq; ut conemur ingenū mores eius exprimere ad cuius imaginē sumus conditi, ut simus anima & corpore sancti. Adiecerunt uerbū suo tempore & seculo fore incarnādū. Restare item diem iudicij magnum, in quo omnes homines congregati, pijs uero duntaxat percepturi sint præmia illa immortalitatis diuinitatisq;. Hæc autē est summa breuis traditionis sanctorū patrum, quā præstat copiosius retexere, & ueluti per partes diligentius prosequi. Principio ergo tradiderunt patres unum esse Deum in adoranda trinitate, patrem, filium & spiritum sanctum, conditorem & gubernatorem cæli & terræ ac omnium quæ in eis sunt, à quo conditus sit homo, & qui propter hominem

Deus. Creatio.



- omnia condiderit, omniaq; subiecerit, homini cui necessaria sufficiat tanquam fidus pater & dominus munificentissimus. Deinde tradiderunt hominem constare anima & corpore, & bene quidem conditam esse ad imaginem & similitudinem Dei, sua autem culpa & diaboli instigatione prolapsum in peccatū, mortem & condemnationem unā cum inexplicabili ærumnarū tela inuexisse in mundū, ut iam omnes filij Adæ ex Adam nascantur filij iræ & calamitatū, Deum autē qui diues est misericordia pro immensa sua bonitate miserū humanæ miseræ, ex mera sua gratia condonationē culpæ promississe, pœnæq; grauitatem imposuisse filio unico, ut hic postquam ipsi à serpente contritus sit calcaneus, conterat & ipse caput serpentis. Hoc est, promittit Deus semen siue filiū qui ex singulari fœminā id est ex laudatissima uirgine incarnandus morte mortē & mortis authorē sathanā sit superaturus, fidelesq; Adæ filios liberaturus, imō & adoptaturus in filios Dei ac hæredes uitæ æternæ. Docuerunt ergo sancti pares fidē in Deū & in filiū eius totius mundi redemptorem: cum etiā sacrificarūt figurantes mortē siue hostiā eius immaculatā, qua deterurus & expiaturus erat peccata totius mundi. Ideo & diligentissime obseruarunt genus & generis lineam Mesiæ. Nam deducitur ea quasi filo ab Adamo ad Noe, à Noe per Sem ad ipsum usq; Abrahamum: ad quem rursus dicitur, In semine tuo benedicentur omnes nationes terræ: quibus prima promissio Adæ facta de Christo redēptore & maledictionē benedictione permurante renouatur & itculcatur. Eadē linea ab Abrahamo deducitur per Isaacum in Iacobum, ac ipse Iacob plenus spiritu Dei Iudā filiū seminis benedicti designat genearcham, sicut uidere licet Genes. 49. In tribu Iuda demum designatur domus Dauid, ex qua sit semen & genus illud uitæ proditurum. Præterea tradiderūt beati patres Deum cum genere mortalium fœdere quodam coaluisse, ac se fidelibus, fides sibi Deo inquā artissimè obstrinxisse. Vnde iam docebant Deo fidem seruare, Deum adorare, falsos deos abominari, Deum inuocare solum, & colere religiose. Porro cultum Dei constare rebus spiritualibus, fide, spe, charitate, obedientia, iustitia, sanctimonia, innocentia, patientia, ueritate, iudicio & pietate. Ideoq; accusabant scelerata atq; peccata, perfidiā, incredulitatē, desperationē, inobedienciā, impatientiā, mendaciū, hypocrisim, odia, cōtumelias, uim, iniurias, iniustitiā, imputitatē, luxū, crapulā, stupra, iniquitatē, impietatē. Docuebant Deū boni esse remuneratōrē, mali autē uindicē ultoremq;. Docuerunt animas hominū esse immortales, & corpora quoq; resurgere in iudicio: ergo hortabātur ita in hac uita temporali uiuere
- mus

mus omnes, ne amitteremus æternã. Hæc est summa uerbi Dei reus  
 lati patribus & per hos tradita posteritati. Hæc est traditio diuina pa-  
 trum, quæ omnem pietatẽ cõprehendit. Hæc est deniq; fides patrum  
 uera uerus indubitata authentica, orthodoxa & catholica. Ad hæc  
 tradiderunt sancti patres liberis & posteris suis supputationẽ anno  
 rû ab exordio mundi, certã deniq; historiã uilẽ & necessariã rerum *Historia*  
 à condito mundo ad suã usq; ætatẽ, ne filij ignorarent principiũ &  
 successiõnẽ rerũ humanarũ, iudicia item Dei & exempla pie pariter *certa & an-*  
 & impie uiuentiũ. Possemus aut̃ hæc omnia ex primo libro Mosis *nales iusti.*  
 qui Genesis dicitur, clare & ordine pulcherrimo demonstrare, nisi  
 prolixè nimis protraheretur sermo. Sed & pauculos adeoq; nullos  
 astare arbitror, qui non intelligant me ista de ueterũ traditione quasi  
 uerboim recitasse ex lib. Gen. ut iã liceat in cœpta pergere historia.

Cæterum quæ hæctenus ore ac ueluti per manus tradita sunt à *Traditio-*  
 patribus mundo, primum à beato Mose relata sunt in literas, unã *nes patrũ*  
 cum ijs quæ toto uitæ Mosis tempore per annos 120. gesta sunt. At- *conscribit*  
 que ut maiorẽ in toto terrarum orbe & apud omnes homines om- *Moses in hi-*  
 nibusq; seculis autoritatẽ haberet, nemoq; ignoraret scripta Mosis *storia.*  
 ipsissimũ esse Dei uerbũ, ornatur à Deo Moses & ueluti inaugura-  
 tur signis & portentis uere stupendis, quæ per Mosis manum, hoc  
 est ministerium patrabat omnipotens, & patrabat quidem non in  
 angulo aliquo mundi, aut in loco obscuro, sed in eius ætatis floren-  
 tissimo famosissimoq; Aegyptiaco regno. Miracula illa maiora &  
 plura sunt quam hic paucis recensere liceat: neq; uero illa repete-  
 re necesse est, cum eorum charitas uestra non sit omnino rudis &  
 ignara. Deinde conciliauit Mose autoritatem Deus etiam alijs  
 modis. Frequenissima enim cum Mose habuit colloquia Deus: ac  
 inter alia, Ecce ueniam ad te, ait, in densa nube ut audiat me popu-  
 lus tecum loquentem & credat tibi in perpetuum. Ne his conten-  
 tus dominus, iubet Mosen in concionem euocare totum populum,  
 sexcentena inquam uirorũ milia, unã cũ uxoribus & liberis. Euo-  
 cati sunt ad montem Sina, in hoc apparet Deus mirifica ac terribili  
 specie, ac ipse concionatur ad ecclesiam, recitans ipsis decem præce-  
 pta. Populus uero territus diuina maiestate deprecatur ac poscit, ne  
 dominus ipse porro pergat ore proprio concionari ecclesiæ, satis es-  
 se si Mose utatur ad ipsos interprete, ac per ipsi ecclesiæ loquatur.  
 Recepit conditionem altissimus, ac porro per Mosen populo locu-  
 tus est quod uoluit.

Et quoniam populus ille erat durẽ ceruicis populus, in Aegypto  
 quoq; ex consortio idololatãrũ nõ uulgariter corruptus, cõpitiã

quoque literis committere Moses quæ tradiderant sancti patres, quæ  
 ite ipsam reuelauerat dominus. Ea ideo in literas retulit ne apud  
 segnem populum obliuione & temporum diuturnitate & impro-  
 bitate uel interirent uel corruperentur. Præit autem Mosi dominus  
 suo exemplo. Nam quæ recitauerat Deus apud ecclesiam in monte  
 Sina, eadem mox digito suo inscribit tabulis lapideis duabus, qui  
 eadem ab exordio mundi digito suo inscriberat cordibus patrum.  
 Deinde Mosi quoque diserte præcipit ut scribat quæ reuelarat domi-  
 nus. Obtemperauit præcepto domini Moses ac scripsit. Scribentis  
 manum direxit spiritus sanctus, qui totam Mosi mentem occu-  
 parat. Nulla deerat facultas Mosi necessaria scriptori absoluissimo.  
 Abunde instructus erat à maioribus suis. Natus enim est ex profa-  
 pia sanctissima patrum, quos dominus testes uoluntatis mandato-  
 rum iudiciorumque suorum constituerat, puto autem Amram, Kahad,  
 Iacobum, Sem, Mathusalem & Adamum. Potuit itaque ueram & cer-  
 tam ab exordio mundi ad sua usque tempora historiam scribere. Cui  
 ea adiecit quæ sua ætate in populo Dei facta sunt, quorum ipse erat  
 ueracissimus & oculatus atque auritus testis. Imò quæ libris compre-  
 hendit populo suo recitauit, nec inuentus est in tot milibus qui reci-  
 tatis contradiceret: ut non parum existimationis addat scriptis Mosi  
 ecclesie illius maximæ unanimis consensus ac testificatio.

Complexus est autem Moses historia ab exordio mundi ad mor-  
 tem usque suam per annos 2487. libris quinque, qui & libri Mosi  
 quinque dicuntur. In ijs copiosissime exposuit reuelationem uerbi  
 dei factam hominibus & quid contineat & doceat uerbum Dei. Ha-  
 bemus in his, ut ipsius dei multiplicia oracula, ita clarissimorum, ue-  
 rustissimorum, sanctissimorum, sapienatissimorum, maximorumque  
 totius mundi uirorum illustrissima testimonia, sententias, exempla,  
 dogmata, de omnibus quæ ad ueram pietatem, bene beateque uiuendi  
 rationem pertinere uidentur. Ideo apud omnes posteros hi libri  
 ut authentici, & qui ex seipsis sat authoritatis habent & quibus citra  
 contradictionem totus mundus credere debet, fidem inuenerunt  
 paratissimam. Quinimo dominus noster Iesus Christus unigenitus  
 Dei filius fideles ad lectionem Mosi relegat, ac id quidem in rebus  
 salutis nostræ maximis. Loca extant Ioan. 5. & Lucæ 16. Apud Mat-  
 in 5. dicit, Ne existimetis quod uenerim ad destruendam legem aut  
 prophetas, imò non ueni ut destruam, sed ut cõpleam. Amen quip-  
 pe dico uobis donec prætereat cælum & terra, iota unum aut apex  
 non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis igitur  
 soluerit unum ex mādatis hiscè minimis & docuerit sic homines,  
 minimus

Maxima  
 authorita-  
 tis est Mo-  
 ses.

minimus uocabitur in regno cælorum. Quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum. Certe reperti sunt qui contradixerint Mosi seruo Dei. Sed Deus contradictionem illam ueluti maiestati diuinæ illatam reputauit, ac seuerissime puniuit. Testimonia extant Exodi 16. & Numeri 12. Primum quidem murmurantis populi contra Mosén: secundum Mariæ sororis Mosi contradicentis fratri. Cæterum populus audit, Non contra ministros tendunt querimoniæ uestræ, sed contra dominum. Maria uero læpra horribiliter percussa est. Theopompus tragœdiarum scriptor oculis capitur: & Theopompus incidit in insaniam, quod irreligiosus contigisset uerbum Dei. Quanquam enim uerbum Dei reuelatur proferatur aut scribatur per homines, non desinit tamen esse quod reuera est, neque incipit humanum esse uerbum quod ab hominibus prædicatur aut auditur: nõ magis quam regis præceptum, præconis præceptum dicitur, quod à præcone annunciat. Spernit Deum & cum Deo omnes sanctos patriarchas, quisquis contempserit Mosén, per quem nobis loquitur Deus, & à quo recepimus quæ ab exordio mundi posteris tradiderunt patriarchæ. Nullum est inter uerbum Dei traditum uiua uoce hominis, & stilo hominis scriptum discrimen, nisi quatenus uox uiua & scriptura inter se differunt, materia certe sensus & intentio utrobique eadem est. Intellexit autem ex his charitas uestra certam originis uerbi Dei historiam.

Pergamus iam ad reliqua, addere uidelicet historiam progressus uerbi Dei, ac quomodo subinde clarius illustriusque mundo illuxerit. Post sublatum ex hoc mundo in cælos beatum Mosén, dedit benignus dominus continue prophetas præstantissimos suæ ecclesiæ, quæ elegerat, ut per ipsam uniuerso mundo uerbum suum reuelaret. Fuerunt autem quondam ueteribus prophetæ qui hodie nobis sunt uates, sacerdotes, sapientes, concionatores, pastores, episcopi, doctores uel theologi, rerum diuinarum scientissimi, & rectores populi à Deo in fide dati. Huiusmodi autem nec paucos nec obscuros floruisse in populo siue ecclesia Dei ad captiuitatem usque Babylonicam testabitur quisquis diuinam legerit historiam. Inter eos numerantur singulares & excellentes Phinees, Samuel, Helias, Heliseus, Isaias, & Ieremias. Reges simul & prophetæ fuerunt Dauid & Solomon. In captiuitate Babylonica clari fuerunt Daniel & Ezechiel. Post captiuitatem floruit inter alios Zacharias ille Barachias filius. Paucos hic ex multis numerauimus. Qui, tametsi diuersis temporibus & longissimis inter se spacijs temporum floruerunt, unanimes tamen omnes agnouerunt deum orbis loquutum esse per Mosén, qui, Deo disponente, ueræ theologiæ

*Progressus uerbi Dei.*

*Prophetæ.*

Lcx.

compendium & plenissimam uerbi Dei summam reliquerit scriptis cōprehensam ecclesiæ in mundo. Omnes isti sacerdotes uates ac prophete in omnibus unice respexerunt ad doctrinam Moysi. Omnes item relegati in causa fidei & religionis ad libros Moysi. Legem Moysi quæ reuera Dei est ac propriissimè Thora seu directorium & regula fidei & uitæ dicitur, inculcauerunt omnibus hominibus. Hanc explicarunt pro ratione temporum personarum & locorum hominibus. Omnes enim sacerdotes & prophete ante incarnationem Christi pietatem & ueram religionem tradiderunt sui seculi hominibus uia uoce. Nec aliud tradiderunt quam quod patres acceperant à Deo, Moses à Deo & patribus, id ipsum mox scriptis etiam mandantes cōmendarunt uniuersæ posteritati ad finem usq; mundi: ut in prophetis iam habeamus doctrinam quidem Moysi parumq; traditionē, sed omnia & singula plenius & significatiuis exposita expolitq; in super etiā locis tēporibus & personis aptata.

*Autoritas  
sanctorum  
prophetarum  
maxima.*

Porro doctrina & scripta prophetarum maximæ semper autoritatis fuerunt apud omnes sapientes homines in toto mundo. Multis enim argumentis deprehensum est illa non ipsis exorta esse a thoribus sed cœlitus ac diuinitus inspirata à spiritu dei sancto. Deus enim est qui spiritu suo inhabitans animis per ora nobis resonat prophetarum. Habent ergo amplissimum à Christo Dei filio & ab electis eius apostolis testimonium. Quid quod Deus stupenda nec pauca per ipsorum ministerium miracula prodigiaq; patrauit: ut uel ex signis maximis disceremus Deum esse cuius instinctu agant docent atq; scribunt quæ nobis reliquerunt in monumentis prophetarum. Præterea perhibent prophetis illustrissima testimonia diuinæ ueritatis totrepublicæ siue ecclesiæ à prophetis secundum uerbum Dei congregatæ ac gubernatæ. Laudantur excellentissimi Plato, Zenon, Aristoteles & reliqui gentium philosophi. Sed quis istorum unquam potuit colligere ecclesiā secundū sua uiuentē placita? Atqui prophete nostri clarissimas & famosissimas in toto terrarum orbe respublice siue ecclesias, imo regna florentissima sub suo habuerunt ministerio. Solomonem regem & prophetam tantum non adorarunt omnes totius mundi, qui suo scilicet sæculo uiuebant, sapientes, proficiscentes ad ipsum ab ipsis mundi finibus. Daniel quoq; in monarchia totius mundi præstantissima Babylonica primas tenuit inter sapientes. Sed & magnæ autoritatis erat apud Dariū Medum, Astyagis uel Assueri filium atq; apud excellentissimum regem Cyrum. Libet hic quoq; cōmemorare diuinam illam in prophetis nostris præscientiam & futurarum rerum post multa sæcula certissimā  
prædi-

prædictionē. Nam ut hic ex alijs nihil cōmemorē, nonne prædixit  
 Isaias certissima prædictione, quæ postea in Christo domino per Iu-  
 dæos sunt completa? Vetustis non frustra uisus est euangelista ma-  
 gis esse quam propheta siue uates. Cyri regis nomen prodidit cen-  
 tum 60. ad minimū annis priusquā nasceretur Cyrus. Ac Daniel re-  
 cte à uetustis appellatus est polyhistor. Nam quæ à suo sæculo ad  
 tempora usq; Christi, imò ad extremum usq; iudicij diem fiant ac fa-  
 cta sunt in omnibus ferè regnis mundi, in populoq; Dei, tam signi-  
 ficanter ille prædixit, ut uideri possit historiam contexuisse rerum  
 præteritarum. Hac inquam omnia euidentissime euincunt doctri-  
 nam & scripta prophetarum ipsissimum esse uerbum Dei: quo no-  
 mine & titulo etiam ornantur passim in scripturis. Petrus certe apo-  
 stolus, Non uoluntate hominis allata est olim prophetia, inquit, sed  
 à spiritu sancto impulsu, loquuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1.

Quamquā uero Deus uerbū suū copiose, clare, diserte, & simpli-  
 citer mūdo per patriarchas per Moſen per sacerdotes & per prophe-  
 tas reuelauit, in fine tamen temporum omnium luculentissime sim-  
 plicissime abundantissimeq; toti terrarum orbi per filium exposuit.  
 De cælis enim descendens ipse Dei patris unigenitus filius, uti præ-  
 dixerant prophetae, omnia quæ prædixerant complet, & omnē pie-  
 tatem ferè per triennium docet. Nam Ioānes, Deum nemo uidit un-  
 quam, ait, unigenitus qui est in sinu patris ipse enarrauit, Sed & ipse  
 Dominus ad discipulos ait, Omnia quæ audiui à patre meo nota  
 feci uobis. Et iterum, Ego sum lux mundi; qui sequitur me non am-  
 bulat in tenebris sed habebit lumen uitæ. Docuit autem dominus  
 noster uolenti cælos ingredi atq; saluari, necesse esse regenerationē  
 cœlestem. Prima enim natiuitate hominem nasci morti, secunda ui-  
 tæ. Regenerationem autem illam perfici spiritu Dei, qui fide cor-  
 da nostra imbuat, fide inquam in Christum qui mortuus est pro-  
 pter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.  
 Ea fide docuit iustificari credentes: & ex eadem fide subnasci uarios  
 charitatis & innocentiae fructus: ad quos proferendos constantissi-  
 me adhortatus est. Docuit præterea se esse legis & prophetarū com-  
 plementum aut plenitudinem, a deoq; & Moſis prophetarumq; do-  
 ctrinam approbavit & exposuit. Doctrinæ coniunxit uaria miracu-  
 la & beneficia, quibus declarauit se esse lumen illud mundi & po-  
 tentem benignumq; mundi redemptorem. Iam ut doctrina &  
 beneficia eius toti innotescerent orbi delegit sibi testes quos ap-  
 pellauit apostolos, eò quod ipsos in orbem terrarum ad prædi-  
 candum ablegare statuisset. Erant testes illi homines simplices Summa ca-  
pita doctri-  
nae Christi.

*Apostoli  
Christi.*

innocentes, iusti, ueraces, doli & artium expertes, & per omnia sancti probiq; quorum nomina in ecclesia frequenter recitare utile est. Sunt hæc apostolorum nomina, Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, Philippus & Bartholomeus, Thomas & Mathæus, Iacobus Alphæi & Iudas frater eius cognomento Thadæus, Simon & Iudas Iscariotes, in cuius locum (quod prodidisset dominum) substituit beatus Mathias. Hos ferè per triennium habuit auditores, doctrinæ suæ cœlestis, & spectatores diuinorum operum. Hos ab ascensione ad cœlos, misso è cœlis sancto spiritu instruxit omni facultate. Nam ut scripturarum erant peritissimi, ita linguarum omnium nec ignari nec infacundi. Ad eum autem modum instructi exeunt, ex Hierosolymorum urbe & permeant orbem terrarum, omnibus populis & gentibus prædicantes, quod prædicandum acceperant ab ipso mundi saluatore, & domino Iesu Christo. Cumq; annis iam aliquot uiua uoce prædicassent, quod prædicarunt, etiam scriptis commiserunt. Nam alij quidem scripserunt historiam de dictis & factis Christi, alij de dictis & factis apostolorum. Alij uarias ad uarias gentes miserunt epistolas. In quibus omnibus ad confirmationem ueritatis, ueteri quoq; legis & prophetarum scriptura uuntur, sicuti & dominus factitasse legitur. Porro coniunguntur 12. apostolis, duo magna orbis lumina, Baptista Ioannes quo sanctior non est natus ex mulieribus, & uas electionis Paulus doctor ille magnus Gentium.

Ioannes  
Baptista et  
Paulus.  
Auctoritas  
sanctorum  
apostolorum  
maxima.

Neq; uero mirum est præcursorem & apostolos Christi, semper in ecclesia maximam habuisse & dignitatem et auctoritatem. Nam sicut legati fuerunt regis æterni, & omnium sæculorum totiusq; mundi, ita spiritu Dei donati, nihil ex suo fecerunt arbitrio. Ac dominus per ipsorum ministerium, maxima parauit miracula, quibus ipsorum ornaret ministerium, ipsorumq; nobis doctrinam commendaret. Quid quod uerbo illo Dei totum mundum conuerterunt, & præclaras per orbem terræ ecclesias collegerunt atq; fundarunt. Id quod humanis consilijs & uerbis, nequaquam perficere potuissent. His accedit quod doctrinæ propagatæ, tanquam uiuificæ innitentes, mori non recusarunt. Præterea quotquot crediderant doctrinæ euangelicæ, non horruerunt per aquas, ignes et gladios, uitam hanc abrumpere, futuramq; apprehendere. Neutiquam hæc potuissent sancti fideles, nisi doctrina cui crediderant esset diuina. Quamuis itaq; apostoli fuerint homines, doctrina tamen ipsorum, primum quidem tradita uoce uiua, deinde calamis relata in literas, est diuina, adeoq; ipsum uerbum dei uerum. Ideo enim apostolus scriptum reliquit, Cum acciperetis à nobis sermonem quo deum disciebatis, accepistis non

non sermonem hominum, sed sicut uere erat, sermonem Dei, qui & agit in nobis credentibus.

Verum res ipsa & locus iam postulant, ut etiam colligamus & diste annumeremus libros illos sacros, in quibus comprehensum est ipsum uerbum Dei, primum quidem à patribus, item ab ipso Christo & apostolis uiua uoce proditum, deinde etiam in libros conscriptum, à prophetis & apostolis. Et primo quidem loco ponuntur libri quinque Moysi. Sequuntur deinde libri Iosue, Iudicum, Ruth, Samuelis 2. Regum 2. Paralipomenon 2. Esdræ, Nehemiæ & Hesther singuli. Accedunt his deinceps Iob, Dauid siue liber Psalmorum. Solomonis libelli tres Prouerbiorum, Ecclesiastes & Cantica. Quibus annumerantur quatuor maiores prophete Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel: & prophete minores 12. quorum nomina sunt notissima. His libris absoluitur uetus testamentum. Nouum habet initio historiam de Christo domino euangelicam, à quatuor scriptum authoribus, à duobus inquam apostolis, Mathæo & Ioanne, & à duobus discipulis, Marco & Luca, qui etiam librum composuit mire elegantem & utilem, de actibus apostolorum. Inter apostolos, Paulus ædidiit ad uarias ecclesias atque personas 14. epistolas. Reliqui scriperunt septem, quæ & canonicæ & catholicæ appellantur. Clauduntur autem libri noui testamenti Reuelatione Iesu Christi, quam aperuit dilecto discipulo Ioanni euangelistæ & apostolo, ostendens ipsi adeoque toti ecclesie fata ecclesie ad iudicij usque diem. His itaque libris pauculis & sobrijs non immensis, planis & simplicibus non obscuris & impexis continetur plena pietatis doctrina, ipsum inquam uerbum ueri, uiui & æterni dei.

Catalogus  
librorum  
diuinae scri-  
pturæ.

Peruenerunt autem libri Moysi & prophetarum ad tempora usque Christi & apostolorum integri & incorrupti per tot sæcula pericula & captiuitates. Nam dominus Iesus & apostoli illis libris ceu authenticis usi sunt. Id quod non fecissent aut facere potuissent, si uel corrupti fuissent, uel penitus interijissent. Libri quoque quos adiecerunt apostoli Christi, unà cum lege & prophetis integri & incorrupti asseruati sunt in ecclesia per omnes persecutiones, & integri incorruptique in manus nostras, in quos fines sæculorum inciderunt, peruenerunt. Nam uigilanti cura & bonitate ineffabili Dei patris nostri factum est, ne ulla unquam sæcula thesauro caruerint carereque tanto.

Scriptura  
est integra  
& incorrupta.

Epilogus.

Hæc autem hæctenus exposuit charitati uestræ, de eo quid sit uerbum dei, quæ eius origo in ecclesia, quis eius progressus, quæ dignitas & certitudo. Verbum dei est eloquium dei, reuelatio uidelicet



uoluntatis eius bonæ erga homines, quam ab initio, nunc ore suo, nunc per colloquia angelorum, primis illis uerustissimis & sanctissimis patribus aperuit: hi uero posteris suis fideliter tradiderunt. Veniunt hic commemoranda maxima orbis lumina Adam, Seth, Mathusalem, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Amram, & huius filius Moyses, qui deo iubente, & historiam & traditiones sanctorum patrum scripto comprehendit, quibus legem scriptam & expositionem legis cum historia sui temporis copiosa & luculenta coniunxit. Post Moysen dedit Deus ecclesie suæ præstantissimos homines, prophetas & sacerdotes, qui & ipsi quæ acceperant à domino, posteris & uiua uoce & scriptis tradiderunt. Post hos descendit è cælis in mūdum ipse dei unigenitus filius, & impleuit quæcunq; de ipso in lege & prophetis legebantur scripta, idem plenissimam beate beatę uiuendi rationem tradidit: apostolos sibi testes adhibuit. Hi uero testes postea omnia quæ tradiderat dominus, primū quidem uoce uiua prædicarūt, deinde ne unquā uel corrūperentur, uel è memoria hominum auferentur, chartis commendauerunt: ut iam habeamus & prædicatum & scriptum uerbum Dei à patribus, à prophetis, & ab apostolis. Profecta sunt hæc ab uno eodem spiritu Dei, & tendit ad unum finem, ut doceant homines beate beatę uiuere. His qui non credit præsertim unigenito Dei filio, cui quæso crederet? Habemus hic totius mundi & orbis terrarum uiros sanctissimos, innocentissimos, integerrimos, laudatissimos, iustissimos, antiquissimos, sapientissimos, diuinissimos, breuiter modis omnibus incomparabiles. Nihil tale ostenderit nobis totus mundus, etsi totus millies congregetur in synodum. Collegit beatus Constantinus Imperator ex toto terrarum orbe œcumenicum consilium: ac coierunt tum præstantissimi ex toto mundo patres 318. sed hos prudentissimi quicq; non dixerint uel umbras esse collatos illis, à quibus accepimus uerbum dei. Credamus ergo in omnibus uerbo Dei, nobis per scripturas tradito. Teneamus per scripturas nobis loqui ipsum dominum deum æternum uiuum & æternum. Laudemus nomen & bonitatem eius in sæcula, qui dignatus est miseris mortalibus nobis uniuersam bene beatę uiuendi rationem aperire, tam fideliter plenè ac simpliciter.

Ipse laus & gloria &c.

De uerbo Dei, quibus & in quem finem reuelatum, quomodo item audiendum sit, & quod omnem pietatis doctrinam plene doceat.

SERMO II.

**D**IDICIT charitas uestra proximo sermone quid sit uerbum Dei, unde profectum, quibus reuelatū auctoribus, qui eius progressus, quæ dignitas & certitudo sit. Adsum iam iterū, Deoꝝ propitio & uestris precibus iuuantibus, exponā charitati uestræ, quibus & in quē finē reuelatū sit uerbum Dei. Quomodo sit audiendum, quæ eius sit uirtus, aut quis effectus.

Deus noster omnium hominum gentiumq; Deus est, qui iuxta apostoli dictum uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: ideoq; in omnium hominum gratiam uitam & salutem uerbum suum reuelauit, ut scilicet regula & uia quædam sit ducendi homines per uiam iustitiæ in uitam sempiternam. Israeliico quidem sancto & peculiari populo suo Deus quondam se familiarius aperuit quam alijs gentibus, propheta dicente, Annunciat uerba sua Iacob, & iudicia sua Israeli: non fecit taliter omnioni, & iudicia sua non manifestauit eis: atamen non omnino gentes neglexit. Ut enim Ionam Niniuitis misit, ita Isaias, Ieremias, Daniel & reliqui prophete multum operæ collocarunt in docendis & admonendis gentibus. Ac patres illi uetustissimi Noe Abraham & reliqui non erudierunt duntaxat Iudaicum de se descendentem populum, sed alios quoq; filios docuerunt Dei iudicia. Certè dominus noster Iesus Christus totum orbem apostolis suis aperiens, Docete, inquit, omnes gentes. Prædicate euangelium omni creaturæ. Cumq; sanctus Petrus nondum plene intelligeret etiam gentes pertinere in consortium ecclesiæ Christi, & gentium quoque esse prædicationem euangelij de paria per Christum fidelibus salute, erudit ipsum dominus cœlesti uisione uocibus item additis è cœlo, legationeq; à Cornelio ueniente: sicuti nouit charitas uestra ex historia Actuum apostolorum. Teneamus itaq; fratres uerbum Dei ac scripturas sanctas reuelatas esse omnibus hominibus, omnibus in mundo ætatibus, sexibus, ordinibus & cōditionibus. Nam & Paulus apostolus testificans de his, dicit, Quæcunq; scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Quibus reuelatum sit uerbu Dei.

Quid ad me, quid ueribus scriptum sit?

Nullus ergo nostrū dixerit post hac, quid ad me quid scriptū sit in testam, ueteri Iudæis, aut quid apostoli Romanis Corinthijs. & alijs

populis scripserunt. Ego sum Christianus. Prophetæ suis hominibus & apostoli suo seculo prædicauerunt & scripserunt. Nam si rem recte æstimemus, uidebimus ideo quia Christiani sumus scripturas ueteris & noui testamenti nobis esse recipiendas. Nam Christus & feruator & magister noster relegauit nos ad scripta prophetarum et Mosis, Sanctus Paulus Christi organum electissimum, nobis ueterum & sacramenta & exempla applicat, nempe circumcisionem in baptismo, ad Coloss. 2. & agnum paschalem in cœna siue mysterio 1. Cor. 5. In 10. cap. eiusdem epistolæ accommodat nobis uaria patrum exempla, Et in 4. cap. ad Rom. disputans de fide iustificante absq; adminiculo legis & operum, profert exemplum Abrahamæ. Deinde subiungit, Non scriptum est autem propter Abraham tantum imputatum fuisse illi fidem ad iustitiam, sed etiam propter nos quibus imputabitur si credamus, &c.

*Etiã ueteris testamenti scripta data esse Christianis.*  
*Hebr. 7.*  
*Hebr. 10.*  
*Roman. 12.*  
*Hebr. 13.*  
*1. Corin. 3.*

Ea lege aiunt quidam, implicabimur rursus legi, cogemur circumcidi, sacrificare carnes & sanguinem, recipere sacerdotium Aaronicum cum templo & reliquis ceremonijs. Permitteretur rursus diuortij aut repudiij libellus cum Polygamia. Respondeo in ueteri testamento considerandum esse quædam esse perpetua, quædam ceremonialia & ad tempus usq; correctionis data. Tempus correctionis Christi tempus est, qui satisfecit legi & sustulit maledictionem legis. Idem circumcisionem baptismo permutauit. Sacrificia omnia sustulit unico suo sacrificio, ut iam nobis unicum Christi relictum sit sacrificium pro omnibus, in quo item discimus nostra ipsorum corpora & preces unâ cum beneficentia spirituales Deo hostias offerre. Aaronis sacerdotium commutauit suo Christus & omnium Christianorum sacerdotio. Templum Dei sumus nos quos spiritu suo inhabitat Deus. Ceremonias omnes antiquauit Christus, qui et libellum diuortij abrogauit unâ cum polygamia apud Math. in cap. 19. Quamuis uero ceremoniæ istæ & actiones aliquot externæ, per Christum sint abrogatæ & sublatae, ut nos non obligent: scriptura tamen de his prodita, non est sublata uel antiquata per Christum. Oportet enim semper extare in ecclesia Christi certum testimonium, unde discamus quales habuerint ueteres cultus et typos Christi. Hi hodie nobis interpretandi sunt ecclesiæ spiritualiter, & ex ijs non minus quam noui testamenti scriptis Christus remissio peccatorum & pœnitentiæ prædicanda. Omnibus ergo Christianis etiam ueteris testamenti scripta data sunt diuinitus. Sicuti & apostoli ad omnes scripserunt ecclesias, quæ nomen aut inscriptionem singularum habent.

In hunc

In hunc autem finem reuelatum est uerbum Dei hominibus, ut eos erudiat de Deo & uoluntate eius, quis & qualis sit Deus erga homines, quod uelit eos saluos fieri, & per fidem quidem in Christu: quis sit Christus, & quæ salutis ratio: quid deceat ueros Dei cultores, quid fugiant, quid persequantur. Neque enim satis est nouisse Dei uoluntatem nisi eandem faciamus & salui fiamus. Ideo uero Moses dixit, Audi Israel statuta & iudicia, quæ ego doceo uos, ut faciatis & uiuaris. Et dominus in euangelio testificans clamat, Beati qui audiunt uerbum dei & custodiunt illud.

*In quem finem reuelatum sit uerbum Dei.*

Venit autem hic laudanda immensa Dei bonitas, quæ nihil eorum nos uoluit latere, quæ faciunt ad recte bene & beate uiuendū. Sapientes & docti huius seculi inuidet ferè alijs ueram sapientiam. Dominus autem noster ultro offert omnem rerum celestium scientiam, cupitque ut in ea proficiamus, imò iuuat studium nostrum & absoluit. Quisquis enim habet, ait ipse in euangelio dominus, dabitur ei ut reddatur abundantior. Et omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Vnde & beatus Iacobus apostolus, Si cui uestrum, inquit, deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat inquam omnibus simpliciter, nimirum prompte nec grauatim, nec exprobrat, ac dabitur ei. Vbi obiter etiam uidemus officium nostrū, quod est inter legendum & audiendum uerbum Dei sedulo & ardentem orare, ut ad eum finem perueniamus in quem datum aut reuelatum est nobis uerbum Dei. Sed ea de re plura dicemus ubi exposuerimus quomodo audiendum sit uerbum Dei.

*Laudanda bonitas Dei docētis nos*

Iam quia diximus uerbum Dei reuelatum esse in hunc finem, ut plene nos instituat de uis Dei ac salutis nostræ, paucis ostendam charitati uestre uerbo Dei tradito nobis per prophetas & apostolos abunde comprehensam esse uniuersam pietatis rationem & quæcunq; pertinent ad recte bene beateque uiuendum. Equidem necessè est illam doctrinam esse plenam & omnibus modis perfectam, cui nihil debet uel addi uel adimi. Talis est autem doctrina uerbo Dei tradita, ut testatur Moses Deut. 4. & 12. & Solomon Proverb. 30. Quis ergo non confiteatur omnia uerè pietatis nobis tradita esse in sacris literis? Præterea nemo negauerit absolutissimam esse doctrinam, per quā homo plene absoluitur ut in præsentī seculo pro iusto censeatur, & in futuro in perpetuum Dei accenseatur consortio. Cæterum qui uerbo Dei per prophetas & apostolos orbi tradito credit & iuxta id uiuit, & iustus appellatur & hæres uitæ æternæ. Est itaque doctrina illa, absoluta doctrina. Nam & Paulus cor. 2. Tim. 3. pius & plenius hoc declarans, Omnis scriptura, inquit, diuini-

*Omnia uerè pietatis nobis tradita esse in sacris literis.*

tus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correcti-  
 onem, seu instaurationem, ad instructionem, quæ est in iustitia, ut  
 integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Habetis  
 fratres luculentum de plenitudine uerbi Dei testimonium. Habetis  
 omnes partes absolutæ doctrinæ. Habetis effectum uerbi Dei  
 perfectissimum, quod ex hac doctrina homo Dei seu cultor Dei  
 pius & uere religiosus integer est, non ad quædam bona opera, sed  
 ad omne bonum opus apparatus. Quid ergo desideres? Non arbi-  
 tror quenquam tam esse stupidum ut hæc Pauli uerba interpretetur  
 duntaxat de ueteri testamento: cum luce manifestus sit, Paulum ista  
 applicasse Timotheo suo qui erat euangelista & minister noui testa-  
 menti. Quod si plena est doctrina testamenti ueteris, quanto qui-  
 dem plenior erit si & noui testamenti codex adijciatur? Non igno-  
 ro dominum Iesum fecisse & dixisse plurima quæ non sunt scripta  
 ab apostolis. Sed ideo non sequitur in absolutam esse doctrinam  
 uerbi Dei per apostolos traditi. Nam Ioannes apostolus & euange-  
 lista fateatur ingenue dominum & alia multa fecisse quæ non sint in  
 suo libro scripta: sed idem mox addit, Hæc autem scripta sunt ut cre-  
 datis quod Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam ha-  
 beatis per nomen eius. Afferit hac doctrina sua quam scripto com-  
 prehendit, plene fidem tradi & per fidem uitam concedi à Deo æter-  
 nam. Atqui finis absolutæ doctrinæ est felicem & uerè beatum esse.  
 Quod cum obtingat homini per doctrinam euangelicam scri-  
 ptam, certe absoluitissima est.

*Multa fe-  
 cit & dixit  
 dominus  
 que nõ scri-  
 pta sunt.*

*Multa ha-  
 beo uobis  
 dicere &c.*

Scio dixisse in euangelio dominum, Multa habeo quæ uobis  
 dicam: sed modo non potestis portare. Verum scio eundem mox  
 subiicisse, Cum autem uenerit Spiritus ueritatis, ducet uos in om-  
 nem ueritatem. Scio præterea uenisse Spiritum ueritatis in discipu-  
 los, itaque credo ipsos iuxta ueracem Christi promissionem, ductos  
 esse in omnem ueritatem, ut certissimum sit his nihil defuisse.

*Scripto cõ-  
 prehende-  
 rūt aposto-  
 li omne pie-  
 tatis doctri-  
 nam.*

Cæterum cum quidam hoc negare non possint, ad hoc conuers-  
 untur ut dicant apostolos quidem nouisse omnia, at non nisi uiua  
 uoce tradidisse, scripto non item commendasse omnia quæ ad ue-  
 ram pietatem pertinent. Quasi uerisimile sit fidelissimos Christi a-  
 postolos posteritati maligne aliquid uoluisse negare. Quasi uero  
 æternam. Nihil omisit ergo Ioannes quod ad fidem plene infor-  
 mandam pertinet. Nil omisit Lucas. Nil omiserunt reliqui aposto-  
 li & discipuli domini nostri Iesu Christi. Et Paulus scripsit epistolas  
 14. sed plerasque eiusdem argumenti. Vnde conijcere licet in ijs ple-  
 nam

nam contineri pietatis doctrinam. Non enim inculcasset subinde unam & eandem rem tam multis, si fuissent adhuc alia quædam pro consequenda salute necessaria plenius tradenda. Hæc tradidisset haud dubie non reperiuisset eandem rem toties. Certè in 3. capite epistolæ ad Ephesios testatur sese primis eius epistolæ capitibus exposuisse suam de euangelio Christi cognitionem, Deus secundum reuelationem, inquit, notum mihi fecit mysterium, quemadmodum ante scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Hæc autem de unica epistola, imò de primis duobus eius epistolæ capitibus loquutus est. Quibus cum accedat copiosissimæ & luculentissimæ eiusdem Pauli, adde & aliorum apostolorum literæ siue epistolæ, quis quæso nisi ineptissimus quisque cogitauerit apostolos imperfectam posteris doctrinam scripto reliquisse?

Qui uero acriter contendunt, uiua quidem uoce, non autem scripto, omnia pietatis tradita esse posteris per apostolos, hoc agunt, ut uas & con-  
ut uas, hoc est humanas constitutiones pro uerbo Dei uenditent. *fielias apo-  
stolorum tra-*  
Sed contra hoc uenenum istud habetote uobis fratres antidotum, *ditiones.*  
Conferte quæ isti uenditant pro uiuis non scriptis apostolorum traditionibus, cum manifestis apostolorum scripturis, & sicubi tradita illa à scriptis discrepare uideritis, colligite figmentum id esse hominum non traditionem apostolicam, Qui enim unum & eundem spiritum habuerunt ueritatis non aliud scripto nobis reliquerunt, aliud uiua uoce tradiderunt. Præterea diligenter inuestigandum est, traditiones illæ gloriam Dei magis an hominum, incolumitatem item fidelium magis quam priuatum sacerdotum compendium promoueant. Cauendum est autem ab humanis traditionibus, præsertim cum dominus dicat, Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum: ut iam uulsiimum sit adhærere uerbo domini, nobis in scripturis relicto, abunde omnia quæ ueræ pietatis sunt tradente.

Restat iam ut dicamus quomodo perfecta hæc pietatis & salutis doctrina ipsum inquam uerbum Dei sit audiendum à fidelibus, quo aliquo & ubere quidem cum fructu audiatur. Summatim id comprehendam. Audiatur uerbum Dei cum reuerentia magna, quæ iure ipsi deo rebusque diuinis debetur. Audiatur multa cum sedulitate: intermixtis iugibus precibus, ardentibusque uotis. Audiatur utiliter & sobrie, in hoc ut reddamur meliores, ut per nos glorificetur Deus: non ut curiose perquiramus consilia Dei abdita, aut habeamur docti & multarum rerum periti. Sit modus &

*Quomodo  
audiendū  
sit uerbum  
Dei.*

certus finis auscultationi & lectioni nostræ constitutus, fides uera, gloria Dei & salus nostra. Nam in Exodo iubetur sanctus Dei seruus Moses sanctificare populum & præparare concionæ sacræ, postmodum ab ipso Deo habendæ. Adest ergo Moses & præscit ab uniuerso populo obedientiam iustam tam Deo quam ministris dei præstandam. Deinde præcipit uestimenta sua lauere sibiq; temperent ab uxoribus. Postea terminos designat certos quos nephas imò capitale sit transire. Ex quibus liquide discimus quales auditores requirat dominus, in primis obedientes & reuerentes Dei in omnibus. Deus enim loquitur hominibus, Deo honorem & timorem debemus omnes, Deo nisi quis supplex ac humiliter subiiciatur & obtemperet impius est. Deinde requiritur ab idoneis uerbi Dei auditoribus, ut conuersationem deponant mundanã, per uestimenta significatam: ut calcemus omnẽ spurciam, animæ & corporis impuritatem: ut temperemus nobis uel à licitis uoluptatibus. Amat spiritus sanctus animos purgatos, qui tamen non nisi per spiritũ Dei purgantur. Opus est fide sincera in Deum, & uoluntate prompta quæ cupiat uiuere secundum ea quæ præcipiuntur uerbo Dei. Iam etiam sapiendum est ad sobrietatem. Reijciendæ quæstiones curiosæ. Discantur duntaxat utilia. Postremo summa adhibeatur in audiendo & discendo diligẽtia. Solomon enim, Si indagaueris, inquit, sapientiam ut aurum, assequeris eam. Idem, Scrutator maiestatis operitur à magnifica gloria. Item, Altiora te ne quæseris, & ne scruteris quæ uires tuas superant: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium abscondita uidere oculis tuis. Vnde & apostolus, Ne quis arrogãter sentiat, ait, sed ita sentiat ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensuram fidei. Huc pertinet quod idem apostolus dicit, Scientia inflat, charitas autem ædificat.

*Morbi & pestes auditorum uerbi Dei.*

In primis uero ab illis cauendum erit pestibus, quæ semen uerbi Dei præfocant & sine fructu omni extinguunt in cordibus auditorum. Pestes & morbos illos recitauit aut annumerauit dominus in parabola seminantis. Principio enim fluxæ & uanæ cogitationes semper patentes inspirationibus satanicis & pessimorũ hominum sermonibus, pestes sunt uerbi Dei. Molles quoq; delicatuli & amatores huius seculi qui propter Christum & euangelium nihil perpeti calamitatum sustinent, nullo cum fructu uerbum Dei audiunt, tamen si uideantur audire cum gaudio. Præterea cura huius sæculi deceptioq; diuitiarum, pestilentissimi sunt morbi auditorũ uerbi domini. Non enim obstant tantũ quo minus fructificet semen in cordibus,

dibus, sed incitant extimulantq; homines ad contradicendū uerbo Dei affligendumq; uerbi Dei studiosos. Hic ergo uigilandū accuratissime, ne his morbis infecti uani & ingrati efficiamur auditores uerbi Dei. Orandum assidue ut spiritū suum nobis conferat benignus & munificus dominus, quo uiuificetur semen uerbi Dei in cordibus nostris, ac sancti & legitimi auditores uerbi Dei fructum uberem feramus ad gloriam Dei & nostrarum animarum salutem perpetuam.

Quid enim profuerit audire uerbum Dei sine fide & sine spiritu Dei sancto intus in animis nostris operante aut agente? Clamat apostolus Paulus, Nihil est qui rigat aut qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Dei ergo irrigatione opus est ut adolescat in animis nostris, & incrementum recipiat, imò ad iustam frugem perueniat uerbum Dei. Idem apostolus Paulus, Nobis quoq; annuntiatum est uerbum Dei, ait, sicut & patribus nostris. At non profuit illis audisse sermonem, quod is non esset cum fide coniunctus apud eos qui audierant. Nam conciderunt in deserto. Idem mox, Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodem concidat incredulitatis exemplo. Proinde si soner in auribus nostris uerbum Dei, interim autem in cordibus nostris uim suam exerat spiritus Dei, fideq; uera uerbum Dei recipiamus, maxima uirtus & mirificus effectus est uerbo Dei in nobis. Depellit enim errorum caliginem, oculos nostros aperit, conuertit, illuminat mentes & in absoluta ueritate & pietate plenissime erudit. Canens enim uates diuinus testificatur & ait, Lex domini integra est conuertens animas, testimonium domini uerum, imperitis sapientiam suppedians. Præceptum domini repurgatum est, illuminans oculos. Cibatur præterea uerbum Dei animas nostras, roborat, confirmat & consolatur. Regenerat item, mundat, gaudio perfundit, & cum Deo coniungit, imò impetrat à Deo omnia & felicissimos reddit, ut uerbo Dei nulla bona, nulli deniq; thesauri totius mundi conferri possint. Ac tanta quidem tribuimus uerbo Dei non citra uerbi Dei testimonia. Nam minatur dominus per prophetam Amos famem & sitim, non utique panis & aquæ, sed audiendi uerbum Dei. In lege enim & euangelio dicitur hominem non solo pane uiuere, sed omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Et apostolus Paulus dicit, omnia scripturæ exarata esse in nostram doctrinam, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Petrus item, Regenerati estis, inquit, non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem uiuentis Dei & manentis in æternum, Hoc autem

Que uirtus, & quis effectus sit uerbi Dei.

Psal. 19.

Amos 8.

Deut. 8.

Matth. 4.

Rom. 15.

1. Pet. 1.



DE VERBO DEI

- est uerbum quod per euangelium delatum est ad uos. Dominus quoq; in euangelio testificatur, & ait, Iam uos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Idem in euangelio clamat, Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus. Iam & Ieremias, Verbum tuum, inquit, factum est mihi in gaudium. Et Dauid propheta dicit, Decreta domini recta sunt cor exhilarantia. His adde illud domini ex euangelio dictum, Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis pereritis, & fiet uobis.
- Ioan. 15.* Alibi uero propheta clamat. Si uolueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quod si audire uerbum meum nolueritis, gladius deuorabit uos. Sed & multus ac copiosus est Moses in recensendis bonis, quæ obueniunt uerbo Dei obsequentibus in Leuitici capite 26. & *Ioan. 14.* Deut. 28. cap. Vnde Dauid, Verbum Dei omnibus huius mundi delictijs & thesauris præferre ausus fuit, canens, Timor domini mundus perstans perpetuo, iudicia domini uera simulq; iusta. Magis expeuitibilia quam sit aurum uel præstantissimum atq; plurimum, & dulciora melle & fauis stillantibus. Etenim seruus tuus perspicue illis admonetur, in illorum obseruantia multa merces est, Ergo tui oris lex melior mihi est, quam auri & argenti millenarij. Nisi lex tua meæ delictiæ essent, periissem in miseria mea. Huc iam pertinet parabola euangelica de emente margaritam preciosam, item de uendente omnia quæ habebat & emente agrum in quo sciebat absconditum esse thesaurum. Nam margarita illa, thesaurus ille, euangelium siue uerbum dei est. Quod & propter præstantiam in scripturis appellatur Lux uel lumen, Ignis, Gladius, Malleus cõterens petras, *Math. 13.* Clypeus, & quæ illis alia sunt similia multa.
- Psal. 119.* Audiuit hac hora charitas uestra benignum dominum & deum nostrum, qui uult omnes homines saluos fieri & ad cognitionem ueritatis uenire, uerbum suum reuelauisse omnibus in toto mundo hominibus, atq; in hunc finem reuelauisse, ut omnes ubiq; cuiuscunq; sint sexus ætatis & conditionis homines cognoscant ueritatem, erudianturq; de uera salute, habeantq; absolutissimam bene reete & beate uiuendi rationem, ut homo Dei integer fit & ad omne bonum opus apparatus. Tradidit enim dominus in uerbo ueritatis ecclesiæ suæ omnia quæ ueræ pietatis & salutis sunt. Quæcunque de Deo, de operibus, iudicijs, de uoluntate & præceptis Dei, de Christo, fideq; in Christum & officijs uitæ sanctæ cognitu necessaria sunt, plene uerbo Dei tradita sunt. Nec opus est ecclesiæ aliunde medicare aut sarcire hominum supplementis quod deesse uideretur uerbo domini.
- Psal. 119.*  
*Prouer. 30.*  
*Hebr. 4.*  
*Iere. 23.*  
*Epilogus.*

Dominus enim non uia duntaxat uoce omnem pietatem & salutem docuit patres nostros per apostolos, sed & eorundem opera scripro comprehendi curauit. Id quod manifeste propter posteritatem, id est, propter nos & posteros nostros factum esse apparet, nimirum ne quis nostrum aut nostrorum seduceretur, aut ne cui falsæ traditiones pro ueris subijcerentur. Cauendum ergo nobis omnibus, uigilandum est omnibus, inhærendumq; uerbo dei in scripturis per prophetas & apostolos nobis relicto. Curemus deniq; neruis omnibus, ut cum fide & fructu audiamus quæ annunciantur nobis à domino. Abijciamus & calcemus quæcunq; ex carne nostra aut ex mundo sathanæ obijciuntur impedimenta pietatis. Scimus qui sint morbi quæ pestes seminis uerbi Dei seminati in corda fidelium. Scimus quæta sit uirtus uerbi Dei in religiosis auditoribus. Oremus ergo Deum & dominum nostrum, spiritum suum sanctum infundat animis nostris, cuius uirtute uiuificetur semen uerbi dei in cordibus nostris, multumq; fructus ferat ad salutem animarum nostrarum & gloriam dei patris nostri. Cui gloria semper.

*De sensu & expositione legitima uerbi Dei, quibus modis & rationibus exponi possit.*

## S E R M O III.



**I**NTELLIGO, fratres dilecti, ex doctrina mea de uerbo Dei uarias in multorum cordibus cogitationes exoriri, imò à quibusdam seri sermones satis irreligiosos. Sunt enim qui arbitrantur scripturas, id est ipsum dei uerbum, obscurius esse, quàm quod ullo possit legi cum emolumento. Alij ex aduerso contendunt uerbum Dei à Deo simpliciter hominibus traditum, nulla indigere interpretatione. Clamant ergo scripturas legi oportere quidem ab omnibus, omnibus autem licere sibi sensum fingere deligereq; quem putet quisq; maxime conuenientem esse. Illi ipsi damnant modum in ecclesijs receptum, quo minister ecclesiæ cæteri scripturas explanat. Ego uero, si charitas uestra, uti cœpit perrexerit precari dominum, domini boni tati fretus, confido me demonstrare posse, Scripturam non esse obscuram pijs, dominumq; omnino uelle ut eam intelligamus. Deinde scripturas omnino esse exponendas. Vbi etiam modum & rationes aliquot simplices interpretandi scripturas explicabo. Remouebunt hæc obstacula, quæ à lectione uerbi Dei arcant, reddentq; lectionem uel auscultationem uerbi Dei salubrem atq; frugiferam.

Ac principio quidem quod Deus uelit intelligi uerbum suum ab

*Deus uult  
uerru suum  
intelligi.*

DE EXPOSIT. VERBI DEI

hominibus, inde potissimum possumus colligere, quod loquens seruis suis, genere dicendi usus est maxime vulgari ipsi etiam idiotis consueto. Neque alio dicendi genere usi leguntur prophetae & apostoli serui Dei summae & aeternae sapientiae interpretes: ut in omni scriptorum turba non inuenias ullos qui simplici magister per spicuo stilo praecellant. Creberrime utuntur sententijs generalibus & uulgarijs, similibus, parabolis, collationibus, fictis narrationibus, exemplis & id genus alijs formis, quibus uulgarem sensum hominibus nihil magis mouet & clarius docet. Oboritur, fateor, aliqua in scripturis caligo ex idiomate schematicis & insolentia linguarum. Verum ei difficultati facile mederi poterit studium, diligentia, fides & peritia interpretum. Iam & Petrus apostolus dicit in Paulinis epistolis quaedam esse difficilia intellectu. Sed mox addit, quae indocti parumque integri aut firmi detorquent, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Vnde colligimus indoctis imperitis parum exercitatis & malignis aut corruptis ingenijs, non studiosis & pijs lectoribus aut auscultatoribus difficilem esse scripturam aut obscuram. Proinde cum Paulus quoque dicit, Si adhuc uelatum est euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, in quibus deus huius saeculi excacauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen euangelij gloriae Christi, qui est imago Dei: culpam obscuritatis non in ipsum Dei uerbum, sed in auditores parum idoneos retorquet. Curemus itaque quicumque uerbum Dei recte intelligere cupimus, ne sathanas animos nostros occupet & oculos praestringat. Nam & saluator noster dixit in euangelio, Haec est condemnatio, quod lux uenit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras quam lucem. Alioqui legimus sanctos Dei prophetas & apostolos uerbum Dei siue scripturas appellasse non tenebras, obscuritatem aut caliginem, sed iubar quoddam atque lucernam. Lucerna, inquit Dauid, pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Et quid quaeso manifestius est, quam quod in rebus dubijs & obscuris illustrandis, nemo relegat ad caliginosa & incerta? Incerta dubia & obscura declarantur, per certiora firmiora & clariora. At quoties in fidei negotijs quaestio aut controuersia incidit, an non omnes consentiunt scripturis illam dirimi dissoluitque oportere? Proinde de necesse est scripturas esse claras disertas certissimasque.

*Verbum Dei expositionem requirit.* Quamquam uero clara sit scriptura & uerbum Dei apertum, non tamen respuit expositionem religiosam seu piam, imo expositio sancta addit uerbo Dei ornamentum, & profert in auditore pio fructum multiplicem, Quoniam autem multi negant scripturas esse exponendas,

nendas, ostendam exemplis irrefragabilibus omnino exponendas  
 esse. Nam Deus ipse legis uerba prolata in monte Sina ad totā Israe-  
 lis ecclesiā scriptāq; in duas tabulas, multis colloquijs per 40. dies  
 & annos habitis cum Mose, exponit ecclesiā per Moysen, qui nobis  
 Deuteronomium & alios quosdam libros ceu diuinæ legis Com-  
 mentarios reliquit. Insequūti sunt mox prophetae qui legem Moysi  
 interpretantes suis temporibus locis & hominibus applicauerunt,  
 & sermones suos uelut Enarrationes diuinæ Legis scriptos relie-  
 runt posteris. In Nehemia cap. 8 legimus in hæc uerba, Attulit sa-  
 cerdos Esdra legem, librū Moysi, & stetit super turriculam ligneam, *Solemnia*  
 nimirum in sacra cathedra, Et aperuit Esdra librum coram ecclesia *expositio*  
 ex uiris & mulieribus, & quicumq; intelligentes erant, Et Leuitæ sta- *uerbi Dei.*  
 bant cum eo. Ipse uero legit ex libro & Leuitæ docebant populum  
 in lege, & populus erat in statione sua. Et legerunt in libro legis Dei  
 luculeter, explicantes sensum, & erudientes inter legendum. Hæc  
 Nehemias. Obseruate frares quod legitimi & sancti ecclesiæ Dei  
 ministri uerbum Dei non tantum legerunt sed exposuerunt etiam.  
 Hunc ritum legēdi & explicandi scripturas uel uerbum Dei nec ab-  
 rogauit neq; neglexit, cum in carnem uenisset dominus noster Ie-  
 sus Christus, atq; iā uerus propheta & doctor cœlestis, adeoq; noui  
 testamenti aut Christianæ ecclesiæ doctor instrueret suū populū. Na-  
 zarethi enim synagogam ingressus surrexit ut legeret: & traditus est  
 illi liber Isaïæ prophetae. Explicuit autem librum, & legit locū quen-  
 dam insignem ex cap. 61. Deinde complicuit librum, ministro reddi-  
 dit, & quod prælegerat exposuit, demonstrans uaticinium iam esse  
 in ipso completum. Præterea cum resurrexisset ex mortuis, comi-  
 tem se iungit duobus discipulis Emaum eunibus, cum quibus con-  
 tulit uaria: tandem uero exorsus à Mose & omnibus prophetis, in-  
 terpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Hoc do-  
 mini exemplum imitari apostoli & ipsi uerbum Dei exposuerunt.  
 Nam Petrus Psalmum 16 interpretatur de Christo resurgēte ex mor-  
 tuis, in Actis apostolorum cap. 2. Sed & Philippus principi Aethyo-  
 pico Isaïæ uaticinium luculenta interpretatione aperit, & ea ipsum  
 ad fidem Christi ecclesiæq; consortium adducit. Pauli facta & scri-  
 pta nec legit nec uidit, quisquis negauerit Paulum ubiq; sacras in-  
 terpretari scripturas. His dilucide & solide satis, opinor, demonstra-  
 ni uerbum Dei esse exponendum.

*Quid que-  
 rant qui*

*scripturas  
 exponi no-  
 lunt.*

Qui uero expositioni scripturarum reclamant & nolunt mini-  
 stros uerbi ac ecclesiarum publice & solenniter enarrare scripturas  
 easq; applicare locis, temporibus, rebus & personis, aliud quam pie

DE EXPOSIT. VERBI DEI

ratem quaerunt. Viaunt isti aliter quam deceat pios uiros. Loquuntur impia indecora & absurda. Designant scelera & flagitia. Et haec quidem cupiunt facere impune: itaq; sublatam uolunt scripturarum expositionem. Si enim quis uerba duntaxat scripturae legat, nec applicet rebus, locis, temporibus & personis, non admodum ipsorum impietati & sceleratae uitae contradixisse uideatur. Proinde cum clamant e medio auferri oportere contiones & expositiones scripturarum, scripturas pure & sine additione legendas esse, non aliud uolunt, quam abijcere legem Dei, disciplinam & correptionem omnem calcare, ac peccare impune. Quos tamen suo tempore iustus dominus puniet tanto grauius, quanto audacius insurgunt contra Deum.

*Non sunt corrupti* Caendum erit interim omnibus ecclesiarum ministris ne uel hic affectui tanillum indulgeant, uel scripturas sanctas interpretantur de modo ecclesiae sua fragmenta, & hoc modo ecclesiae sua fragmenta, non uerbum peregrini Dei, proponant. Tale quidpiam uidentur designasse ueteris quondam populi doctores quos apud Ezechielem accusans dominus dicit, An leue uobis est quod pascea bona depasciis, nisi residua pasceuorum uestrorum pedibus uestris conculcatis, & bibentes limpidiores aquas, residuas pedibus uestris conturberis? Et oues meae conculcatum pedibus depascunt & conturbatum pedibus uestris bibunt. Grande hoc est flagitium quod dominus pro iustitia sua punit grauisime. Curandum itaq; interpretibus sanctis & fidis Christi ecclesiarumq; ministris ut scripturas integras retineamus, & uerbum Dei purum tradamus populo Christi, illustratum inquam non corruptum aut obscuratum ineptis detortis, & non nauis nostris expositionibus.

*Scripturae sanctae non sunt exponendae ingenio humano.* Ac locus quidem & tempus postulant ut modo non nihil dicamus C. V. de interpretandis scripturis sanctis, uel de exponendo uerbo Dei. Vbi non commemorabo quicquam de linguis linguae rumq; peritia, aut de bonis artibus, bono interpreti necessarijs, sed generalia duntaxat perstringam. Imprimis uero sciendum est quaedam in scripturis uel uerbo Dei tam clare proponi, ut nec indigeant expositione nec recipiant ullam enarrationem. Quae si quis pergat suis illustrare interpretationibus, nihilo prudentius facere uideatur quam si quis conetur facibus aut tædis exorientem iuuare solem, quo orbi clarius illucescat. Quae autem ita posita sunt ut nostram postulent expositionem, non pro nostri animi arbitrio sunt interpretanda, sed pro eius ingenio & sensu qui scripturas reuelauit. Nam S. Petrus, Omnis prophetica scriptura, inquit, non est priuatae interpretationis

terpretationis. Non enim uoluntate hominis allata est olim propheta: sed à spiritu sancto impulsì, locuti sunt sancti Dei homines. Proinde sensus uerbi Dei genuinus ex ipsis est petendus scripturis, nō inferendus ex nostro arbitrio in scripturas. Simul autē Canones aliquot obseruādi sunt, quos per sequētia paucis perstringētes proferemus.

Principio cū apostolus Paulus uelit prophetiā respondere analogia seu proportioni fidei: sicut legis ad Rom. 12. & idem in postere ad Corinth. dicat, Cum habeamus eundem spiritū fidei, iuxta illud quod scriptum est, Credidi, & ideo locutus sum: & nos credimus quapropter & loquimur, catholicū sit nihil adferre in expositio- nibus nostris, aut nihil recipere quod alij adduxerint cōtra receptos fidei articulos in symbolo apostolorū & alijs uetustissimis symbolis cōprehensos. Nam pro ueritate possumus aliquid, ait apostolus, contra ueritatē nihil possumus. Legentes ergo in euang. Ioannis illud domini dictū, Pater maior me est, cogitabimus articulis fidei cōtrariū esse inæqualitatē cōstitūere aut admittere in diuinitate patris & filij, & proinde aliud sensisse dominū quā ipsa uerba prima protinus fronte significare uideātur. Rursus cum in apostolo legimus, Impossibile est ut qui semel fuerint illuminati, si prolabātur denuo reparentur per penitentiā: ne credamus lapsis negandam esse penitentiā. Fides enim catholica credit omni loco, omni tēpore, quoad in his terris uiuimus, & omnibus hominibus ad dominū conuersis promissam esse omnium delictorū ueniam. Ita cum audimus dominum accepisse panē & de pane dixisse, Hoc est corpus meum, reuocemus in memoriā articulos fidei, tribuentes domino nostro uerum & humanū corpus quod ascendit in cælos, sedet ad dexterā patris, inde uenturū iudicare uiuos & mortuos, ac cogitemus dominū de sacramento locutū, uelle ut sacramentalia uerba exponamus sacramentaliter, non transubstantialiter. Similiter legentes illud apostoli, Caro & sanguis regni Dei hereditatē consequi nō possunt, ne ex his uerbis protinus pronūciamus, sed articulo fidei inharētes, Credo huius carnis resurrectionē, intelligamus per carnē & sanguinem affectiones & infirmitates, nō naturā substantiamue carnis nostræ.

Deinde legimus dominum legis & prophetarū summā colligere ac dicere in euāgelio, Diliges dominū Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est primū & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex & propheta pendet. Matth. 22. Propter hæc domini uerba beatus Aurelius Augusti, lib. de Doct. Christ. 1, cap. 36. Quisquis inquit, scripua

*Expositio  
scripturæ  
non aduer-  
setur fidei  
articulis.*

*Expositio  
non pugnet  
cum chari-  
tate Dei et  
proximi.*

ras diuinas uel quãlibet earũ partẽ intellexisse sibi uideretur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis uero inde talem sententiam duxerit, ut huicædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Hoc Augustinus scriptum reliquit. Cauendum ergo modis omnibus ne nostra interpretatio tendat in subuersionẽ charitatis, sed hanc prouehat & omnibus cõmendet. Dixit quidem dominus, Ne restiteritis malo. Caterum si hæc uerba etiam magistratui dicta esse conuendamus, uiolabitur & è medio tolletur charitas proximi, periclitantium salus, oppressorumq; defensio. Nam latrones & contumaces homines, raptiores & contumeliosi opprimẽt uiduas pupillos & pauperes, regnabitq; & exultabit omnis iniquitas. Porro plurib. exẽplis in re manifestissima nõ arbitror esse opus.

*Expositio præcedẽtia & cõsequẽtia item circumstãtias excutiat.* Præterea necessarium est in exponendis scripturis & sensu uerbo uino uerbi Dei indagando, expendere, qua occasione quid dicatur, quid præcedat, quid sequatur, quo tẽpore aut modo, aut de qua persona aliquid dictum sit. Ex occasione, ex præcedentibus & consequentibus sententijs exponuntur ferè exempla & parabola. Imò nisi quis semper obseruet in omnibus scripturæ locis contextum orationis, idq; diligentissime, exponendo non poterit nõ plurimum à iusto aberrare tramite. Obseruauit S. Paulus circumstantiam temporis & inde conclusit Abrahamum neq; circumcisione neque lege fuisse iustificatum. Loci extant Roman. 4. & Galat. cap. 3. Rursus cum S. Petro dicitur, Conuerte gladium tuum in uaginam. Qui gladium sumit, gladio perit: considerandum est Petrum apostoli non magistratus gerere personam. De magistratu enim legimus datum ei gladium ad uindictam. Prolixum autẽ esset nedum laboriosum plura de singulis coaceruare exempla.

*Expositio uerbi Dei fiat per collationẽ locorum.* His iam accedit & alia ratio interpretandi uerbum Dei, collatio uidelicet locorum uel similium uel dissimilium, & quod obscuriores per clariores, item pauciores per plures sunt exponendi. Ergo cũ dominus dicit, Pater maior me est, cogitandum est quod alibi idem dicit, Ego & pater unum sumus. Cumq; Iacobus apostolus dicit operibus & Abrahamum & nos iustificari, plures ex sancto Paulo loci, huic sunt opponendi. Probauit hanc interpretandi rationẽ Petrus apostolus dicens, Habemus firmiorem sermonem prophetiũ, cui dum attenditis, ceu lucernæ in obscuro loco, recte facitis, donec dies illucescat & lucifer exoriat in cordib. uestris. Verustus scriptor Tertullianus auctor est hæreticos, nõ uiros orthodoxos, quædã ex scripturæ

scripturis ad suam sententiam decerpere, ac cætera non intueri. Ita paucula sibi deligere testimonia, quibus omnino credi postulent, reclamante interim tota scriptura: cum oporteat secundum plura intelligi pauciora.

His omnibus addimus iam omnium efficacissimum uerbū Dei exponendi canonem, pectus Dei & gloriæ eius amans, non superbum, non ambitiosum, non hæresibus, non prauis corruptum affectibus: quod precibus indefinentibus uocet spiritum sanctum, per quem prodita & inspirata est scriptura, ut per eundem etiam explicetur ad gloriā Dei & fidelium incolumitatem. Ardeat interpretis animus studio prouehendi uirtutes, & odio omnium scelerum, eaq; opprimendi. Ne admittat huiusmodi interpretis pectus in cōsiliū sophisticam diabolū, qui sensum uerbi Dei, nunc quoq; sicuti olim in paradiso, corrumpat. Ne audiat humanam sapientiā directe spiritui Dei contradicentem. Hæc si fecerit bonus & fidelis interpretis uerbi Dei, etiam si alicubi non atigerit (quod dici solet) acu occultiorē scripturæ sensum, error tamen ille nec damnandus erit nec perniciosus iudicabitur. Et quisquis occultiorē & magis propriū scripturæ sensum protulerit, imperfectior tamen illius sensum nō damnabit: quemadmodum & hic imperfectioris uidelicet sensus author, magis propriū non reiiciet, sed agnoscens recipiet cum gratiarum actione.

Ita diximus hucusq; de sensu & expositione uerbi Dei: quod ut hominibus reuelauit Deus ita illud omnino uult intelligi. Vnde nō est quod quisquam desperet de genuino sensu scripturæ, propter aliquot difficultates, assequendo. Admittit piā & religiosā interpretationem scriptura. Verbum Dei regula est uitæ omnium hominum & temporum. Omnibus ergo temporibus & omnibus hominibus interpretando applicandum est. Nam ipse etiam Deus noster legem quam in monte Sina tulerat aut promulgarat, multis per Moysen exposuit, populoq; suo aptauit. Præterea celebre fuit uetustis prophetis & legem Dei populo prælegere, & explicando aptare. Exposuit scripturas ipse quoq; dominus noster Iesus Christus. Exposuerunt eisdem & Apostoli. Exponendum est itaq; uerbum Dei: quod qui exponi nolunt, uolunt utiq; peccare impune. Cæterum quia expositionem recipit scriptura, nō quamlibet recipit: humanam enim repellit. Sicut enim scriptura reuelata est ex spiritu Dei, ita per eundem ipsam explanare cōuenit. Sunt itaq; Canones aliquot pie exponendi uerbum Dei ex ipso uerbo Dei: nempe ne expositio fidei articulis contradicat, aut cum charitate Dei & proximi pugnet: sed ut cir-



DE FIDE VERA

cum specta sit, petita ex præcedentibus & consequentibus diligenter pensatis omnibus circumstantijs, locorumq; collatione. In primis autem necesse est peccatus interpretis piû sit, virtutes plâtatâ uitiaq; exita pata modis omnibus uelit, deniq; quod iuges fundat ad dominum preces, ut is animos nostros illuminet quo glorificetur nomẽ dei in omnib. Ipsius est em̃ gloria honor et regnũ, in secula seculorũ, Amẽ.

De fide uera, unde oriatur, quod sit certa persuasio mentis, & inniatur Deo & uerbo eius. SERMO IIII.

**D** O C V I sermone proximo sanam uerbi Dei expositionem nihil discrepare à regula fidei uerq; & à dilectione Dei & proximi. Est enim adulterinus scripturæ sensus proculdubio, qui cum fide pugnat & gemina dilectione. Proinde consequens est ut iam etiam dicamus aliquid de fide uera, & de dilectione Dei atq; proximi, ne quid hic desideretur à quoquam. Principio autem Deo iuuante & uestris intercedentibus precibus disseram de fide uera.

*Fides.*

Vocabulum fidei patet in sermonibus hominũ latissime. Accipitur enim pro religione & cultura qualibet. Nam dicimus fides Christiana, fides Iudaica, fides Turcica. Deinde sumitur fides pro opinione concepta ex relatione aliqua, ueluti cum audimus nobis recitari aliquid ex Indianis aut Aethiopicis historijs, dicimusq; illa nos credere, in quæ tamen non collocamus ullam fiduciam, aut ex quibus nihil omnino speramus utilitatis. Hac significatione ait S. Iacobus diabolus credere & contremiscere. Postremo usurpatur fides pro certa & indubitata in Deum & uerbum eius fiducia. Apud Hebræos fides nomen habet à ueritate certitudine & constantia. Latinis dicitur Fides quod fiat quod dicitur. Vnde ille, Interrogo te utrum credas? Dic s, Credo, Fac quod dicis, & fides est. Proinde in argumento nostro fides est indubitata & persuasissima fiducia.

*Definitioes fidei.*

Hæc fides quæ persuasissima ac indubitata est persuasio aut fiducia ac in Deum & uerbum eius tendit, uarie describitur à purioris notæ theologis. S. Paulus, Fides, ait, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia siue hypostasis basis seu fulcrum est firmissimum illud quod nos sustinet, & cui nos tuto innitimur atq; incumbimus. Res sperandæ sunt res cœlestes æternæ ac inuisibiles. Dicit itaq; Paulus, Fides est immota subsistens & certissima fiducia rerum à Deo promissarum, uitæ æternæ uideri licet & omnium bonorum. Cæterum ipse Paulus expositionem eorum

rum quæ atulerat proferens sabnectit, fides est argumentum non apparentium. Argumentum uel elenchus est euidens demonstratio, qua euincimus manifestissime quod alioqui dubium esset, ut in eo quem sumpsimus erudiendum, nulla superfit dubitatio. Iam uero mysteria Dei prodita oraculis Dei in se siue in natura sua cerni non possunt oculis corporeis, unde appellantur non apparentia. Fides aut illa mente illuminata corde apprehendit, uti sunt proposita Dei uerbo. Idcirco fides est, iuxta finitionē Pauli, euidētissima mentis uisio & certissima cordis cōprehensio rerū inuisibiliū, id est æternarū Dei inquam & eorū omnium quæ nobis de rebus diuinis proponit uerbo suo. Ad hanc Paulinam definitionē respexerunt qui fidem sic finierunt, Fides est rerum diuinarū persuasio, quarum cogitationi ita incumbere debemus, propter oraculorum fidem, ut non minus ea cernere animo credamus, quam oculis res sensu perceptas & aspectabiles cernimus. Ab hac finitione non multum discrepat hæc uiri cuiusdam pij & docti definitio, Fides est firma animi persuasio, qua nobiscum statuimus iam certam esse Dei ueritatem, ut non possit non præstare quod se facturū sancto suo uerbo recepit. Item, Fides est firma conscientix ceritudo quæ Christū amplectitur, qualis nobis per euangelium offertur. Est alius quidam qui ad eundem ferē modum fidem sic describat, Fides est donū diuinitus infusum menti hominis, qua citra ullam hæsitantiam credit esse uerissima, quæ cunq; nobis Deus per utriusq; testamenti uolumina tradidit atq; promittit. Fidem ergo extendit idem ille ad tria tempora, ad præteritum, præsens & futurum: uidelicet credendum docens mundum à Deo conditum, & quicquid superioribus seculis gestum narrant diuinæ literæ: item Christū pro nobis mortuū, unicam salutem esse credentiū: deinde ab eodem Deo & hodie mundū ecclesiamq; gubernari, & credentes in Christo saluari: postremo euenturum certissime tum impijs quæ minātur, tum pijs quæ pollicetur sacræ literæ.

*Descriptio  
uera fidei.*

Ex istis ergo omnibus diligenter expensis fidē secundū scripturas ita possumus describere, Fides est donū dei, homini cœlitus infusum quo edoctus indubitata persuasionē in Deū & uerbū eius innititur, per quod à Deo in Christo uita omnēq; bonū gratis promittitur, omnisq; ueritas credenda exponitur. Quā descriptionē fidei cōsequētib; explicabimus, deo iuuāre, per partes, adductisq; scripturarū locis ipsam & cōfirmabimus & illustrabimus. Vos quod fecistis hæcenus, diligentes auditores este, inq; animis uestris sedulo orate.

*Origo  
causa fidei.*

Principio causa & origo fidei deducitur non ex homine ullo uel nullis hominum uiribus, sed ex ipso Deo, qui per spiritum S. infundit

in corda nostra fidem. Dominus enim in euangelio dixit, Nemo uenit ad me nisi pater meus traxerit eum. Et iterum, Caro & sanguis (ait dominus ad Petrum uera fide agnoscentem Christum) non reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est. Quo alludens etiam apostolus, Non idonei sumus, ait, ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Et iterum, Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum creditis, uerum etiam ut pro illo patiamini. Fidem ergo infundit cordibus nostris Deus, qui est fons & origo bonorum omnium,

*Per uerbum Dei plantatur fides.* Vbi tamen considerandum uenit, Deum in donanda aut infundenda fide non uti absoluta potentia aut miraculo, sed medio & ordine congruo hominibus: quauis etiam sine illo medio fidem donare possit, quibus quando & quomodo uult. Ordine uero ab ipso rerum exordio hoc usus legitur dominus, Quos erudire & fide donare statuit, ijs mittit doctores, qui uerbo Dei ueram fidem tradant. Non quod in hominum potestate arbitrio aut ministerio sit dare fidem, aut quod externum uerbum ab homine annunciatum per se aduehat fidem: sed uox hominis & uerbum Dei annunciatum erudit homines quae sit uera fides, qui due credendum uelit praecipiatque Deus: hic uero solus demisso in corda & mentes hominum spiritu sancto, aperit corda, impellit mentes, efficitque ut toto corde credamus quod ex eiusdem uerbo & eruditione credendum esse intelleximus. Potuisset dominus Cornelio centurioni apud Caesaream Stratonis citra praedicationem caelitus & mirabiliter conferre fidem in Christum, sed remittit ipsum per angelum ad praedicationem S. Petri. Ac dum is praedicaret, operatur Deus in animo Cornelij per spiritum sanctum, ut crederet praedicationi. Certe S. Paulus, Quomodo credent ei, ait, de quo nihil audierunt? Quomodo audient absque praedicante? Quomodo autem praedicabunt nisi fuerint missi? Ergo fides ex auditu est: auditus autem per uerbum Dei. Idem tamen alio loco, Quis est Paulus, ait, quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Congruunt cum hac S. Petri & S. Pauli doctrina quae Augustinus scribit in Praefatione ad lib. de Doctrina Christiana, dicens, Quod ab homine discendum est, quisque sine supercilio ab homine discat. Neque tentemus eum cui credimus, neque decepti nolimus ire ad ecclesias audiendum aut ex libris discendum, & expectemus rapi in tertium caelum. Caueamus tales tentationes superbissimas, magisque cogitemus ipsum Paulum apostolum, licet

licet diuina & cœlesti uocatione prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse: & Cornelium quamuis orationes eius audisset Deus, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum quid sperandum quid diligendum esset audiret: quæ tamen omnia poterant per angelum fieri, &c. Idem quoque in epistola ad Circenses ait, Conuersionem operatur ille & efficit qui per ministros suos rerû signis extrinsecus admonet, rebus autem ipsis per seipsum intrinsecus docet. Item Tractatu in Ioan. 26. Quid faciunt homines, inquit, forinsecus annunciantes? Quid facio ego modo cum loquor? Strepitum uerborum ingero auribus uestris: nisi ergo reuelet ille qui intus est, quid dico aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est creator &c. Hæc ille.

Quemadmodum uero dominus poscit ut uerbo suo credamus. *Orandum est pro uera fide.* Nam et propheta clamat & dicit, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra: ita omnino à nobis omnibus auditoribus uerbi ipsius flagitat ne simus orando segnes. Nam audientes uerbum Dei orare debemus pro dono fidei, ut dominus aperiat corda nostra, conuertat animas nostras, duritiam mentis frangat atque contundet, fidemque datam adaugeat. Exempla huiusmodi orationis plurima sunt in sacris literis. Cum in euangelio ad quendam diceret dominus, Potes ne credere? omnia possibilia credenti, Respondit ille, Credo domine, succurre incredulitati meæ. Et apostoli clamantes ad dominum, dicunt, Adauge nobis domine fidem, Sed & oratio hæc qua postulamus nobis infundi fidem, ex gratia & dono Dei est, non ex nostra iustitia quæ coram Deo nulla est. Relinquitur ergo certissimum & indubitatum quod fides uera merum Dei donum est, id quod cœlitus confertur animis nostris per spiritum sanctum, proponitur autem uerbo ueritatis per doctores à deo missos, orationibusque indefessis & ardentibus imperatur. Vnde discimus frequenter & diligenter esse nobis audiendum uerbum Dei & orandum sine intermissione, quo fidem ueram à deo consequamur.

Quod autem fides illa cœlitus infusa & ex uerbo ueritatis percepta mentem hominis imbuat indubitata persuasione, id est, quod ea quæ ex uerbo Dei credimus, firmissime & circa omnem ambiguitatem & dubitationem credimus, certi ita habere prorsus rem, ut habere credit fides, ostendemus exemplo fidei Abraham, quam his uerbis describit Paulus ad Romanos cap. 4. Abraham præter spem sub spe credidit: ac non infirmatus fide haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cum centum fere annos natus esset, nec emor-

*Fides est mentis indubitata persuasio.*

tuam uulnam Saræ, uerum ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quod is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Obseruandæ sunt autem notæ in uerbis apostoli, quæ nobis approbant fidem credentis animum & cor imbuere certa persuasione, adeoq; fidem esse consciam indubitaram rerum creditarum fiduciam: id est, fidem ueram non tantum uolitare in animo hominis instabilem, sed altissime fixis radicibus in Christo hætere in illuminato corde. Principio Abraham, ait apostolus, præter spem sub spe credidit: id est, ibi firma spes fuit, ubi tamen, rebus huius sæculi more expensis, nihil erat sperandum. Est autem spes firmissima & indubitata expectatio earum rerum quas credimus: ut uideamus apostolum fidem illustrasse per spem, & spei certitudine exposuisse fidei firmitatem. Deinde subdit, Abraham non est infirmatus fide, neq; ad promissionem Dei hæsitauit ob incredulitatem, sed robustus factus est fide. Duplex quidem est hæsitatio in hominibus. Vna quæ tentationibus aduersis superata uergit in desperationem promissionesq; Dei contemnit. Talis erat hæsitatio in decem illis exploratoribus terræ sanctæ, quorum mentio fit Numeri 13. & 14. cap. Altera potius fidei imbecillitas est, quæ & ipsa tentatur, ut iam non commemorem quod nobis omnibus diffidentia quædam originali labe est ingenita, quodq; mens hominis nunquam ita illuminata & stabilita est, quin nebulæ ignorantie dubitationisq; oboriantur: cæterum non succumbit fides tentationi, neq; immergitur aut inhæret hæsitationi, sed apprehenso uerbo ueritatis promisso eluctatur & rursus confirmatur. Ita legimus ad promissionem diuinam Abraham animum subiisse, Num centenario tibi nascetur filius? Hæc erat infirmitas illa & hæsitatio aut imbecillitas fidei. Atqui hic apostolus uincentem & non succumbentem Abraham fidem celebrans, simul etiam nos docens qualis esse debeat uera fides, firma nimirum & certissima persuasio, dicit, Abraham non infirmatus fide, non considerauit corpus suum iam emortuum, cum ferè centum esset annos natus, nec emortuam uulnam Saræ. En subiit quidem animum Abraham, Num centenario nascetur filius? Cæterum non infirmatus est fide. Fides Abraham ob istam tentationem non incipiebat languescere. Non enim considerauit ea quæ in ipso erant infirma & parum diuinæ promissioni congrua. Quid ergo? Ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem. Id est locum non cedebat tentanti incredulitati: non dijudicabat & anxie inquirebat, quod diffidentes solent. Nam propofita animo suo diuina promissione,

*Hæsitatio  
duplex.*

promissione, ei inquam immore inhæsit, hæsitacione & dijudicacione omni excussa. Nã fides minime spectat imbecillitatẽ miserã defectumq; homini propriũ, sed innititur diuinã uirtuti. Sic inquam Abrahã robustus factus est fide, id est inualuit & superior in tentacione euasit. Opponitur enim illi superiori, Nõ infirmatus seu debilitatus est fide. Sequitur in apostolo, Abrahã tribuit gloriã Deo, nimirũ credẽs deũ bene uelle hominibus, ueracẽ esse ac omnipotentẽ. Tribuit enim Deo gloriã qui proprietates Dei, Deo tribuit, qui uerbo seu promissionei Dei non cõtradicat. Nam Ioan. apost. ait, Qui non credit Deo, mendacẽ facit Deũ. Credidit ergo Abraham Deo & credendo tribuit gloriã Deo. Sequitur enim in uerbis apost. Pauli, Certa persuasione concepta, quod is qui promiserat idem potẽs esset & præstare. Scripsit Paulus Græce *πιρροφρητας*, id quod perinde est ac si tu dicas certificatus. Nam *πιρροφρητω* significat plenã facio fidem. Unde *πιρροφρητα* certa fides, quæ sit argumentis aut re ipsa exhibita. Ex *πιρροφρημα* uocant quod nos dicimus certificationẽ, cum nobis res sic persuasa sedet animo ut nihil amplius addubitemus. Ergo fides Abrahamũ certificauit & indubitata persuasione imbuit, ut iam non dubitaret Deum posse præstare quod promiserat: fide ergo immotus inhæsit promissionei Dei, certus se assecuturũ quod promiserat dominus. Certissimum ergo & uerbis apostoli demonstratum est, fidem ueram esse indubitatã persuasione in animo credentis omnino rem sic habere sicuti creditur & sicuti habere dicitur aperto Dei uerbo. Unde etiam discimus fidem non esse uagam & temerariam confidentiã hominis, qui credat rem quamlibet grandem & impossibilem. Fides enim regitur & astringitur uerbo Dei, & uerbo quidem Dei rite atq; legitime intellecto. Pius ergo & fidelis non quilibet colligit ex omnipotentia Dei, quasi quilibet faciat Deus quia potest omnia, aut fides quilibet credat, quia scriptum est, Omnia possibilia sunt credenti. Nam pius ideo credit, quia quod credit ita uerbo Dei propositum & illustratum est sicuti credit. Præterea cum dominus in euangelio dicit, Omnia possibilia sunt credenti, non absolute quidem id nobis intelligendum est, sed coniunctum cum uerbo & cum uoluntate gloriãq; Dei & cum animarum nostrarum salute. Omnia enim quæ uerbo suo promisit & omnia quæ uult Deus, omnia deniq; quæ faciunt ad Dei gloriã animarũq; nostrarũ salutẽ possibilia sunt credẽti. Etea de causa aperte & diserte dixit apost. Quæ promisit Deus eadẽ & potest præstare. Quæ enim nõ promisit, & quæ nõ sunt uoluntatis diuinæ, aut quæ pugnant cũ uoluntate & cũ expresso uerbo Dei, nõ potest deus, nõ quod nõ possit omnia,

*Fides non credit rem quamlibet.*

sed quod nolit omnia. Posset Deus ex lapidibus panem facere, sed ideo non credendum est lapides esse panem, neque ideo panis sunt, quia Deus potest omnia. Id quod rectius & plenius intelligemus, ubi paulo post ostenderit fidem ueram non oberrare & uagam fluctuare, sed Deo & uerbo eius inhærere & inniti pertinacissime.

*Exempla  
fidei indu-  
bitate.*

Interea uero quia ex Pauli testimonio & exemplo Abrahamæ ostendimus fidem esse substantiam & indubitam cordis persuasionem, & multi contendunt hominem non esse certum suæ salutis, aliquot exempla ex euangelio subiiciam, ex quibus certo deprehendatur fidem firmissimam esse hypostasim, obfirmatamq; de Deo & salute nostra sententiam. Et principio quidem Centurio ille euangelicus firmissimam conceperat spem fore ut seruulus eius curaretur à domino. Intellexerat enim quam ampla & magnifica polliceretur credentibus. Colligebat item ex operibus Christi non difficile ipsi fore sanitati restituere seruulum. Accedit itaq; dominum, ac inter alia, Non est, inquit, quod rectum meum subeas, imò tantum dic uerbum & sanabitur famulus meus. Testificatur hæc uerba certam in Centurionis animo & corde persuasionem fuisse certissimam salutis, quam & collatione quadam sic illustrat & plenius exprimit, Sum enim homo alterius potestati subditus, & habeo sub me milites, & dico huic uade, & uadit: & alteri ueni, & uenit: & seruo meo fac hoc, & facit. Hanc animi certificationem cum ex uerbis fide plenissimis peruidisset dominus, clamat se tantam fidem non reperisse in uniuerso Israele. Idem celebrat in euangelio fidem mulieris profluuii sanguinis misere laborantis. At eam fidem fuisse indubitam cordis illuminati persuasionem ex eo intelligi potest, quod apud se (prius nimirum excitata operibus & uerbis domini) sic reputat, Si tantum tetigero uestimentum eius, salua ero. Ideoq; & per confertam turbam se usq; ad ipsum dominum penetrando ingressit. Sed quid multa congero exempla? An non una Chananææ seu Syrophœniæ mulieris fides declarat irrefragabiliter, fidem esse certissimam rerum creditarum persuasionem? Nam præterita & quasi contempta à domino non fluctuat fide, sed insequens dominum, & iam etiam audiens dominum perditis Israeliticæ domus ouibus missum esse, adorare quoq; pergit. Imò repulsa & quasi notata atroci conuitio canis, pergit rursus se supplicem domino prosternere, & ab eo quod postulat impetrare: nō perseuerasset adeo pertinaciter si fides in animo & corde credentis non esset certificatio quædam. Vnde & dominus ea fide permotus, clamat, O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Constat ergo ex his diuinæ scripturæ testimonijs omnibus, fidem

fidem esse certam & indubitam persuasionem in animo & corde credentis.

His absolutis uideamus iam cui innitatur fides hominis, unde simul elucescat fidem non esse uanam & uagam opinionem (sicuti paulò superius dicere cœperamus) rei cuiuslibet conceptę in animo hominis, sed methis adeoq; legibus quibusdam astrictam atq; contentam. Diximus ergo in descriptione fidei, fidem tendere in Deum & inniti uerbo eius. Deus ergo & uerbum Dei obiectum siue fundamentum est fidei ueræ. Firmum omnino & immotum sit oportet cui homo tuto certo & indubitate inniti debet, quod salutę præstat, quod seruat, quod omnem plenitudinem sufficit aut suppediat. Hęc enim quærît & poscit fides. Illa uero nō sunt extra Deum. In solum ergo Deum tendit & innititur uera fides. Deus æternus est, summe bonus, sapiens, iustus, potens & uerax. Idq; operibus & uerbo suo testatur. Ideo in prophetis dicitur fortis & immota petra, arx, murus, turris, munimentum insuperabile, thesaurus, fons inexhaustus. Hic Deus æternus potest omnia, nouit omnia, ubiq; præsens est, impense diligit homines, prouidet hominibus, qui etiam omnia gubernat. Fides ergo cum sit fiducia de bona Dei uoluntate & auxilio eius in omnibus necessitatibus deq; uera hominis salute, in solum Deum tendit, nec potest inniti ullę creaturę, in qua non sunt illa quę quærît fides. Et ut Deus uerax est & mentiri non potest, ita uerbum eius uerax est & neminem fallit. Verbo exprimitur uoluntas & ingeniu Dei. Ad uerbum ergo Dei respicit fides, ac fundat se in uerbum Dei, de quo dominus in euangelio pronunciauit, Cœlum & terra transibunt, uerbum meum non præteribit. Conseruetur uerbum Dei cum præstantissimis elementis. Aer & aqua sunt elementa fluida instabiliaq;. Cœlum autem licet uoluarur seu moueatur, mira tamen & certissima lege mouetur, firmaq; sunt in eo omnia. Terra multo firmissima est & immobilis. Proinde si facilius est ista insolubilia solui, quam uerbum Dei, consequens est uerbum Dei per omnia esse longe firmissimum, immobile & insolubile. Si irritum facere potestis fœdus meum, ait apud Ieremiam dominus, quod inij cum die, aut fœdus quod pepigi cum nocte, ut non sit suo tempore uel dies uel nox, iam irritum potest esse fœdus meū quod pepigi cum Dauide. Carterum ne rotus quidem mundus iunctis simul uiribus omnibus poterit efficere, ut dies sit cum nox est, aut ut una hora citius quam leges cœli dictant, lucescat: ergo ne apicem quidem infirmare aut infringere, mutare aut abolere in uerbo Dei ueritateq; uerbi Dei, poterit rotus hic orbis cum omni sua uirtute &

*Fides cui  
innitatur,  
& quod sit  
fidei obiectū  
seu fundamentū.*



pompa. Proinde fides quæ innititur in rem multò firmissimam nõ poterit non esse persuasio indubitata. Cumq; uerbũ Dei sit fidei fundamentũ, non potest fides oberrare uaga, & inniti in uerbũ quodlibet. Nequit enim quælibet opinio extra uerbum Dei, aut etiam contra uerbũ Dei concepta appellari uera fides. Ideoq; sanctus Christi apostolus Paulus noluit fidem ueram uel Christianã ullis imponere fulcris carnalibus aut opinionibus hominũ, sed ueritati & potentia Dei. Verba eius concludent hunc locum, Fides, inquit, ex auditu est, auditus aut per uerbũ Dei, Per uerbũ Dei ait non per uerbum hominis, Et iterum ad Corinth. Prædicatio mea, inquit, nõ erat in persuasiõis humanæ sapiëntiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus & potentia, ut fides uestra non sit in sapiëntia hominũ sed in potẽtia Dei. Vbi etiã discimus quosdam per ter rationẽ à nobis flagitare fidẽ hoc est ut credamus id quod ex uerbo Dei ostendere nequeũt, aut quod uerbo Dei repugnat. Facit ad illustrationem prædictorũ & illud quod in descriptione fidei compendiũ quoddam uerbi Dei & fidei contextũ est: uerbi in quã quod proponit quid credamus, et fidei quæ credit credenda. Recensentur aut duo capita fidei & uerbi. Primum est quod à Deo in Christo uita & omne bonum gratis promittitur. Deus enim qui fidei obiectũ seu scopus & fundamentũ est, cum sit natura sua uiuus æternus & bonus, ab æterno generat ex se sui similem per omnia filiũ. Is cum sit eiusdem cum patre substantia, est & ipse naturaliter uita et omne bonũ. Ac ut nobis filijs fratribusq; suis uitam & omne bonũ cõmunicaret, hominẽ assumpsit, & cum hominibus uerus Deus & homo conuersatus, testificatur Deũ patrem se per filiũ totum cum omnibus bonis transfundere in credentes, hos uiuificare, omni bono adimplere & eosdem ad se transferre tandem in uitam illam beatam Et hoc quidem beneficiũ constare gratis, ut laudetur in omnibus gloria gratiæ suæ. Id quod credit fides uera. Et huc quidem pertinet bona scripturarũ pars, testificans Deum in Christo cõmunicare credentibus uitam & omne bonũ. Ioannes apostolus clamans testificatur, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Et uerbũ caro factũ est, & habitauit in nobis. Et conspeximus gloriam eius, gloriã uelut unigeniti à patre, plenus gratia & ueritate. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, &c. Ipse enim dominus in euangelio Ioan. dicit, Amen dico uobis, Quæcunq; pater fecerit, hæc etiam & filius facit. Sicut enim pater suscitatur mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Neq; enim pater iudicat quenquã sed omne iudiciũ filio dedit, ut omnes honorent filium sicut honorant patrem. Qui nõ hono-

*Duo sunt  
capita fidei  
uera.*

*Fides uera  
querit in  
Deo per  
Christũ o-  
mne bonũ.*

norat

norat filiū, non honorat patrem qui misit illū. Amen amen dico uobis, qui sermonē meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam: & in iudiciū nō ueniet, sed transiit à morte in uitā. Cum his euangelicis uerbis congruit hæc Paulina sententia, In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter & estis in illo completi. Quod autē ingentia hæc beneficia Dei gratis conferantur fidelibus, uas electionis his exposuit uerbis, Benedictus Deus qui elegit nos in Christo antequā iacerentur fundamenta mundi, qui prædestinauit nos ut adoptaret in filios per Iesum Christū in sese, iuxta beneplacitū uoluntatis suæ ut laudetur gloria gratiæ suæ qua charos nos reddidit per dilectū, per quē habemus redēptionē in sanguine eius, &c. Item, Omnes peccauerunt & destituuntur gloria Dei, iustificantur autē gratis per illius gratiā per redēptionē quæ est in Christo. Et reliqua. Vera itaq; fides credit sibi à Deo per Christū uitam & omne bonū gratis cōingere: quod primū est fidei caput, quod in articulis fidei spargitur latius. Secundū uerbi Dei & fidei caput est quod uerbo Dei omnis ueritas credēda exponitur: & quod uniuersæ narrationi in scriptura uera fides credit. Exponit enim quod sit Deus, qualis sit, quæ opera Dei, quæ iudicia, quæ uolūtas, quæ mandata, quæ promissiones, quæ minæ, deniq; quicquid creditu utile & necessariū est, id totum exponit nobis uerbū Dei, id quod uera fides recipit, credens omnibus quæ scripta sunt in lege & prophetis, in euangelio & apostolorū literis. Quæ uero ex his deduci aut probari non possunt, aut quæ his contraria sunt, non credit fidels. Est enim de natura ueræ fidei non credere illis quæ cum uerbo Dei pugnant. Proinde qui non credit fabulis & hominū opinionibus, is demum uere credit, pendet enim à solo Dei uerbo adeoq; ab ipso deo unico omnis ueritatis fonte. Et materia argumentum & summa fidei tota proposita est nobis per cōpendium in articulis fidei Christianæ. De quibus alio tēpore. Exposui hac hora charitati uestræ fratres in domino honorandi descriptionē fidei, quā ut omnium mentibus intelligā, omnesq; quid fides sit intelligā, repero, eaq; sermonē hūc cōcludo, Fides est donū Dei, homini cœlitus infusum, quo edoctus indubitata persuasionē, in Deū & uerbū eius innititur, per quod à Deo in Christo uita omnēq; bonū promittitur, omnisq; ueritas credēda exponitur. Oremus omnes Deum patrem nostrum per unigenitum filium eius dominū nostrum Iesum Christū, ut omnibus nobis cœlitus ueram fidem conferat, per quam ipsum recte cognoscentes, tandem etiam consequamur uitam æternam.

*Fides uera credit scripturis sanctis.*

*Epilogus.*

DE VIRTUTE FIDEI

Vnam tantum esse fidem ueram, & quæ sit eius uirtus.

SERMO V.



**T**EMPORIS exclusus breuitate præpeditusq; argu-  
menti præstantia, non potui sermone proximo omnia  
quæ de fide institueram dicere, absoluerè: iam ergo diui-  
na aspirante gratia, subiiciam quæ eius argumenti resta-  
re uidentur. Vos orate dominum, ut quod uoce hominis infertur  
auribus uestris, id ipsum digito Dei uestris inscribatur cordibus.

*Vna est  
fides.*

Nescit fides uera ulla partes. Apostolus enim, Vnus, inquit, do-  
minus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omniũ. Man-  
net enim ab ipso mundi exordio ad finem usq; una & eadem in o-  
mnibus electis Dei fides. Vnus & idem est perpetuo Deus, unus o-  
mnium bonorum fons inexhaustus. Vna & eadem est ab exordio  
rerum Dei ueritas, Dei uerbo exposita hominibus. Vnum ergo &  
idem perpetuo manet obiectum & fundamentum fidei, Deus &  
uerbum Dei. Vna & eadem nobiscum fide crediderunt omnes ab  
exordio rerum electi, per Christum nobis omnia bona gratias dona-  
ri, & in uerbo domini omnem ueritatẽ credendam exponi: proin-  
de fideles antiquorum seculorũ fidem suam in Deum & uerbum  
eius semper collocarunt: ut iam proculdubio non sit nisi una fi-  
des uera.

*Variæ sunt  
religiones,  
sed non nisi  
una uera  
fides.*

Scio plures easq; uarias in orbe iactari fides, id est religiones. Est  
enim fides Indiana, est fides Iudaica, est fides Mahometica, est fides  
Georgiana, interim tamen non est nisi una uera fides Christiana, cu-  
ius cõpendiũ cõtinetur in articulis fidei, & plenitudo eius in sacris  
utriusq; testamenti literis. Scio item uarias esse fides hominum, inni-  
tentium in res uarias credentiumq; contraria ueræ fidei, sed manet  
interim non nisi una uera fides in Deum & uerbum eius, indubita-  
ta rerum uerissimarum certissimarumq; persuasio fiduciaq;.

*Fides habet  
suum in-  
crementum  
& defectũ.*

Ea fiducia suscipit incrementum in animis fidelis, decreuit item  
& deficit prorsus. Ideoq; apostoli dominum orabant, Adauge nobis  
fidem domine. Et apostolus ubiq; imprecatur fidelibus in scriptis  
suis spiritus & fidei incrementum. Nam & Dauid prior orauit,  
Cor mundum crea in me Deus, & spiritum sanctum tuum ne aufer-  
ras à me. Nam uiderat à Saule, cui ipse successerat in regno, recessisse  
spiritũ Dei bonum, ac subiisse animum eius spiritũ nequam, qui ip-  
sum misere diuexabat. Huc pertinet illud euangelicum, Omni habenti  
dabitur: nõ habenti autem auferetur quod non habet aut pro-  
nihilò reputat, & dabitur habenti. Neq; frustra dixit ad Petrum do-  
minus,

minus, Oraui pro te Petre ne deficiat fides tua. Paulus enim commemorat quosdã suo sæculo circa fidem fecisse naufragium, aliorumq; fidem subuertere. Et quorsum quæso audimus quotidie uerbũ Dei ac precamur supplices domino, nisi quod incrementum pietatis speramus & poseimus ne à uera fide excidamus. Certe Paulus ad Thesalonicensis, Nocte & die oramus, inquit, sedulo ut uideamus faciem uestram, & suppleamus quæ desunt fidei uestræ. Nam & paulo superius dixerat, Misi ad hoc Timotheum, ut cognoscerem fidem uestram, ne quo pacto tēstasset ille qui tentat & inanis factus esset labor noster. Siquidem ad Ephesios idem ille apostolus dicit, Christus dedit alios apostolos, alios uero prophetas, alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenæ adultæ Christi, ut non simus amplius pueri. Proinde quoad uiuimus discimus, ut perficiatur fides nostra, & sicubi tentationibus debilitata fuerit reficiatur ac confirmetur rursus. Atq; in hac uarietate in hoc inuicem merito & imbecillitate fidei non est ulla partitio aut diuisio, manet eadem semper fidei radix, eadem substantia, licet iam maior sit nunc uero minor. Eodem modo fidem nec mutat nec scindit in partes quod alia dicitur fides generalis, alia fides specialis. Generalis enim fides non alia est quàm quæ credit omnia uerba Dei uera esse & Deum bene uelle hominibus. Non aliud credit specialis fides, tantum quod omnibus commune est, sibi specialiter applicat fidelis, credens Deum non tantum alijs sed sibi quoq; bene uelle. Sed & totum quæ si in partes genus in species deducit. Nam quia generali fide credit omnia uerba Dei uera esse, pari ratione credit speciali fide immortales esse animas, & resurgere nostra corpora, saluandos fore fideles, perdendos infideles, & si quid huius generis aliud est quod uerbo Dei credendum traditur.

Generalis  
& specialis  
fides.

Porro disputationem de fide Infusa & Acquisita, de fide informi & formata, illis excutiendam relinquo, qui ex seipsis nouas illas disputationes inuehant in ecclesiam. Vera fides nullis acquiritur uiribus & meritis humanis, sed infunditur à Deo. Sicut exposui superiori concione. Et cum auscultatione uerbi diuini ab homine acquiratur, nihilo minus totum gratiæ Dei impuratur, quæ nisi operetur in animo auditoris interne, nihil proficit externus cultor aut prædicator. Legimus in libro S. Augustini de prædestinatione sanctorum cap. 3. quod aliquando fuit in errore, putans fidem qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam

Fides infusa  
& acqui-  
sita.

*Fides formata.* nos impetrare Dei dona, quibus iuste et pie uiuamus in hoc sæculo. Sed eam opinionē eo libro copiose & grauitate refellit. Ita fides uera quæ in unum Deum tendit, & dirigitur uerbo Dei, satis est formalis aut formata. Cerre forma fidei sculpirur in corde credentis per spiritum sanctum. Et quamuis sit minuta neq; excreuerit ad gradum super premium, uera tamen fides est, uim suam habens ceu granum synapi. Credidit in dominum Iesum laico cum domino crucifixus, & saluatus est, licet fides in eo uiguerit pauculo tēpore, neq; uberem protulerit bonorum operum segetem: deniq; fides illa latronis non fuit diuersa aut aliena à fide S. Petri & S. Pauli, sed eadem prorsus, licet horum uberem bonorum operum segetem protulerit. Gratis iustificati sunt Petrus & Paulus licet multa habuerint bona opera: gratis iustificatur laico, licet pauca aut nulla habuerit opera bona. Testamur itaq; fidem ueram esse unicā quidem, quæ tamen augmentata seu incrementum recipiat, deniq; deficere possit & extingui.

*De uirtute & effectu fidei.* Restat iam ut explicemus uirtutem & effectum fidei ueræ. Præstitit hoc ante me multo felicius imò absolutissime S. apostolus Paulus. Verum cum multa ad Hebræos 11. capite attulisset, cogitur tamen fateri se non posse commemorare omnia: iccirco recensebo aliquot modo fidei uirtutes, reliquas charitati uestræ indagandas & expendendas relinquens.

*Fides est uera scientia & reddidit sapientes.* Fides uera ante omnia confert ueram scientiam, uere sapientes reddens. Fide enim Deum cognoscimus, recteq; de iudicijs & operibus Dei, de uirtutibus & uitijs iudicamus. Quæ illa confert, uera proculdubio est sapientia. Sperant multi se ueram consequuturos sapientiam ex studijs philosophiæ: sed errant toto cælo. Nam philosophia perperam iudicat & uitiose pleraq; docet de Deo, de operibus Dei, de summo bono, de fine bonorum & malorum, de experendis & fugiendis. Eadem autem uere & recte traduntur in uerbo Dei, intelliguntur uero percipiunturq; fide. Fides ergo est uera sapientia & reddit uere sapientes. Nam Ieremias quocq; Ecce uerbum domini, inquit, reprobant, quæ ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Celebris est in toto terrarum orbe Solomons sapientia. Sed legimus in euangelio secundum Matheum dominum contra Iudæos hanc protulisse sententiã, Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac & condemnabit eam, quod uenerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Solomons: & ecce plus quam Solomon est in loco hoc, Præfertur Christus Solomoni & sapientia Christi sapientiæ Solomons. Constat autem sapientiam Christi filij Dei non posse percipi nisi fide, præstantissimam ergo sapientiam confert fides.

des, Eximiam uero laudem hæc nostra sapientia meretur, quod qui eam ambiunt, non ad exterarum gentes multo cum sumptu & labore relegantur, uelut ad Aegyptios sacerdotes, ad gymnosophistas Iudæorum, ad philosophos Græcorum, aut ad Iudæorum Rabbios. Verbum Dei, Deus per totum orbem terrarum dispergit, ut iam uerbum fidei sit in fidelium omnium cordibus. Nā apostolus Paulus, iustitia fidei, ait, ita loquitur, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit: Prope te uerbum est in corde tuo: hoc est uerbum fidei quod prædicamus, nempe si confesus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum exiit ex mortuis, saluus eris. Ergo fides nos non tantum sapientes, sed & felices reddit, attestante etiam domino & dicente discipulis suis, Beati oculi qui uident quæ uos uideris, Dico enim uobis quod multi prophetarum & reges uoluerunt uidere quæ uos uideris & non uiderunt, & audire quæ auditis & non audierunt.

Inuenimus ergo in fide certissimam determinationem famosissimæ quæstionis ab exordio mundi exagitæ à doctis & præstantissimis ingenijs, quomodo uidelicet homo uiuere beati summum bonum assequi & cum summo bono coniungi adeoque & iustificari possit: Variæ fuerunt & sunt etiã hodie pugnantibus inter se de hac re sententiæ. Cæterum breuiter & uere dicimus nos, Fide uera hominem uiuere, beati, summum bonum consequi, cum summo bono coniungi atque iustificari, sic ut Deus uiuat in nobis & nos in ipso, simusque fide felices & beati. Quid uero potuisset de fidei uirtute dici præstantius maius diuinius? Fides ecce uiuificat, beat, cum summo bono coniungit ut Deus in nobis, nos in ipso uiuamus, & iustificat plenissime. Sed præstat etiam audire scripturarum testimonia. Fides beat. Audit enim beatus Petrus uera fide dominum Iesum confitens, Beatus es Simon filius Ionæ. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Adducit S. Paulus pro fide illud Davidis, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum obiecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputabit dominus peccatum Fides uiuificat, Nam iustus ex fide uiuit. Id quod Paulus ex prophetis frequenter in scriptis suis citauit. Idem, Virum quã nunc uiuam in carne, inquit, per fidem uiuam filij dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Fides coniungit nos æterno & summo bono adeoque facit nos frui summo bono, ut Deus in nobis uiuat & nos in Deo. Nam ipse dominus Iesus in euangelio ait, Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Sicut misit me uiuens pater, ita & ego uiuam

Quomodo  
homo sum-  
mum bonum  
assequatur

Fides beat

Fides uiuificat.

Fides coniungit nos Deo.

DE VIRTUTE FIDEI

propter patrem, & qui ederit me, uiuet & ipse propter me. Atqui edere & bibere dominum, est credere in dominum, quod seipsum pro nobis tradiderit in mortem. Vnde Ioannes apostolus, Nos uidimus & testamur, inquit, quod pater misit filium seruatorē mundi. Quisquis confessus fuerit quod Iesus est filius Dei, Deus in ipso manet, et ipse in Deo. Vnde & Paulus dixit, Viuo iam non ego sed uiuit in me Christus.

*Fides iustificat.*

Iustificat præterea fides. Ea tractatio cum non possit hac hora commode & plene determinari, differemus in futuram concionem sacram. In præsentī teneat charitas uestra, unam esse ueram fidem, nimirum Christianam. Licet enim plures dicantur esse fides id est religiones, una tamen duntaxat uera est & indubitata. Incrementa ea habet, ac deficit in quibusdam. In quibus recte & pie colitur, miras exerit uirtutes. Confert enim ueram sapientiam, denique uiuificat & efficit uere beatos ac felices. Deo patri auctori omnis boni & felicitatis nostræ sit laus & gloria per Iesum Christum dominū nostrum in secula seculorum, Amen.

*Fide iustificari homines fideles absq; lege operibusq;*

SERMO VI.

**D**ICTVRVS apud charitatē uestrā de fide absq; operibus iustificāte credentes, inuoco patrem qui in cælis est per filium eius unigenitum dominum nostrum Iesum Christum, obsecrans ut os meum & labia mea ad depromēdam laudem eius aperiat, & corda uestra illuminet, quo Dei beneficium maximum agnoscentes, uere grati & sancti efficiamini.

*Iustificare & iustificatio.*

Ab initio autem dicam quædam huic causæ uel tractationi in primis necessaria de uocabulo iustificationis. Iustificandi uerbum Hebræis usitatissimum & uulgatissimum amplissimæ item significatio nis, hodie non est, ita uti decebat, cognitum omnibus. Significat iustificare absoluerē a iudicio adeoq; ab intentata & lata condemnationis sententiā. Significat remittere peccata, purgare, beatificare, & hæredem constituere uitæ æternæ. Est enim iuridicum aut forense uocabulū. Finge ergo hominem produci ad tribunal Dei, ibidemq; agi reum, id est accusari & conuinci de grauissimis peccatis, ideoq; postulari ad pœnam uel ad condemnationis sententiā. Intercedere uero mediumq; se ingerere Dei filium, ac postulare, ut in ipsum omnis culpa & pœna hominibus debita, imponatur, quæ moriēdo

mor.

mox expiet & auferat, liberatisq; à morte conferat uitam æternam. Deum autem supremum & iustissimum iudicem recipere conditio nem, ac pœnam cum culpa transferre in caput filij, decerneretq; ut quicumq; credit filium Dei pro peccatis mundi passum, confregisse mortis uires & liberasse à cõdemnatione, purgatus à peccatis ac hæ res sit uitæ æternæ. Hic uero quis usqueadeo stupidi possit esse ingenij, ut non uideat fide iustificari homines?

Cæterum ne quid dubij aut obscuri resideat in animo cuiusquã, quod in genere & per parabolam imaginemq; forensẽ propo sui, per species aut partes quasdam diducam, singulaq; scripturis di uinis & roborabo & illustrabo, ut uel tardis ingenijs uirtus fidei & iustificationis negotium fiat planissimum.

Principio demonstrabo iustificationis uocabulum in præsentia causa usurpari pro absolutione siue remissione peccatorũ, pro beatificatione & adoptione in numerum filiorum Dei. Act. 13. dicit apostolus Paulus, Notum sit uobis, uiri fratres, quod per hunc Christum dominum uobis remissio peccatorum annunciat: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Moysi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. En annunciat in Christo nobis remissio peccatorum: & qui credit annunciatõ Christo, remittenti peccata, iustificatur. Sequitur ergo iustificationem esse remissionem peccatorum. Ad Rom. 5. ait idem apostolus, Iustificari sanguine Christi seruabimur per ipsum ab ira. Sanguis autem Christi abluit peccata. Iustificatio itaq; est ablutio siue remissio peccatorũ. Et in eodem capite adhuc clarius, Iudicium quidem ex uno ad condemnationẽ, donum autem ex multis delictis ad iustificationem. Hic opposuit condemnationi iustificationem: ergo iustificatio est absolutio & liberatio à condemnatione. Quid quod iustificationem manifeste appellat donum, id est condonationem delictorum? Huc pertinent & illa, Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio deriuata est, sic & per unius iustitiam in omnes homines propagata est iustificatio uitæ. Rursus opponitur iustificatio uitæ condemnationi propter peccatum irrogatæ nobis ad mortem: est ergo iustificatio uitæ absolutio à peccatis, liberatio à morte, uiuificatio, seu translatio à morte in uitam. Nam in 4. cap. idem apostolus ad Roman. iustificationem exponit per beatificationem, & hanc per remissionem peccatorum. Disputans enim de fide qua iustificamur, uel quam nobis imputat Deus pro iustitia, absq; operibus. Quemadmodum & Dauid explicat, inquit, beatificationem hominis, cui Deus imputat iustitiam absq; operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &

*Iustificare quid?*



quorum obiecta sunt peccata, &c. Quid clarius adferri his poterat. Manifeste enim iustificationem exponit per beatificationem, & hanc per remissionem peccatorum. Præterea quid est beatificatio aliud, quam adoptio ea, qua recipimur in gratiam & numerum filiorum Dei? Quis ergo non uideat iustificationem in hac disputatione Pauli pro adoptione usurpari? præsertim cum contendat in eodem ad Romanos capite 4. hæreditatem fidei deberi, cui & iustificationem tribuit. Ex quibus omnibus planum fit quæstionem de iustificatione aliud non continere quam modum & rationem beatificandi, nempe per quid aut quomodo remittatur hominibus peccata, recipiantur autem in gratiam & in numerum filiorum Dei, sicut anteq̃ iusti & hæredes regni Dei.

*Christus in se suscepit peccata nostra & expiavit.*

Deinde uideamus an scripturis traditum sit quod diximus, Christum coram tribunali Dei, cum contra nos damnationis sententia pronuncianda fuerat, propter peccata nostra, in se suscepisse peccata nostra, & expiassse morte crucis, adeoq̃ Deum in Christum transulisse & poenitentiam & culpam, ut unus Christus sit fidelium satisfactor & expiator solus. Hoc significantissime docens Paulus apostolus, Quis, inquit, in reprobabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram patris & intercedit pro nobis. Et iterum, Christus nos redemit, ait, ab execratione legis dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui pender in ligno, ut in Gentes benedictio Abrahamæ ueniret per Christum Iesum, &c. Hæc ex Mose docuit apostolus. Ac Moses creberrime in libris suis reperit, peccata imponi in capita animalium quæ sacrificabantur. At sacrificia illa typum prætulere moris & hostiæ Christi. Significantissime autem scriptas in cap. 53. Vere languores nostros ipse tulit, ait, & dolores nostros ipse portauit. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Multa enim correctionis nostræ ei imposta est & litore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus: unusquisq̃ in uiam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Et mox, Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. His uerbis non opinor quicquam posse significantius & magis appositum nostro instituto adferri. Alludit ad ea S. Petrus cum dixit, Ipse dominus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui iustitiæ uiueremus. Cuius eiusdem uibice sanati estis. Alludit ad ea beatissimus præcursor domini Ioannes cum dixit, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Sed & apostolus Paulus

lus clamans testificatur, Eum qui non nouit peccatū pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illū. Et in epist. ad Colossos. In Christo, ait, cōplacitū est patri uniuersam plenitudinē inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatus per sanguinē crucis eius per eundē, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis. Hæc opinor satis clara sunt testimonia probantia in Christū imposita esse peccata nostra execrationēq; uel condemnationē peccatis nostris debitā, ac Christū sanguine expiasse peccata, & morte sua mortē & authorē mortis diaboli oppressisse & pœnā nobis debitā sustulisse.

Quia tamen non pauci negant Christū morte sua & pœnam & culpā nobis peccatorib. sustulisse, factūq; esse unicā totius orbis satisfactionē, adducā iam & alia quædā testimonia, reperitq; ex præcitatīs quædam, quibus manifestum fiat Christum unicam orbis satisfactionem pro pœna & culpa satisfecisse. Isaias certē & culpam peccati & pœnam simul sublata esse testificatus est, cum dixit, Ipse lāguores nostros tulit, & uulneratus est propter iniquitates nostras: deniq; disciplina pacis, id est disciplina uel castigatio pœnæ pacē faciens, aut multa correctionis nostræ, id est pœna quæ nobis debebatur propter peccata, ei imposita est. Audi uero quid sequatur, Et liuore eius sanati sumus. Id quod manifeste docet pœna Christi sublata nobis esse pœnam. Quæ enim nobis debebatur pœna multa uel correptio aut disciplina, ipsi est imposita domino: ideoq; uulneratus est dominus & liuores accepit. At his medicatus est nobis. Medicatus aut esset nobis minime, si uulnera & liuores atq; plagas id est pœnā pro peccatis adhuc expectaremus. Proinde Christi mors est plenaria satisfactio pro peccatis nostris. Et quid obsecro præstitisset nobis Christus, si adhuc pro peccatis nostris exigeretur à nobis pœna: Itaq; cū dicimus eū pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignū, quid quæso aliud significamus, q̄ sustulisse dominū nobis in debita morte uindictā, ne ea in nos animaduertat? Ac quoties de redēptione per Christū facta meminit Paulus, uocare solet <sup>ἀντιλήψισις</sup> quo nō simpliciter, uel uulgo putatur, redēptio intelligitur, sed precii ipsū & satisfactio redēptionis. Qua ratione etiam scribit Christū ipsum se, p nobis <sup>ἀντιλήψισις</sup> dedisse. Id significat precii quo redimuntur captiui ab hostib. in bello. Siquidē quæ uulgo uocāt rāsonas, Græci <sup>λύτρα</sup> uocāt: ἀντιλήψισις uero est cū caput capite, uita redimuntur uita. Ceterū ita redēptis & liberatis nulla porro irrogatur pœna, cū nāslata sit ex uno capite in aliud. Præterea hoc est testam. nouū q; Deus in Christo suo nobiscū pepigit, q; iniquitatū nostrarū nō recordabitur. At q̄ modo nō recordaretur iniquitatū nostrarū si illas postulare pergeret ad pœnā: Itaq; relingitur iā indubitatū. Christū dominū

*Pœnam & culpam peccati sublata esse per Christum.*

*Christi mors plenaria satisfactio pro peccatis.*

DE IUSTIFICAT. FIDEI

plenariam esse propitiationem satisfactionem hostiamq; ac uicti-  
mam pro peccatis, pro pœna inquam & pro culpa totius mundi &  
quidem solum. Non est enim in alio quoquam salus. Nec enim al-  
liud nomen est datum inter homines in quo oporteat nos saluos  
fieri.

Quomodo  
imponatur  
nobis pœna

Non nego disciplinæ castigationis & exercitiij gratia imponi ho-  
minibus uaria pœnarum genera, affligiq; & exerceri homines pro-  
pter peccata uarie. Cæterum illæ afflictiones utcumq; perferantur à  
fidelibus patienter, non tamen peccata abluunt neq; pro peccatis sa-  
tisfaciunt. S. Petrus, Ne miremini, inquit, dum per ignem explora-  
mini, quæ res ad experimentum uestri fit, perinde quasi nouum uo-  
bis aliquid obtingat: imò in hoc quod consortes estis afflictionum  
Christi, gaudete, ut in reuelatione quoq; gloriæ eiusdem gaudeatis  
exultantes. Is inquam finis & usus afflictionum est, Manet interim  
Christo sua gloria illibata.

Deus consti-  
tuit ut qui  
credit ha-  
beat uitam  
æternã &  
sit iustus.

Restat iam ut diuinis scripturis demonstrarem Deum patrem con-  
stituisse, ut qui credit in unigenitum Dei filium particeps fiat iusti-  
tiæ Christi, id est iustificetur per Christum, absoluaatur à peccatis, fi-  
atq; hæres uitæ æternæ. Isaias itaq; Cognitione sui, uel in scientia  
sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, quorum iniquitates  
ipse portabit. At quæ est cognitio aut scientia Christi domini nisi ue-  
ra fides? Iam uero ipse dominus Iesus in euangelio secundum Ioan-  
nem dicit, Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari  
oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed  
habeat uitam æternam. Non fuit remedium in deserto aliud contra  
uenenatum serpentium morsum, nisi cõtemplatio erecti suspensiq;  
serpentis. Non medicabatur ueneno infectis emplastrum, non ob-  
latio facta Deo, non oratio ipsa Deo oblata, non opus ullum, non  
ratio ulla: sola contemplatio uirus per membra diffusum reddebat  
innoxium. Ita nulla omnino res seruat à morte nisi unica fides in  
Christum. Fide enim aspicimus & uidemus erectum Christum in  
stipite crucis, sicuti claret ex 6. cap. Ioannis. Sequitur ergo in uerbis  
saluatoris, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum da-  
ret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.  
Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mun-  
dum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum non con-  
demnatur, qui uero non credit condemnatus est; quia non credit in  
nomen unigeniti filij Dei. His uerbis tertio inculcatur fides per quã  
reddimur participes filij Dei, uitæ eius, salutis, redemptionis ac be-  
norum omnium. In 6. cap. euangelij Ioannis idem dominus dicit,  
Hæc

Hæc est uoluntas eius qui misit me patris, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Quibus uerbis instituto nostro nihil poterat asserri efficitius. Nam diserte dicitur, uoluntatem esse Dei patris ut credamus in filium, & per hanc fidem saluemur. Vnde & Ioannes ille Euangelista & apostolus in Canonica sua ausus fuit in hæc prorumpere uerba, Qui non credit Deo, mendacem facit eum: quia non credidit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quod uitam æternam dedit uobis Deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium, uitam non habet. Obseruet hæc charitas uestra. Aeterna & immutabilis Dei uoluntas est, quod uult uitam æternam dare mundo. Vult autem dare per Christum, qui naturaliter uita est, & uiuificare potest. Vult idem ille Deus ut uitam consequamur habeamusq; in nobis: & habeamus quidem per fidem. Nam & apostolus Paulus docuit Christum per fidem habitare in cordibus nostris. Sed & ipse dominus rursus testatur & ait, Qui edit me, uiuet et ipse propter me. At non uult charitas uestra Edere esse credere. Concludimus ergo hunc locum his beati Petri uerbis, Huic Christo omnes prophetæ testimonium ferunt quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Habemus in his totius scripturæ sanctæ testimonium amplissimum. Ostendimus istis manifeste satis Deum constituisse ut quicumq; credit in Christum, purgatus à peccatis hæres sit uitæ æternæ.

Ista reddemus adhuc illustriora, demonstrando fidem solam, id est *Sola fide est fides* propter se & non propter opera nostra iustificare credens *iustificari* homines. Propter se dicimus non quatenus fides in nobis est animi nostri *homines*. qualitas aut opus nostrum in nobis, sed quatenus fides donum est gratiæ diuinæ, promissionem habens iustitiæ & uitæ, ac quatenus natura sua certa indubitataq; fiducia aut persuasio est, innitens Deo & credens Deum propter Christum placatum, per Christum uitam & omne bonum nobis contulisse. Itaq; fides propter Christum & ex gratia Dei aut pacto Dei iustificat: adeoq; fides id est id quod credimus & in quo acquiescimus, ipse inquam Deus, ipsa Dei gratia per redemptionem Christi nos iustificat: ut iam opera & merita nostra nullum hic locum habeant, nempe iustificandi. Alioquilocum suum habent bona opera in fidelibus: sicut suo loco dicemus. Nam doctor Gentium Paulus antithesi quadam committit Adamo Christi *Antithesis* Adam & Christi. *Christi*, & ostendit ex Adamo adeoq; ex natura nostra & uiribus nostris nos nihil habere quàm peccatum indignationem Dei & mor-

rem. Id eo nomine ostendit ne quis in carne quærat iustitiam ac uitam. Ex aduerso autem demonstrat nos à Christo habere iustitiam gratiam Dei & uitam, sed & cōdonationem omnium peccatorum. In ea antithesi uehementer urget & replicat uocabulum VNIUS, certe ut intelligeremus solam fidem iustificare.

*Testamen-  
tum Dei.*

Ad Galatas hac uitur demonstratione profecto euidentissima, Testamento hominis, siquidem sit comprobatum, nemo addit aut adimit aliquid. Aequissimum ergo est ne quis Dei testamento aut addat aut adimat aliquid. Cæterum hoc est testamentum quod sancit Deus, quod benedictionem semini Abrahamæ, non in multis aut per multos, sed per unum conferre uelit. Nam non dicit, Et seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, Et in semine tuo, qui est Christus. Proinde nephas est huic testamento Dei quicquam adijcere uel detrahere: manetq; solus Christus saluator: homines non sunt saluatores uel sui uel aliorum.

*Non per  
opera legis  
sed per fi-  
dem iustifi-  
camur.*

In eadem ad Galatas epistola, Scimus, inquit, non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et nos in Iesum Christum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Tertium repetit Paulus homines non iustificari ex operibus legis. Qua sententia omnis generis opera comprehendit. Nulla itaq; opera iustificat. Quid autem iustificat? Fides in Christum: & ea quidem sola. Quid enim aliud potest loquutio, Scimus hominem non iustificari, nisi per fidem Iesu Christi. Aequi polletes enim sermones sunt, Sola fides iustificat. Et, Certum est non iustificari nos, nisi per fidem Iesu Christi. Adiungit exemplum apostolorum. Et nos in Christum Iesum credidimus ut iustificaremur ex fide Iesu Christi: & nõ ex operibus legis. Ita etiam Petrus argumentatur ab exemplo in Actis apostolorum, dicens, Credimus per gratiam domini nostri Iesu Christi nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Acto. 15. cap.

*Christus nõ  
est frustra  
mortuus.*

In eodem ad Galat. capite, Non aspersion, inquit, gratiam Dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Si enim in nobis erat per quod potueramus seruari, quid opus erat filium Dei incarnari pati & mori? Quia uero Dei filius incarnatus passus & mortuus est, neq; frustra mortuus est: ideo non erat in carne quod poterat salutem impetrare homini. Solus ergo Dei filius

*Omnes ho-  
mines sunt  
peccatores.*

manet saluator: ac salutem nobis communicat per ueram fidem. In epistola ad Romanos per initium euincit Paulus omnes homines esse peccatores, neq; ullas superesse hominibus uires quibus iustificentur,

iustificentur, legemq; ipsam Dei peccata eruere id est applicare proferre & manifestare, non tollere expungere aut extinguere: ideoq; deum pro bonitate sua, ne periret prorsus quod cōdiderat, gratis iustificare in fide Iesu Christi credentes. Verba aliquot apostoli recitabo, Iustitia Dei, inquit, absq; lege manifestata est, comprobata tamen legis & prophetarum testimonio, iustitia inquam Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes eos qui credunt. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt & destituuntur gloria Dei; iustificantur autem gratis per illius gratiam per redemptionē quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem in sanguinem eius. Hæc opinor uerba apostoli planissima sunt omnibus credentibus. Adimit nostris meritis & uiribus iustificationem, tribuit illam gratiæ, qua datus est orbi filius Dei ad supplicium crucis, in hoc ut omnes qui credunt se sanguine filij Dei redemptos esse, iustificari sint. Idem apostolus mox subiicit, Colligimus ergo fide iustificari hominem absq; operibus legis. His argumenta subiicit, An Iudæorum Deus tantum? An non & gentium? Certè & gentium: quandoquidem unus Deus qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Deum esse aliud non est, quam uitam esse & salutem. Est autem Deus gentium quoq; Deus, non Iudæorum tantum: ergo Deus est uita & salus gentium. Hanc uitam & salutem nō communicat per legem aut per circumcisionem: sed per fidem in Christum. Sola ergo fides iustificat. Demonstrari hoc potest exemplo Cornelij Centurionis, cui cum prædicasset Christum S. Petrus, & ille credidisset, protinus iustificatus fuit, etiamsi non recepisset circumcisionem uel legem, etiamsi non sacrificasset aut ullo opere promerisset iustitiam. Gratis enim in fide per Iesum Christum iustificatus est. Nam Petrus sermonem suum ita concluderat, Huic Christo omnes prophetæ testimonium ferunt quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum.

*Deus iustificat fide  
Gentes &  
Iudæos.*

*Abraham  
pater noster  
quomodo sit iustificatus.*

Profert apostolus post illa eximium & singulare exemplum patris nostri Abraham, docens quomodo iustificatus sit pater noster Abraham. Hoc enim ubi certò expostum fuerit, non poterit nō constare & manifestum esse omnibus, quomodo Deus uelit iustificare omnes homines. Neque eunt enim alia ratione iustificari filij quam iustificatus est pater. Abraham ergo non iustificatus est ex circumcisione aut sacramentorum perceptione. Nam prius dicitur iustificatus quam circumciscus. Postea accessit circumcisionis signum, signaculum iustitiæ fidei, id est sigillū aut obsignatio quod fide iustificatur o-

Gal. 3.

mne semen Abrahæ. Idem ille pater noster Abrahã non est iustificatus per legẽ. Nam lex demũ post annos 430. addita est promissioni, non ut peccatum tolleret uel iustificaret, sed ut peccatum ostenderet, & nos totos euacuaret & euacuatos relegaret & quasi cogeret ad Christum. Idem Abraham non iustificatus est per opera sua. Et tamen inueniuntur in hoc sanctissimo patriarcha bona opera ac fidei quidem ueræ opera bona & illustria & multa, qualia & quanta uix reperias in alio. Nihilominus dicit apostolus, Quid dicemus inuenisse uel meruisse (utrunq; enim significat *εὐμερῆσαι*) Abraham patrem nostrum secundum carnem, qui inquam secundum carnem pater est. Nam si Abraham ex operibus iustificatus fuit, haberet quod gloriaretur: at non apud Deum, Deus enim solus iustus est & iustificans. Omnes homines corrupti sunt, etiam Abraham peccator est, & omnes homines destituuntur gloria Dei. Vnde & propheta diserte prohibuit gloriari, nisi in misericordia Dei. Proinde Abraham minime contra Deum gloriatus est: agnouit se peccatorem esse, & gratis, nõ propter merita sua, iustificari. Sequitur enim in apostolo, Quid enim scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Duo dicuntur, Primum, quod Abraham Deo crediderit, Secundum, quod id ei imputatum sit pro iustitia. Ex ijs consequitur fide iustificatum esse Abrahamum non per opera. Id enim colligit apostolus ad hunc modum, Ei qui operibus meretur iustitiam, non imputatur iustitia. Imputatur autem Abrahæ iustitia, ergo non meruit iustitiam operibus. Rursus, Ei certe imputatur iustitia, qui credit, non operatur. Credidit autem Abraham Deo, ergo fides ei imputatur pro iustitia.

*Nec fides  
neq; pro-  
missio est  
inanis.*

In eodem capite profert idem apostolus & alia non minus firma pro fide iustificante absq; operibus argumenta. Si ij qui ad legẽ pertinent, ait, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. Ad legem pertinent qui operibus legis iustitiam quærunt. Cæterum fides innititur in misericordiam Dei. Quem uero locum habebit gratia & misericordia Dei, si meremur iustitiam? Quid necesse est credere iustificandum me fore Christi sanguine, si propter opera mea placatur mihi numen, propter peccata mea iratum? Deo niq; promittitur salus & iustitia à Deo. Promissio autem ibi cessat ubi incipit meritum se nostrum ingerere. Nam ad Galatas quoq; dixit apostolus, Si ex lege est hæreditas, iam nõ est ex promissione. At qui Abrahæ per promissionem donauit Deus: Proinde ut firma maneat promissio, fides iustificat non meritum.

Rursus ad Romanos cap. 4. Idcirco ex fide datur hæreditas, ait,  
ut scẽ

ut secundum gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini, non ei tantū qui est ex lege, uerum etiam ei qui est ex fide Abrahæ. Duas commemorat causas ob quas fidei & non operibus tribuat iustificationem. Prior, ut iustificatio constet gratis, & laudetur gratia Dei. Posterior, ut firma sit promissio & salus, cedatq; ea etiam gentibus. Non daretur autem gentibus, si legi & circumcisioni, quibus gentes carent, deberetur. Deniq; oportet firmam esse spem salutis nostræ. Nunquam autē uel firma uel tuta esset futura, si tribueretur nostris operibus aut meritis. His enim semper deest aliquid. In Deo autem & merito filij eius nihil potest desiderari. Rara ergo salus est indubitata & certa, si illam per fidem quæramus in filio Dei qui est iustitia nostra & salus.

*Iustificatio constat gratis.*

*Salus certa sit oportet non dubia.*

*Ephes. 2.*

His omnibus subiungam adhuc aliud ex S. Paulo testimonium, & hoc quidem euidentiſſimum clarissimumq;. Ad Ephesios scribit & ait, Gratia estis seruari per fidem, idq; non ex uobis, Dei donū est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Nam ipſius sumus figmentum conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus ut in eis ambulemus. Plura his non adijciam, nec Pauli uerba multis interpretabor. Sunt enim luce meridiana clariora, & clarissime testantur fide nos non ullis operibus iustificari.

Nullum autem hic periculum est fratres in domino honorandi, ne uileſcant hac doctrina de sola fide iustificante, bona opera. Apostoli Christi sic docuerunt: cur non ita etiam doceremus & nos? Apostoli stolos Christi, non nos accusent, quibus uideretur genus doctrinæ quod de fide iustificante absq; operibus constanter a nobis proponitur, esse irreligiosum. Præterea cum dicimus sola fide, aut fide absq; operibus iustificari credentes, non hoc dicimus quod multi intelligunt, fidem esse solam aut destitutam bonis operibus. Nam ubicunque fides est, ibi se exerit per bona opera. Iustus enim non potest non operari iustitiam. Antequam tamen operetur iustitiam, id est opera bona, iustus sit necesse est: ergo iustus per opera sequentia, præcedentem iustitiam non assequitur. Ea ergo iustitia gratiæ tribuitur. Iustificantur enim gratis credentes in fide, iuxta illud, Iustus fide sua uiuet, & postquā iustificati sunt, incipiunt proferre opera iustitiæ. Proinde nolumus hac disputatione bona opera impugnare, quæ suum locum & suam dignitatem habent in ecclesia apud fideles corā deo: sed uolumus modis omnibus adserere gratiam Dei & meritum filij Dei, quo solo iustificamur, eueri & conculcari cum coniungimus nostra merita & opera, merito Christi & fidei qua apprehendimus Christum. Quid enim clarius quam quod dicit beatus apostolus: Si

*Fides exere rit & exprimit se per opera.*

*Sola fides iustificat.*



DE IUSTIFICAT. FIDEI

per gratiam saluamur, non iam ex operibus, Alioqui gratia iam non est gratia. Sin autem ex operibus, iam non est gratia. Quandoquidem opus iam non est opus, Roman. 11. Nequeunt ergo hæc dua gratia & meritum uel opus simul consistere. Ergo ne subuerramus Dei gratiam, & fructum passionis Christi negemus impie, iustificationem tribuimus solæ fidei, quia hæc tribuit meræ Dei gratiæ in morte filij Dei.

De bonis operibus.

Agnoscamus interim nos conditos esse, iuxta Pauli doctrinam, ad opera bona, ad ea inquam quæ præparauit Deus, quæ uerbo suo præscribit, exigitq; ut in eis ambulemus. Cumq; in his ambulamus & bonis operibus diuites sumus, his tamen iustificationem non tribuimus: sed iuxta doctrinam euangelicam humiliamus nos sub manum eius qui dicit, Sic & uos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inuites sumus, quod debuimus facere fecimus. Ergo quoties legit pius opera nostra nos iustificare, opera nostra appellari iustitiam, operibus nostris tribui mercedē uitamq; æternam, non superbit, non obliuiscitur meriti Christi, sed huiusmodi loca pie & commode interpretans, intelligit omnia esse diuinæ gratiæ, & tanta tribui hominum operibus, quia ipsi sunt recepti in gratiam, & quia iam sunt filij Dei propter Christum: ut tandem omnia ad ipsum reuoluantur Christum, propter quem sciunt sancti se & omnia sua Deo patri gratos atq; acceptos esse.

Illis uero pauculis quidem si amplitudinem argumenti spectaueritis, copiosioribus autem si præfixum horæ spacium respexeritis, ostendi charitati uestræ maximam fidei uirtutem, nempe quod iustificet credentes, ubi obiter totum ferè iustificationis negotium uultu & cognitu necessarium omnibus perstrinximus uerius quam tractauimus, transimus ergo iam ad alia quoq;.

Fides radix bonorum operum.

Fides uera est fons & radix omnium uirtutum bonorumq; operum ac satiat in primis mentem ac desiderium hominis & tranquillam reddit achilarem. Nam dominus in euangelio, Ego sum, inquit, panis uitæ: qui uenit ad me, non esuriat; & qui credit in me, non sitiet unquam. Quid enim desideret amplius, qui sentit uera fide se iam possidere ipsum Dei filium, in quo sunt omnes thesauri cælestes, in quo est omnis plenitudo & gratia? Serenas & tranquillitas reddit conscientias nostras postquam uera fide apprehendimus Christum Dei filium plane esse nostrum, illum nobis placasse patrem, illum apparere nunc in conspectu patris & intercedere pro nobis. Ideoq; Paulus dixit, Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per dominum nostrum Iesum Christum. Per eundem in fide habemus liberum ad patrem

patrem adiit. Inuocamus ergo patrem per filium, & imperamus ab eo omnia, quæ nobis sunt salutaria. Vere enim dixit Ioannes apostolus. Et hæc est fiducia quam habemus apud eum, quod si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quod audit nos quicquid petierimus, scimus quod habemus postulationes quas postulauimus ab eo. Qui fide carent, nec Deum inuocant, neque salutaria ab eo accipiunt munera. Fides præterea gratos efficit Deo, eadem iubet donis Dei bene uti. Fides efficit ne in tribulationibus deficiamus. Imò fide uincimus mundum carnem diabolum & aduersa omnia. Nam Ioannes apostolus, Quoniam omne quod natum est ex Deo, ait, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum, si des uestra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quod Iesus est filius Dei? Paulus, Alii uero dissentit, ait, aspernati fide redemptionem ut potiore fortirentur resurrectione. Alii ludibrijs & flagris explorati sunt, insuper & uinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, acie gladij interierunt: oberrarunt in ouillis & caprinis pelibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in desertis errantes & montibus in speluncis & cauernis terræ. Dominus enim ipse in euangelio dixit, Hæc loquutus sum uobis ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habetis, sed confidite ego uici mundum. Erit itaque & est neruus & robur patientiæ fides. Hæc fulcit, erigit & conseruat spem. Ex fide existit charitas. Charitas est plenitudo legis, quæ in se continet uniuersitatem bonorum operum. Nisi uero uera in Deum imbuti simus fide, nulla erit in nobis charitas. Omnis qui diligit eum qui genuit, dicit Ioannes apostolus, diligit & eum qui natus est ex eo. Verum hora iam dudum elapsa est, neque quisquam poterit multis horis uirtutem fidei omnem pro dignitate explicare.

*Fides est uictoria Christianorum.*

*Epilogus.*

Intellexit charitas uestra fidem esse ueram ecclesiæ seu fidelium Dei iustificationem, absolutionem inquam omnium peccatorum, receptionem in gratiam Dei, imò adoptionem in numerum filiorum Dei, & beatificationem certissimam felicissimamque, fontem denique omnium bonorum operum. Oremus itaque uera fide Deum patrem per dominum nostrum Iesum Christum, ut is nostra corda huiusmodi fide uera adimpleat, ut in præseni seculo ipsi fide coniuncti, seruiamus ei legitime, & postquam hinc soluerimus, uiuamus in æternum cum eo cui credidimus. Cui laus & gloria semper, Amen.

DE SYMBOLO APOST.

De primis fidei Christianæ articulis Symbolo apostolorum  
comprehensis. SERMO VII.

**D**ISSERVI proximis sermonibus duobus de ueris fide & uirtutibus eius, ac inter alia commemorauit articuli Articulis fidei Christianæ compendium esse quoddam ueræ fidei, unde iam operæ precium & mei officii esse putauit paucis explicare uobis. Duodecim illos fidei articulos. Sunt enim ueræ fidei ueluti subiectum & materia circa quæ ueretur fides: quæ cum sit substantia rerum sperandarum, articulis hisce exponitur simpliciter & breuiter quænam sint res illæ sperandæ. Nemo autem expectet à me in præsentem operosam & plenam de articulis fidei disputationem, perstringam illos duntaxat, maxime necessaria tantum attingens. De singulis dicitur aliàs copiosius. Vos mecum orate dominum, ut is uias suas nobis ostendat, in ijs deducat & feruet, ad gloriam nominis sui & animarum nostrarum salutem æternam.

Symboli  
apostolorum

Principio dicendum est aliquid de cõmuni appellatione, qua uerbo articuli fidei nostræ appellantur symbolum apostolorum. Symbolum autem dicitur & collatio & iudicium. Collatio uero nuncupantur articuli quod ex collatione doctrinæ apostolicæ sint compofiti atq; conscripti, ut sint regula & epitome quædam fidei prædicatæ ab apostolis & receptæ à Catholica siue uniuersali ecclesia. Quibus autem primus hos articulos sic ordinauerit conscripseritq; incertum est neq; traditum sacris literis. Sunt qui id ipsis tribuant apostolis, & eo nomine appellitent Symbolum Apostolorum. Beatus Cyprianus martyr in expositione symboli apostolici, Tradunt maiores nostri, inquit, quod post ascensionem domini, cum per aduentum sancti spiritus super singulos quosq; apostolos igneæ lingue sedissent, ut loquelis diuersis uarijsq; loqueretur, per quod eis nulla gens exterâ, nullæ linguæ Barbaræ inaccessibleæ uiderentur, & in uia præcepti eis à domino datum ob prædicandū Dei uerbum ad singulas quasque proficisci nationes. Discessuri itaq; ab inuicem normam prædicationis in commune constituunt, ne forte alius ab alio abduci diuersum aliquid his qui ad fidem Christi mutabantur exponerent. Omnes ergo in unum positi & spiritu sancto repleti breue istud fuerunt sibi, ut diximus, prædicationis iudicium, conferendo in unum quod sentiebat unusquisq; componunt, atq; hanc credentibus datam regulam esse statuunt. Hæc Cyprianus. Siue uero ipsi fecerint apostoli siue alij uiri apostolici, satis tamen constat ipsam apostolorum

rum doctrinam pure in his contineri atq; tradi. Iudicium ideo ap-  
pellatur hi 12. articuli, quod per illam notam seu iudiciū veri Chri-  
stiani à falsis dinoscantur.

Iam indicabimus quo ordine in illis explicandis simus progres- *Distributio*  
suri. Poterit tota epitome aut totum Compendium fidei distribui in *Symboli as*  
quatuor ordines, ut tres primi ordines explicent trium personarum *postolici.*  
unius Dei mysteria, quartus autem fructus fidei, quæ scilicet bona  
expectemus ex fide, & quæ Deus suis donet fidelibus. Interim pro-  
grediemur nihilominus eo ordine, quo articuli duodecim collocati  
aut positi sunt.

Primus fidei Christianæ articulus hic est, CREDO IN DE- *Vnus est*  
UM, PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM *Deus essen*  
COELI ET TERRÆ. Et primus quidem hic symboli ordo *tia, personis*  
duo continet. Primo enim in genere dicimus, Credo in Deum. De- *trinus.*  
inde speciatim descendimus ad distinctionem personarum adjicien-  
tes, Patrem omnipotentem. Est enim unus Deus substantiæ, perso-  
nis trinus. Vnde significanter unitatem substantiæ significantes dici-  
mus Credo in Deum. Rursus personarum distinctionem obseruan-  
tes & non confundentes, subiungimus In patrem omnipotentem.  
In Iesum Christum filium eius unicum. Et in spiritum sanctum. Cre-  
damus ergo Deum simplicem unum & purum esse substantia, per-  
sonis autem trinum, patrem filium & spiritum sanctum. Scriptum  
est enim in lege, Audi Israel, dominus Deus noster dominus unus  
est. Rursus in euangelio legimus dixisse dominum, Baptisantes eos  
in nomen patris & filij & spiritus sancti.

Observandum vero singulariter, quod orantes dicimus, Pater *Credo in*  
noster qui es in caelis, da nobis hodie panem nostrum quotidianū, *Deum.*  
confitentes autem non dicimus Credimus, sed Credo. Nam requi-  
ritur ab uno quouis nostrum fides, quam quisq; teneat sincerā cor-  
de, profiteatur simpliciter ore. Non potuit Abraham credere pro u-  
niuerso semine suo. Neq; enim profuerit tibi si alius credat, tu uero  
non credas. Requiritur enim à singulis fides à domino. Singuli er-  
go profitentes dicimus Credo. Porro quid sit credere exposui sermo-  
ne 4. Præterea sequitur in professione Credo in Deum. Deus est ob-  
iectum & fundamentum fidei nostræ, utpote æternum, summum,  
inexhaustum & obuium bonum, In Deum ergo credimus, id est  
spem omnem, omne præsidium & totos nos collocamus, ueluti in  
eum qui seruare & omnia salutaria conferre potest.

Sequitur enim iam quis sit ille Deus cui innitimur & cui nos to- *Deus pater*  
tos committimus, Pater omnipotens. Pater appellatur Deus noster *dicitur.*

DE SYMBOLO APOST.

quia ab æterno sibi similem genuit filium. Scriptura enim nominat Deum, patrem domini nostri Iesu Christi. Hic, inquit apostolus, est splendor gloriæ & expressa imago substantiæ paternæ: ad quem dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursus, Ego ero illi pater & ille erit mihi filius. Deinde Deus pater dicitur per similitudinem quandam, quam habet cum patre nostro terrestri, nimirum propter creationem, fauorem, amorem, curam & sollicitudinem qua erga nos affectus est. A Deo enim sumus conditi. Deus amat nos, curat res nostras, & pro nobis sollicitus est, & magis quidem uel impensus quàm sit ullus pater terrenus. Nam Dauid, Quæadmodum pater miseretur liberorum, ita dominus miseretur timentium eum. Ipse enim nouit conditionem nostram, recordans quoniam puluis sumus. At Isaias in cap. 50. Nunquid obliuisci potest, inquit, mulier infantis sui, quo minus misereatur & eximie afficiatur erga eum quem suis ex uisceribus genuit? Sed esto obliuiscatur illa, ego tamen tui non obliuiscar. His ergo declaratur bona erga nos Dei uoluntas: & nos profitemes Deum esse patrem nostrum, profitemur nos credere Deum nobis esse clementem, benignum, misericordem, qui uelit omnia quæ nobis sunt salutaria, deniq; ipsum erga nos nihil nisi bonū & salutare instituere: præterea nos ab illo habere quicquid habemus boni corporaliter & spiritaliter.

*Deus omnipotens.*

Omnipotens dicitur Deus quia omnia potest, quia omnium dominus est, omniaq; habet suo subiecta imperio. Ideo enim & Dominus exercituum appellatur. Cælum, terra, & quæ in eis sunt, astra, elemēta omnia, homines, angeli, diaboli, animantia omnia, res conditæ omnes, in potestate sunt supremi & æterni numinis. Quæcunq; iusserit, faciunt, nihil eius uoluntati resistere potest. Quod ipse uoluerit, fieri necesse est: ac utitur rebus illis omnibus pro ut uult, & ut iustitia eius deniq; salus hominum poscit. Cōfessi sumus prius Deum nobis bene uelle, iam confitemur illum quæ uult etiam posse. Confitemur enim Deum omnipotentem esse, id est nihil nō posse quod utile et necessarium est hominibus, adeoq; illum esse dominum uniuersorum & auxiliatorem nostrum fortem.

*Deus est creator cœli & terræ.*

Quod autem Deus sit pater noster bonus, benignus, clemens & misericors, deniq; fortis omnipotens dominus uniuersorum atq; defensor & assertor noster, declaratur operibus eis mirificis. Est enim Creator cœli & terræ. Porro Creatione cœli & terræ declarauit quomodo affectus sit erga homines, Dum enim illi nōdum essent, neq; meritis officijsq; prouocare possent Deum ad benefaciendum ipsis, Deus prior ex mera sua & natiua bonitate condidit cælum & terram,

eam, palatium longe præstantissimū & elegantissimum, & hoc ipsis ad inhabitandum concessit, subiectis homini creaturis in toto hoc mundo uniuersis. Quam uero potentiam exeruerit in creatione rerum omnium claret ex hoc, quod dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Quæ si per partes digeras & sigillatim exponas quid per sex dies condiderit, quo ordine, quo cum ornatu, quanta cum utilitate hominum, denique quam nullo negotio ista omnia produxerit, sicuti fuisse scribitur à Mose Genes. 1. capite, cogaris ad beneuolentiam & potentiam Dei planè obstupescere. Interim talem quoque creatorem uniuersorum cogitare oportet, qui condiderit quidem per filium suum siue per æternam sapientiam omnia, tam uisibilia quam inuisibilia, eaq; ex nihilo: sed nunc quoque nihilominus per spiritum suum æternum sustineat, foueat, agat, & conseruet omnia, circa quem omnia statim collapsura essent et abitura in nihilum. Confitemur ergo hic quoq; Dei æterni prouidentiam & gubernationem sapientissimam.

Et hoc quidè ordine primo expositū est quod patris quidè quasi propriū est. Est enim pater, et pater quidè domini nostri Iesu Christi: & pater noster est dominus uniuersorū, creator cæli & terræ, gubernator & conseruator rerū omniū, ex quo sunt omnia, & in quo consistit omnia. Ex hoc ab æterno gignitur filius æternus, patri coæqualis coessentialis eiusdem cū patre potestatis & gloriæ, per quē & secula cōdidit: ex utroq; procedit spiritus S. Dauide q; attestante & dicente, Verbo dñi cæli facti sunt, et spiritu oris eius omnis exercitus eorū.

Sequitur iam ordo secundus in quo continentur omnia mysteria filij Dei domini nostri Iesu Christi. Secundus enim articulus fidei Christianæ ad uerbū sic habet, ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM EIVS VNICVM DOMINVM NOSTRVM. Duo autem continet hic articulus. Alterum quod credimus in filium Dei. Alterum quis sit ille Dei filius. Profitemur enim nos credere, id est fiduciam & spem omnem uitæ ac salutis, perinde in filium collocare atque in patrem. Diserte ergo dicimus, Credo in Iesum Christum: quemadmodum diximus, Credo in Deum, &c. Nam Ioannis 14. capite dicit ipse dominus Iesus, Ne turbetur cor uestrum: creditis in Deum & in me credite. Item, Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misisse. Et iterum, Hæc est uita æterna ut cognoscant te solum Deum uerum & quem misisti Iesum Christū. Præterea legimus in euangelio Ioannis dominum ad cæcum cui aperuerat oculos dixisse, Credis in filiū Dei? Cæcum uero illuminatū illi respondisse, Quis est domine, ut credam in eum?

Articulus  
fidei 2.

Credere in  
filium Dei.

At dominum subiecisse, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Tunc autem excepisse cæcum, Credo domine: sed & adorasti. Credamus ergo & nos ac adoremus, credamus autem Iesum esse uerum Dei patris filium, eiusdem potestatis cum patre, distinctam tamen à patre personam. Quando & Dauid dixit, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis.

*Quis sit  
filius Dei.*

*Filius unicus.*

*Iesus.*

Cæterum copiose explicamus quis sit ille filius Dei in quem credimus. Vbi tria ueniunt obseruanda. Primum illud est quod appellatur Filius unicus, Si filius est, & filius quidem Dei patris, ergo natura & substantia eius diuina est natura & substantia. Hoc enim nomine appellatur ab apostolo splendor gloriæ paternæ & expressa imago substantiæ illius. Rectissime itaq; filius dicitur à sanctis patribus consubstantialis & coessentialis patri. Quo illud perinet quod dicitur filius unicus, alibi unigenitus & primogenitus. Nuncupamur enim & nos filij, sed nō cōmunionē naturæ aut substantiæ æqualitate, uel naturaliter, sed per adoptionem. Et proinde non offēdebantur Iudæi quod se nuncuparet filium Dei sicuti omnes fideles dicuntur & sunt filij Dei, sed quod intelligerent ipsum amplius quippiam de se prædicare, nempe quod sit naturalis Dei filius, Deo æqualis, & Deus ipse. Sic enim legis in euangelio Iohannis 1, capite, Propterea magis quærebant Iudæi interficere Iesum, quia non solum soluisset sabbatum, sed & patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Et in capite 10. ubi dixisset dominus, Ego & pater unum sumus, sustulerunt Iudæi lapides ut lapidarent eum: at hunc respondisse, Multa bona opera præstiti uobis, ob quod eorum me lapidabitis? Iudæos uero dixisse, Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam: & quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum. Sunt hæc clarissima diuinitatis Christi naturalis testimonia: quibus qui non credit ne patrem quidem habet. Nam qui honorat filium, patrem honorat: & qui filio caret, ne patrem quidem habet: ac nisi filius naturalis esset Deus, non posset esse saluator mundi.

Deinde nomen prodiur unigeniti filij Dei & appellatur Iesus Christus. Exprimitur autem nomen ne sit error in persona, & ut intelligamus ex nomine quis sit ille in quem credimus, Iesus est quo nomine donatus est oraculo cœlesti, quemadmodum euamrypi præcesserant de eo in Iosue duce & in Iesu sacerdote summo. Angelus apud Mathæum erudiens Iosephum, Pariet filium, inquit, Maria, & uocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis.

*Filius*

Filius ergo hic Dei Iesus saluator est mundi, qui remittit peccata & liberat ab omni potestate aduersaria. Quod nullo modo posset, nisi esset Deus uerus. Dicitur idem Christus, quod perinde sonat atque *Christus*, si tu dicas Unctus. Hebræi uocant Messiam, Et uocabulum hoc tam regni est, quam sacerdotij. Olim enim ungebantur & reges & sacerdotes: & ungebantur quidem chrismate aut oleo externo siue typico. Christus ipse ipsa uera unctione spiritus sancti plenitudine unctus est: sicuti narratur in Ioanne cap. 1. & 3. Propriissime ergo hoc uocabulum Christus tribuitur domino nostro. Nam primum quis dē rex est & sacerdos populi Dei. Deinde plena omnigena que ubertate in Iesum effusus est spiritus sanctus, unde ueluti ē scaturigine uel fonte uiuo exuberat in omnia Christi membra. Hic enim est ille Aaron in cuius caput effusum est oleum, quod descendit in barbam & in extimos uestimenti eius limbos. Nam de plenitudine eius accipimus nos omnes.

Postremo obseruandum uenit in hoc secūdo articulo quod nunc *Christus est dominus* cupamus Dei filium dominum nostrum. Ac peculiariter & duplici quidem nomine appellatur filius Dei dominus noster. Principio propter mysterium redemptionis. Christus enim dominus est omnium electorum, quos asseruit a potentia & dominio sathanæ peccati & mortis, & fecit sibi eos populum acquisitionis. Fit autem allusio ad dominos qui pecunia sibi emunt seruos, aut qui in bello seruant captiuos, quos occidere potuissent, aut qui aliās a morte præsensu liberant damnatos. Sunt ergo domini ueluti liberatores redemptores ac saluatores. Certè Paulus quoque huc alludens, Precio empti fuistis, inquit, nolite fieri hominum serui. Et beatus Petrus, Redempti estis, inquit, non auro & argento, sed precioso sanguine agni immaculati. Deinde Christus appellatur dominus propter diuinā potentiam & naturā secundum quam omnia subiecta sunt filio Dei. Et quia amplissimum est uocabulum domini, diuinam etiam naturam & maiestatem comprehendens, libenter leguntur eo usi apostoli. Paulus ad Corinthios; Licet multi sint domini, ait, nobis tamen unus est dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per illum.

Tertius fidei Christianæ articulus hic est, *Articulus fidei 3.*  
**QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITV SANCTO: NATVS EX MARIA VIRGINE.** Secundo articulo professi sumus nos credere in Iesum Christum Dei filium dominum nostrum: quo certe adumbrauimus nos firmiter credere Deum patrem nobis & in nostram salutem dedisse mundo filium saluatorem & liberatorem. Huc enim pertinent uocabula Iesus & dominus. Iam itaque tertio articulo expo-



DE SYMBOLO APOST.

nimus modum & rationem qua uenit in mundum, nimirū per incarnationem. Duo ergo comprehendit articulus, Conceptionem Christi, & Natiuitatem eiusdem. De quibus ordine dicemus, ubi prius & paucis quidem explicauerimus incarnationis dominicæ causas.

*Incarnatio* Actum erat cum hominibus & periisset totum genus mortaliū  
*nis domini* propter peccatum quod contraximus omnes ex protoplasto. Nam  
*et cause.* stipendium peccati mors. Ideoq; non potuissimus cælum ingredi  
 qui eramus ad tartara proijciendi, nisi ad nos descendisset Dei filius  
 ac Immanuel factus secum nos traxisset ad cælos. Proinde summa  
 incarnationis causa est, mediare inter Deum & homines & median  
*Mediator.* do coniungere uel adunare disinctos. Nam ubi mediator est, ibi  
 dissidium & partes sint necesse est. Partes sunt Deus & Homines  
 Causa dissidij est peccatum. At mediatoris est dissidentes partes con  
 fus coniungere: id quod fieri non potest nisi prius tollatur e me  
 dio causa dissidij peccatum. Peccatum autem neque expiatur neq;  
 tollitur nisi fundatur sanguis & sequatur mors. Testimonium hu  
 ius rei præbet Paulus ad Hebræos 9, cap. Oportuit ergo mediatorē  
 assumere carnem nostram & sanguinem, quo & mori posset & fun  
 dere sanguinem. Præterea necesse est sequestrem aut mediatorē u  
 trisq; communem esse quos conciliare debet. unde oportuit Christū  
 dominum & Deum esse uerum, & hominem uerū. Deus purus, for  
 midabilis & parum accommodus fuisset hominibus. Homo purus  
 non potuisset accedere ad Deum qui est ignis consumens: quapro  
 pter utrunq; existens dominus noster Iesus Christus utriq; parti ac  
 cōmodus est mediator. De qua re testificans apostolus dicit, Unus  
 Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus,  
 qui dedit semetipsum precii redemptionis pro omnibus. Idem apo  
 stolus ad Heb. 2. & 9, cap. plura differit quæ ad hunc locū pertinent.  
 Et in 2. cap. alteram quoq; incarnationis Christi causam recitans di  
 cit, Debit per omnia fratribus similis reddi ut misericors esset & fra  
 delis pontifex, in ijs quæ apud Deum forent agenda, ad expiandā  
 utiq; populi peccata. Nam quod ipsi quoq; accidit tentatio, potest  
 tentatis quoq; succurrere, Rursus ut erudiret homines in omni pie  
 tate & iustitia, deniq; ut esset lux mundi & exemplū sanctissimæ ui  
 tæ, incarnatus est dñs noster. Nā Paulus, Gratia ait Dei saluifera apa  
 paruit nobis crudētes nos ut abnegata impietate sancte uiuamus. In  
 summa, ut nos, ppter peccata disinctos à Deo, cū Deo rursus cōiune  
 geret & in societate sui ipsius suorumq; bonorum omnium nos recipere  
 ret, nature communionē nobiscum coaluit, hoc est incarnari uoluit.  
 Descendit

Descendimus nunc ad modum incarnationis explicandum. Articulus fidei duo habet membra. Alterum est conceptus est de spiritu sancto. Homines alioqui omnes concipimur ex uirili semine eodē immundo, & icireo nascimur peccatores, adeoq; ut Paulus ait, nascimur filij iræ. Cæterum corpus Christi adeoq; dominus noster non concipitur in Maria uirgine de Ioseph, aut ex ullo uirili semine, sed de spiritu sancto: non quod spiritus fuerit loco seminis. Nequit enim ex spiritu aliud generari nisi spiritus. Atqui habet dominus noster non phantasticum corpus, sed uerum & nobis constantiale. Conceptus est ergo dominus noster in utero uirginis è spiritu sancto. Nam effecit æterna sua potentia spiritus sanctus, ut illibata uirginitate matris, ipsa inquam fœcunda facta conceperit ex suo ipsius sanguine, dederitq; corpus purum & uere humanum filio Dei. Id quod multis exponitur per angelum Gabrielem apud S. Lucam in cap. 1. De quo loco cum alibi dicturi simus copiosius, iam transimus intactum. Prædixit conceptionem illam sic futuram ipse Deus mox ab ipso mundi principio. Non enim dixit, semen uiri conculcabit caput serpentis, sed semen mulieris. Præterea dicit per prophetas Deus, Ego excitabo semen ipsi Dauidi. Nota est autem lex Moysis de excitando semine fratris defuncti. Si enim excessisset frater sine liberis, cogebatur frater superstes uxore ducere defuncti fratris, ac ex ea procreare liberos, qui nomine appellabantur censabanturq; non uiui quidem, sed defuncti fratris. Proinde cum ex Dauide non esset uir qui idoneus foret gignere ex uirgine filium Dei saluatorem mundi, Deus ipse suscitauit Dauidi semen, ac per spiritum suum fœcundam reddit uirginem: quæ quanquã non concepit ex uiro Dauidico, quia tamen ipsa erat Dauidis filia, & ex sua ipsius substantia, Deo sic efficiẽte, dedit substantiam filio Dei, est hic & dicitur Dauidis filius. Quid quod ipse Dauid in Psalmo 110. uaticinans dicit? In magnificentijs sanctitatis ex utero auroræ tibi ros natiuitatis tuæ. Vel, Ros natiuitatis tuæ tibi ex utero auroræ in magnificentijs sanctitatis. Hoc est, magna quadam sanctitate & modo mirabili nasceris. Habebit enim se tua natiuitas, sicut generatio roris, qui ex aurora pura uelut matrice nascitur. Elicit enim interdum sol è terra uaporem, qui ob calidi sursum ducẽtis pauca temperatæ noctis uel uesperarum frigore deorsum ducitur atq; in aquam soluitur. Sic autem sol iustitiæ Deus è terra, ex corpore inquam intemeratæ uirginis Mariæ sanguinem elicit, & mirabili modo sancte & pure effecit, ut è matrice munda nasceretur concipereturq; sanctissimus Dei filius.

De concep-  
tione Chris-  
ti.

*Causse pu  
re conce  
ptionis  
Christi.* Causse purissimæ huius conceptionis filij Dei in utero sanctissimæ uirginis hæ sunt. Qui concipitur in utero uirginali Deus est: at Deus est ignis consumens, qui nullam potest in se recipere immundiciam. Et quoniam uenit Deus nostram id est humanam impuritatem purificaturus, oportuit certe ipsum ob omni originali labe exemptum, per omnia esse sanctissimum, ut unica eaq; illibata hostia pro peccatis totius mundi oblata, omnia mundi peccata semel tolleret in medio. Nam quod inquinatum est, nõ potest id quod inquinatum est purgare, quinimo labes & immundicia per alterius immundi acceptionem duplicat impuritatem.

*De Natiuitate Christi.* Alterum membrum huius articuli tertij est, Natus ex Maria uirgine. Natus est dominus ex Maria matre eademq; uirgine. Homo ergo uerus est, qui ex homine natus est. Sed & pura est eius natiuitas. Nã ex uirgine natus est, ita ut simul & mater fuerit & uirgo. Nam & Isaias dixit, Ecce uirgo concipiet & pariet filium. Virgo inquit faciet utrumq;, concipiet & pariet, ita ut maneat uirgo, Purissima ergo est filij Dei natiuitas. Et uera quoq; est. Trahit enim carnem ex substantia & ex uisceribus uirginis. Quo nomine etiam appellatur dominus noster Iesus filius Davidis. Non posset dici Davidis filius, nisi ex Maria, puella aut filia utiq; Dauidica accepisset ueram substantiam humanam. Ad quam significandam & propriissime exprimendam Ioannes apostolus dixit, Verbum caro factum est. Et apostolus Paulus, Nuspiã assumit angelos, sed semen Abraham. Ibidem dicit dominum fratribus suis factum esse similem per omnia excepto peccato. Ad Philipenses ait, Cum esset æqualis Deo, semetipsum inaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominum confitutus, & figura repertus ut homo. Rursus autem testificatur Ioannes apostolus & ait, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum uenisse in carnem, ex Deo est, & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo non est. Modum natiuitatis exposuit multis Lucas cap. 2. Et nos alias de eo dicemus copiosius. Credamus ergo & confiteamur Iesum Dei filium conceptum esse ex spiritu sancto, natum ex Maria uirgine.

*Articulus  
fidei 4.*

Quartus fidei Christianæ articulus hic est, PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS, MORTVVS, ET SEPULTVS, DESCENDIT AD INFERNVM. Exponitur hoc articulo quarto finis, usus & fructus incarnationis dominicæ possumus. Homo enim factus est ut pati & mori posset, moriendoq; & patiendo à morte æternæ & tormentis inferorum redimere, purgatosq; constituere hæredes uitæ æternæ. Nam hic est finis mortis dominicæ,

minicæ, ut mox indicabimus, & copiose exposuit Paulus ad Hebræos cap. 9.

Diducitur hic articulus rursus in suas portiones. Principio confitemur dominum nostrum passum esse, vere utiq; non putatiue, & passum quidem ærumnas & miseras huius sæculi, deinde tormenta carnificum & ipsam mortē acerbissimam. Passus est itaq; animo & corpore, & multifarie quidem. Isaias enim dicit, Vir dolorum est & qui expertus est ærumnas. Ipse portat infirmitates nostras, & dolores nostros ipse baiulauit. Nam & in euangelio ipse dixit, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Ea uero omnia propter nos passus est. Non enim erat in ipso peccatum aut causâ ulla cur pateretur.

Secundo loco noratur tempus & iudex Pontius Pilatus sub quo mortuus est dominus, & redemit mundum à peccato, morte, diabolo, & inferis. Passus est ergo sub monarchia Romanorum, sub Imperatore Tiberio, cum iam secundum uaticinium Iacobi Israelis, populus Iudaicus pareret exteris regibus, neq; præessent amplius reges uel præfides è stirpe Iudaica. Tum enim uenturum prædixerat Messiam. Quid quod ipse dominus in euangelio non semel prædixerat se tradendum fore in manus Gentium & ab his occidendum?

Tertio loco significamus etiam modum passionis. Subiugimus enim Crucifixus & in cruce mortuus. Erat autem supplicium crucis ut probrosissimum, ita etiam acerbissimum. Id autem supplicij in se suscepit, ut satis faceret pro mundo: & quod ab initio typi præcesserant fore ut suspendereur in ligno. Si uilignorum imponeretur Isaac imolandus. In palum quoq; impositum serpentem Moses erigebat. Sed et ipse dominus, Vbi exaltatus fuero, inquit, omnes traham ad me. Porro in cruce expirauit tradens spiritum Deo. Vere enim mortuus est ut mox sequetur. Vbi paucis dicendum est quis sit fructus mortis Christi. Principio maledicti eramus propter peccatum: maledictionem ergo in se suscepit, sublatus in crucem, ut tolleretur maledictionem, essemus autem benedicti in ipso. Deniq; non ponit nobis obuenire hæreditas testamento legata, nisi is qui legauit fuisset mortuus. Deus autem legauit: qui ut mori posset, humanam naturam ut hæreditatem uitæ acciperemus. Alibi rursus Paulus, Qui peccatū nō nouit, pro nobis (Deus) peccatū fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum. Homo ergo piacularis factus est pro nobis dominus noster, in quem ceu hircum peccati cum collata congestaq; essent omnia totius mundi peccata, ipse moriens ea omnia sustulit ac expiauit: ut iam unica Christi hostia satis fecerit pro peccatis totius mundi. Qui

certè maximus est mortis Christi fructus ubiq; traditus ab apostolis Christi. Deinde docet nos mors Christi patientiam & mortificationem carnis nostræ: imò communionem sui efficit in nobis. Christus spiritu suo ne regnet in nobis peccatum. De qua re multa tradidit apostolus Paulus ad Romanos 6, cap. Dominus in Euangelio dicit, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Hi & nonnulli alij sunt fructus passionis dominicæ uel mortis Christi.

*Sepultus est dominus noster.*

Quarto loco subiungitur Sepultus. Vere enim in cruce mortuus est dominus noster. Probata est ueritas mortis eius à milite qui lancea eius transfixit. Sublatus est deinde ex cruce & positus in monumento. Ponuntur in euangelio illorum nomina qui ipsum sepeliuerunt, Ioseph & Nicodemus. Ostenditur item modus quomodo sepeliuerint eum. Fructum sepulturæ his uerbis tradidit ipse saluator, Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si uero mortuum fuerit, multum fructum adfert. Vnde & apostolus hortatur ut sepeliamur cum Christo in morte eius, quo in nouitate uitæ resurgamus, imò & uiuamus regnemusq; æternum cum eodem. Ergo si nostra quoq; corpora sepeliantur aliquando, ne simus foliicitii. Sepeliuntur enim fideles ut resurgant cum Christo.

*Descendit ad inferna.*

Quintam particulam articuli 4. quidam separatim ponunt pro articulo fidei quinto. Ego non uideo cur auelli debeat à præcedentibus neq; cur peculiarem constituat articulum fidei. Verba sic habet, Descendit ad inferna. De his uariæ sunt apud sacros interpretes sententiæ. Augustinus in libro de fide & symbolo hæc uerba neq; ponit in regula fidei neq; exponit. Cyprianus hæc tradit. Sciendum sanè est quod in ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additum Descendit ad inferna, sed neq; in Orientis ecclesijs habetur hic sermo: uis tamen uerbi eadem uideatur esse in eo quod sepultus dicitur. Hæc ille. Videtur autem sentire Cyprianus Descendere ad inferna aliud non esse quàm conditi sepulchro, iuxta illud Iacobi, Deducetis canos meos cum mærore ad inferos. Verum non desunt quibus apparet hoc quod allatum est carere iusta ratione. Nam cõsentaneum non esse quod rem semel aperte expositam, obscuriore mox loquendi genere implicuerint. Imò quoties coniunguntur duæ sententiæ eandem rem significantes, semper posteriorem prioris esse explanationem, Cæterum planiorem esse illam loquutionem Sepultus est: implicatiorem, Descendit ad inferna. S. Augustinus ad Euodium epistolâ 99, torquet se in hac causa. Ad Dardanum de Dei præsentia scribit

scribit dominum ingressum fuisse tartarū, sed nullum sensisse cruciatum. Longe simplicius uidebimur articulum hunc intelligere, si senserimus uirtutem mortis Christi dimanasse etiam ad defunctos & his profuisse: id est propter mortem Christi omnes patriarchas & fideles homines ante Christi aduentū mortuos ab æterna morte præseruatos esse. Sicut & S. Petrus cōmemorat dominū abiisse in spiritu & spiritibus inobedientibus ac in carcere detentis prædicasse. Nimirum innotuit & his iusta damnationis ex morte Christi sententia, quod uiui non credidissent cum ipso Noe ac suis in uenturū Messia. Vel certe per Inferos uel inferna intelligimus non locū supplicij designatū impijs, sed defunctos fideles, quemadmodū per superos significamus adhuc superstites in uita. Proinde anima Christi descendit ad inferos, id est delata est in sinū Abraham, in quo collecti fuerunt omnes defuncti fideles. Ergo cum latroni secū crucifixo dixit, Hodie mecum eris in paradiso, promisit ei consortiū uitæ & beatorum spirituum. De sinu Abraham differuit copiosius dominus noster apud S. Lucam in cap. euang. 16. Licet enim dominus descendisse dicatur, fit tamen id ex more loquendi. Alioqui ex Luca claret sinum Abraham locum esse longissime separatū à tartaro, & posthum quidem in sublimi. Cæterum de his curiosius inquirere & differere curiosi magis quam pijs est hominis. Confitemur in hoc articulo animas esse immortales, easq; protinus à morte corporea transire ad uitam, & sanctos quidē ab initio mundi omnes fide sanctificatos per Christū, in Christo & per Christū hæreditatē accipere uitæ æternæ.

*Epilogus.*

Adderem istis articulum 5. nisi hora iam præterisset. Differemus ergo in sermonem proximum. Iam uero orabimus unā omnes Deū patrem nostrum qui in cælis est, ut per spiritum suum nobis inspirare dignetur ueram & uiuificam illam fidem, quæ tendit in patrem & filium; in patrem ut creatorem uniuersorum: in filium ut saluatōrē totius mundi, qui ideo cælo descendit & in utero sanctissimæ uirginis Mariæ incarnatus est, ut esset mediator inter Deum & homines, atq; hos inter se reconciliaret seu coniungeret, haberetq; quod offerret ad satis faciendum diuinæ iustitiæ & ad purganda peccata nostra: quæ & in corpore suo tulit, imò abstulit, omnesq; fideles hæredes fecit uitæ æternæ. Laudemus iam Dei gratiam, & agamus gratias filio Dei. Cui soli debetur omnis honor & gloria in secula seculorū, Amen.

DE SYMBOLO APOST.

De posterioribus fidei Christianæ articulis simbolo apostolorum  
comprehensis. SERMO VIII.



RE MV S ante omnia Deum nostrum ut is pro sua bonitate concedat nobis feliciter expedite & multo cō fructu procedere in explanandis alijs fidei nostrę Chri stianæ articulis.

Articulus  
fidei 5.

Resurrex-  
itio Chri-  
sti gloriosa

Quintus fidei nostrę articulus hic est, TERTIA DIE RESURREXIT A MORTVIS. Et tenet quidem hic articulus fidei inter omnes alios ferme primas. Nec sunt apostoli in alijs declarandis & confirmandis operosiores quā in hoc uno. Nec satis fuisset si dominus noster duntaxat pro nobis mortem oppetisset, nisi etiam resurrexisset ex mortuis. Nam si non resurrexisset ex mortuis, sed mansisset in morte, quis persuaderet hominibus peccatum morte Christi esse expiatum, morte Christi mortem superatam, sanam deuietum & tartarum fidelibus contractum? Imò pergerent absurdi nostri homines perpetuo blasphemare Deum uerū ac spem nostram suggillare, dicereq; Quis unquam redijt ex ijs qui mortem obierunt, ac enarrauit nobis an sit uita in alio seculo post hanc uitā, & qualis illa sit? Quia ergo nemo redijisse legitur, dubium relinquitur quod garrunt spermologi de uita futuri seculi. Iccirco ut toti mundo declararet dominus post hanc uitam superesse aliam uitam, animam quoq; cum corpore non interire, sed uiuere, tertia die redijt ad discipulos suos rediuius dominus noster: simul etiam demonstrauit expiatum esse peccatum, exarmatam mortem, deuietum diabolium, & destructum infernum, Nam aculeus mortis est peccatū. Vel stipendium peccati mors est. Mortis imperium habet diabolus & concludit ob peccata in tartarum. Iam itaq; cum resurgit uiuus ex mortuis Christus, non potuit ei dominari mors: & quia mors domino amisso contracta est, pari ratione consequitur & diabolium et infernum per Christum esse deuietum, deniq; horum omnium uitam & uirtutem peccatum esse expiatum. Claret ergo resurrectionem domini nostri Iesu Christi quasi certificare obsignareq; salutem & redemptionem nostram ut de ea addubitare nō possimus amplius. Confitemur itaq; hoc articulo resurrexisset dominū nostrum Iesum Christum ex mortuis, & nobis quidem resurrexisset, id est nobis deleuisset peccatum, nobis deuicisset mortem infernum & diabolium: iuxta illud apostoli, Deus fecit nos saluos & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quę data est nobis per Iesum Christum ante tempora æterna,

æterna, sed palam facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi, qui mortem quidem aboleuit, uitam autem & lucem produxit & immortalitatem per euangelium. Sunt huius generis alia multa ad Roman. 4. & 1. Corinth. 15. Nam & in euangelio loannis dicit dominus, Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me; non morietur in æternum.

Inspiciamus iam etiam singula uerba articuli. Confitemur dominum resurrexisse, Est autem resurgere denuo surgere. surgit quod cadit. *Resurgere quid sit.* Corpus Christi cecidit, ergo corpus Christi surgit, adeoque resurgit: id est, illud ipsum corpus Christi quod priusquam caderet uiuebat & operabatur, iam resurgit, rursus inquam uiuit & operatur. Vnde enim Tertullianus de resurrectione carnis, Resurrectionis uocabulum, ait, non aliam rem uindicat quam quæ cecidit. Resurgere enim non est nisi eius quod cecidit. Iterum enim surgendo quia cecidit resurgere dicitur. Re enim syllaba semper iterationi adhibetur. Proinde dum matronæ euangelicæ abeunt ad sepulchrum uncturæ corpus domini quod pependerat in cruce, audiunt ab angelo dominum, Quid queritis uiuentem cum mortuis? Non est hic, sed resurrexit, &c. Nota est enim historia dominicæ resurrectionis apud Lucam in cap. 24. & apud Marcum in cap. 16. Petrus quoque apostolus ex Dauide resurrectionem ueram astruens 2. cap. Actorum in prima illa concione sua discrete ostendit Christum uere resurrexisse ex mortuis.

Deinde addimus dominum resurrexisse ex mortuis uel à mortuis. *Ex uel à mortuis re surgit.* Quæ particula exprimit & mortis & resurrectionis ueritatē. Corpus enim uel caro moritur & corrumpitur: atqui mortuum resuscitatur, corpus ergo uel caro resuscitatur: quasi dicat confitens, Ea quæ cæteri mortales lege naturæ defunctus est dominus noster, at non mansit aut hæsit inter mortuos. Eandem enim carnem quam semel assumpserat mortalem ac per mortem deposuerat, iam resumit immortalem. Prædixerat enim Dauid, Quoniam non dereliques animam meam in inferno, neque dabis ut sanctus tuus uideat corruptionem. Est enim primogenitus resurgentium Christus, in quo ceu in capite declarari oportuit, qualis sit futura resurrectio omnium membrorum Christi in die iudicii.

Hanc uero resurrectionem confitemur factam esse die tertia, à morte inquam. Deponitur enim in die parasceues à cruce & inferitur sepulchro, quiescit sabbato toto, & circa principium diei primi sabbatorum, qui primus inquam occurrit in hebdomada, quæ nobis ho-



DE SYMBOLO APOST.

die dominica est, refurgit circa auroram ex mortuis. Quamuis ergo in euangelio Matthæi 12. capite legamus dixisse dominum, Quem admodum fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: aramen in capite 16. & 20. seipsum quasi exponens loquutum id per synekdocham, dicit, Oportet me abire Hierosolymam & multa pati à scribis & senioribus, & occidi, & tertio die re

*Articulus  
fidei 6.*

Sextus fidei nostrę articulus hic est, ASCENDIT AD CÆLOS, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Corpus illud quod corpori nostro cõsubstantiale est, desumptũ ex Maria uirgine, adeoq; ex substãtia uirginis assumptũ, quod pependit in cruce & excessit, sepultũ est & resurrexit, illud ipsum in quã ascendit ad cælos & sederã dexteris Dei patris. Nam posteaq; per dies 40. ab uide satis instruxisset dñs noster discipulos suos de ueritate resurrectionis suæ & de regno Dei, sublatus est in cæli.

*Ascensio  
Christi glo  
riosa.*

Ascensione illa sua declarat uniuerso terrarum orbi dominus nos- ter quod sit uniuersorum dominus omniaq; sibi habeat subiecta quæcunq; in cælo sunt & in terra, quod ipse sit robur nostrum uirtus fidelium & gloriatio contra portas inferi. Ascendens enim in cœlum captiuam duxit captiuitatem, spoliariisq; hostibus populum suum locupletauit, quem & indies spiritualibus donis cumulat. Nam in excelsis residet, ut transfusa inde ad nos sua uirtute, uita nos uiuificet spirituali, uariisq; gratiarum muneribus exornet, deniq; ut ecclesiam aduersus omnia mala defendat. Est enim Deus seruator rex & pontifex noster. Vnde cum offenderentur quondam Capernaizæ, quod dominus appellasset se panem uitæ de cælo descendentem ad uiuificandum mundum, ait, Hoc uos offendit? Quid ergo si uideritis filium hominis eò ascendentem ubi erat prius? Nimirum ex uiuifica resurrectione & gloriosa ad cælos ascensione colligetis me esse panem uitæ cælo delatum, & iam iterum assumptum in cælos manere seruatorem uitam & dominum cœli & terræ. Sed & beatus Petrus apostolus in Actis, Cerro sciat tota domus Israel, inquit, quod dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum quem uos crucifixistis.

*Virtus a  
scensionis  
in cælum.*

Deinde non tantum à morte refurgens redijt ad suos, uerum his inspicientibus ascendit in cælos, quo redderemur omnes certiores æternę salutis. Ascendendo enim parauit nobis locum, strauit uiam, hoc est ipsum aperuit fidelibus cælum. In cælo posuit quod à nobis assumpsit Deus, uerum hominem: uiuum utiq; irrefragabile testimoni-  
monium

monium in caelos aliquando totum hominem esse transferendū. Nam necesse est membra capiti conformia fieri. Resurrexit ex mortuis Christus caput nostrum: resurgent ergo & membra. Et quem admodum nubes domini ab oculis discipulorum: ita pif feremur in occursum domino in nubibus, totiq; tam anima quam corpore erimus & æternum habitabimus in caelis apud caput nostrum Christum dominum. Id quod clarissima lectione traditur Ioan. 14. cap. dicente domino, Vado paraturus uobis locum, iterumq; ueniam ad uos & assumam uos ad me ipsum, ut ubicunq; ego sum & uos sitis. Apostolus quoq; Paulus testatur & ait, Nos qui uiuimus & reliqui erimus in aduentu domini, simul cum resuscitatis ex mortuis rapiemur in nubibus in occursum domini in aera. Confitemur ergo hoc articulo Iesum Christū in caelos sublatum uniuersorū esse dominum, regem & pontificem, assertorem & saluatore omnium in orbe uniuerso fidelium. Cōfitemur in Christo & propter Christū nos credere uitam æternam, quam corpore in fine mundi, anima quoq; proinus atq; hinc excesserimus, percepturi simus.

Porro uenit ipsa articuli uerba pensanda, Ascendit profitemur. *Ascendit ad caelos.* Quis oro ascendit? qui ex Maria uirgine natus est, qui crucifixus mortuus & sepultus est, qui resurrexit ex mortuis: is inquam ascendit, nimirum corpore & anima. Quo autem ascendit? Ad caelos. Cœlum in scripturis non uno modo accipitur. Principio ponitur pro firmamento & extensione illa quæ est supra capita nostra, in qua uolitant ultro citroq; auiculæ. & in qua insunt astra, quæ dicuntur ornatus & exercitus cœlorum. Nam Dauid, Amictus est Deus luce ceu uestimento, & extendit caelos ueluti cortinam. Item, Videbo caelos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti. Et iterū, Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Rursus, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentū. Deinde cœlū ponitur pro throno & habitatio ne Dei, deniq; pro ipso loco sede & receptaculo beatorū, in quo Deus se suis uisendum & fruendum præbet. Dauid enim iterum testificans dicit, Dominus in caelis parauit solium suum. Vnde & dominus in euangelio dixit, Ne iuretis per cœlū, quia thronus Dei est. Paulus uero apost. Scimus, ait, quod si terrenū nostrum domiciliū huius tabernaculi destructū fuerit, ædificationem ex Deo habemus domiciliū nō manufactum æternū in caelis. Hac itaq; significatione Cœlum appellatur Regnum Dei, regnum patris, Gaudium, Beatitudo & felicitas, æterna uita pax & tranquillitas. Et quanquam Deus nullo concludatur loco. Nam dicit, Cœlum mihi sedes, terra au-

*De Cælo.*

DE SYMBOLO APOST.

tem est scabellum pedum meorum; anamen quia maxime elucescit in cælo gloria Dei, & in cælis se suis uisendum fruendumq; præber, iuxta illud, Videbimus eum sicuti est. Item, Nemo uidebit me, ait dominus, & uiuet, dicitur cælos inhabitare Deus. Sed & Christus dominus iuxta diuinitatem nullo cōcluditur loco: iuxta assumptam humanam naturam quam uexit ad cælos, loco cæli certo continetur, nec est interea in terris aut ubiq; locorum corporaliter, sed seiunctus à nobis corpore uersatur in cælis. Ascendit enim qui inferiora relinquens ad superiora contendit. Christus ergo relictis terris supra omnes cælos sedem corpori suo collocauit: non quod elatus sit extra omnes cælos, sed quod supra omnes orbes ascēdens in ipsum extimum atq; supremū cælum, in sedem inquam beatorum sit receptus. Paulus enim apostolus significantissime loquens, Nonstra conuersatio, inquit, in cælis est, ex quo & seruatorem expectaret eis, &c. Eodem modo & Lucas euangelista dicit, Et cum benediceret eis, recessit ab eis, ac ferebatur in cælum.

*Ascendit dominus supra omnes cælos.*

*Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*

Sed quid multis exponimus quod in ipso symbolo per conscientia clarissime illustratur: Sequitur enim, Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, Ex his enim intelligimus qualis locus sit cælum, & quid in cælis agat dominus noster. Non est quidem nostra fragilitatis cælorum secreta rimari & discutere, interim non impium est illud quod scripturis nobis traditur inquirere, & ita ut nobis traditum est fideliter tenere, Simpliciter dicitur dominus noster sedere, & ad dexteram quidem patris omnipotentis sedere. Quæramus ergo ex scripturæ testimonijs quid sit Dextera patris, & quid sit sedere in dextera patris.

*Dextera Dei finita est & loci nomen.*

Dextera Dei patris in scriptura duplicem habet significationem. Principio dextera Dei est locus beatorum & sclicitas æterna in cælis. Id quod ante nos obseruauit beatus Augustinus qui in libro de Agone Christiano cap. 26. sic reliquit scriptum, Dextera patris est beatitudo perpetua quæ sanctis datur: sicut Sinistra rectissime dicitur miseria perpetua quæ impijs datur: ut non in ipso Deo sed in creaturis hoc modo quo diximus intelligatur dextera & sinistra. Hoc autem dixit beatus Augustinus secundum scripturas. Dauid enim canit, Notam mihi facies semitam uitæ, facietas gaudiorum in conspectu tuo est, & iucunditates in dextera tua in perpetuum. Hoc quid aliud est quam si dixisset? Perduces me ad uitam, in ipsos inquam cælos, ubi satiabor gaudijs, nimirum te inspicendo & te contemplando atq; fruēdo. In dextera tua in æterna beatitudine sunt gaudia perpetua. Et in euangelio legimus oues ad dexteram, hædos collocari à iudice

ad iudicium in sinistra. Iuxta hanc significationem dexteræ, Sedere signi- *Sedere est*  
 ficat quiescere ab omnibus laboribus, & tranquille beatèq; uiuere. *quiescere*  
 Notissimum est enim illud propheticum, Sedebit uir sub uite sua, *in o' frui*  
 pro eo quod est pacata secunda & tràquilla erit omnia. Dexteræ itaq; *gaudio.*  
 patris hac significatione finita est: & cum confitemur sedere filium  
 in dextera patris omnipotentis, confitemur dominum nostrum libe-  
 ratum omni molestia & infirmitate humana secundum humanam  
 naturam quiescere iam & lætari in certo cœli loco, ubi & animas &  
 corpora nostra credimus æternum & futura & uictura. Nam in  
 euangelio ipse dominus testatur in domo patris sui mansiones esse  
 se multas, ad quas parandas ut & ipsis locus sit abeat, & quanquam  
 abeat, rediturum tamè ad ipsos & assumpturum ipsos ad semetipsum, ut  
 ubi ipse sit, ibi aut eodem in loco futuri sint & illi. Proinde credimus  
 Christum quiescere in cœlis ubi nobis quoq; locum parauit quietis,  
 in quo æternum in gaudio futuri simus. Et quia corpora nostra in  
 beatitudine non sunt ubiq; futura, sed in loco certo, ideo recte dixit  
 beatus Augustinus Christum dominum iuxta ueri corporis modum  
 in uno aliquo loco cœli esse. Et S. Cyprianus, Sedere ad dextram pa-  
 tris, carnis assumptæ mysterium est.

Deinde ponitur Dextera Dei pro uirtute, regno, protectione asser *Dextera*  
 tione et potentia Dei. Dauid enim dixit, Dextera domini excelsa est, *Dei infinita*  
 dextera domini facit fortia. Et Moses, Dextera tua domine magnifica est & poten- *poten-*  
 tata est in uirtute, dextera tua domine fregit inimicum. Et iuxta hanc *tia nomen.*  
 dexteræ significationem Sedere significat regnare, asserere, potentiam *Sedere est*  
 exercere & obire munus principis. Nam Dauid dixit, Dixit domi- *regnare*  
 nus domino meo sedere à dextris meis, donec ponam inimicos tuos *et.*  
 scabellum pedum tuorum. Et Zacharias, Ecce uir, ait, cuius nomen  
 est Germen, de loco suo germinabit, & ædificabit templum domi-  
 ni, sedebit & dominabitur super solium suum, eritq; sacerdos super  
 solium suum. Hac ratione Dextera Dei infinita est et nullo loco con-  
 cluditur: et cum confitemur dominum nostrum sedere ad dexteram  
 patris, confitemur filium exaltatum esse super omnia subiectis sibi  
 rebus omnibus ut Paulus ait ad Ephes. 1. cap. deniq; filium sic exal-  
 tatum, posse omnia, regnare in tota ecclesia, asserere suos, intercedere  
 in cœlis apud patrem, ubiq; presentem esse diuina uirtute. Huc enim  
 pertinet quod omnipotentiam sessioni huic adiunxit symbolum  
 dicens, Sederet ad dexteram patris omnipotentis. Nam & apud Manh.  
 dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, abite ergo &  
 adducite mihi omnes gentes.

Sic pulchre pauculis hisce uerbis expressum puto qualis sit locus

cœli, nimirum locus quietis gaudij & æternæ felicitatis, in quo sedet, habitat & uersatur iuxta assumptam naturam filius Dei, sicut & nos qui sumus Christi membra futuri sumus in illo loco sine omni dolore & molestia in gaudio sempiterno. Et quamuis dominus non sit molestia omni liberatus sit, intelligimus tamen ipsum non omnino desiderare. Est enim rex sacerdos & Deus uerus in templo Dei uero: non potest ergo non pro ingenio & officio suo operari salutem in electis, & omnia facere quæ eumq; facit Deus rex & sacerdos. Ita scimus iam omnes quid in cœlis residens dominus noster faciat. Neq; ullam ei adfert molestiam quod agit & operatur, non enim necessitate quadam, sed natura & uoluntate operatur.

*S. Hieronymus de Dextera patris.*

Non aliter tractarunt hunc fidei articulum & ueteres sanctæ scripturæ interpretes, quorum aliquot præferemus testimonia. S. Hieronymus exponens 1. cap. Pauli ad Ephesios scribit, Per humanam similitudinem Dei potentiam demonstrauit: non quo solum ponatur & Deus pater in eo sedeat, secumq; filium habeat residētem: sed quo nos aliter iudicantem atq; regnantē nisi per nostra uerba intelligere nequeamus. Sicut ergo proximum esse Deo, uel ab eo procul recedere non secundum locorum spacia, sed iuxta merita sentiendum est, quod sancti iuxta eum sint, peccatores uero (de quibus ait propheta, Ecce qui elongant se à te peribunt) ab omni eius uicinia submoueantur. Sic uel in dextris uel sinistris Dei esse accipiendum est, quod sancti à dextris eius sint, peccatores uero à sinistris. Saluator quoq; id ipsum in euangelio comprobante cum oues à dextris, hædos uero memoret esse à sinistris. Sed & ipsum uerbum sedere regni significat potestatem, per quam beneficium eis Deus tribuit, si per quibus sedere dignatur, quod scilicet regat eos & in cursu suo habeat & ad nutum proprium uaga prius & libera colla conuertere

*S. Augustinus de Dextera patris.*

S. Augustinus de fide & symbolo, Credimus, inquit, quod sedet ad dextram Dei patris. Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum patrem arbitrandum est: ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum laus animo occurrat: aut id ipsum quod sedere pater dicitur, flexis popliteibus fieri putandum est: ne illud in cœlesti gloria in corruptibilis Dei in similitudinē corruptibilis hominis. Tale enim simulachrum Deo nephastum est Christiano in templo collocare: multo magis in corde nephastum est, ubi uere est templum Dei, si à terrena cupiditate atq; errore mundeatur. Ad dextram ergo intelligendum est dictum esse in summa beatitudine, ubi iustitia & pax & gaudium est: sicut ad sinistram hædi constituuntur, id est in miseria

*Vide.*

miseria propter iniquitates & labores atq; cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus non membrorum positionem, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa maiestas nunquam caret semper dignis digna tribuendo, Et reliqua.

Beatus Fulgentius episcopus lib. ad Trasimundum regem 2. Do *S. Fulgentius.*  
minus, inquit, ut localem ostenderet humanitatem suam dicit discipulis suis, Ascendo ad patrem meum & ad patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Et mox, Immenstatem uero suæ diuinitatis ostendens dicit discipulis suis, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Quomodo autem ascendit in cælum, nisi quia localis & uerus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & uerus est Deus?

Beatus martyr & episcopus Tridenti Vigilius libro contra hæreses 1. Hoc erat, inquit, ire ad patrem & recedere a nobis, auferre de hoc mundo naturam quam susceperat ex nobis. Vides ergo eidem naturæ propriū fuisse ut auferretur & abiret a nobis, secundum attestantem quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. Nam uide miraculum. Vide utriusq; proprietatis mysterium: Dei filius secundum humanitatem suam recessit a nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Si nobiscum est, quomodo ait? Venient dies quando desiderabitis uidere unum diem filij hominis & non uidebitis. Sed & nobiscum est & non est nobiscum. Quia quos reliquit & a quibus discessit humanitate sua, non reliquit nec deseruit diuinitate sua. Hæc ille.

Septimus fidei nostræ articulus hic est, INDE VENTURUS *Articulus fidei 7.*  
IUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Præcedentibus articulis proposita & confessa est diuina in Christo bonitas beneficentia & gratia: iam declarabitur in ipso etiã diuina iustitia seueritas & uindicta. Nam duo sunt aduentus domini nostri Iesu Christi. Primo uenit humilis in carnem redemptor & seruator mundi. Secundo ueniet gloriosus in iudiciū iudex & ultor inexorabilis cõtra omnes impenitentes & impios. Venturus est autem è cœlis è dextera patris, corpore uisibili & uere humano conspicuus omni carni, cum immensa diuinitatis potentia & gloria, cum angelorum omnium satellitio. Ipse enim dominus in euangelio, Videbunt, inquit, filij hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa, & mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, &c.

Porro iudicare significat pro tribunali sedere, causas audire & di- *Iudicare quid.*  
scutere, litem dirimere, decernere & pronunciare, denique defen-

DE SYMBOLO APOST.

dere & asserere, rursus punire aut afficere supplicio, atq; ita coherere & opprimere uim & malitiam. Credimus ergo dominum nostrum Iesum Christum in die illo asserendum omnes pios & perditurum omnes impios: iuxta illud apostoli, Reuelabitur dominus noster de cælo cum angelis potentæ suæ, cum incendio flammæ, & in fligitionem ijs qui non nouerunt Deum: rursus idem iudex iustus reddet coronam iustitiæ omnibus qui diligunt aduentum eius.

*Pictura in  
dicij extre-  
mæ.*

Modum enim iudicij talem proponunt nobis euangelica & apostolica scripta. Postquam iniquitas huius seculi peruenerit ad summum, ac orbem seduxerit Antichristus ut minimū superstiti fidei, impij dixerint pax & securitas, tum repentinus ueniet interitus. Mittet enim archangelum suum iudex dominus noster, qui clangor tubæ & à quatuor uentis colligat omnem carnem ad iudicium: mox sequetur ipse iudex dominus noster Iesus Christus cum toto exercitu cælorum: descendet autem è cælo in nubes: ac in nubibus ceu in tribunali sublimis residens apparebit illustris omni carni. Qui enim uixerint in hoc seculo, isto iudicij tempore stabunt coram iudice in puncto immutati: mortui uero resurgent in momento omnes. Tunc iudex separabit oues ab hærdibus: & pronuntiabit iustam pro ouibus, & contra hærdibus sententiam, Venite benedicti &c. Et, Abite maledicti, &c. Sequetur mox ipsa executio. Oues enim sursum protinus rapientur in nubes obuiam domino in aera, ascendentq; cum illo laetanti in cælos ad dexteram Dei patris, æternum uicturi in gloria & gaudio. Impij dehinc ima tellus absorbebitq; horribiliter uniuersos, demittens eos ad tartara æternum cum sathana & angelis eius cruciandos. Fient hæc omnia non longo molesto uersipelli & iuridico quodam processu, sed extemplo. Tunc enim patebunt omnium corda, & accusabit unumquemq; sua ipsius consciencia. Copiosius hæc traduntur Matth. 24. & 25. Sap. 3. & 5. 2. Cor. 15. 2. Corin. 5. 1. Thesi. 4. & 5. Rom. 2. 2. Pet. 3. &c.

*Iudicatur  
uiui & mor-  
tui.*

Cæterum singulariter consistemus iudicandos fore uiuos & mortuos. Id quod nonnulli exponunt de pijs & impijs. Atqui symboli paratum est simplicibus maxime. At simplicibus conueniunt simplicia. Idcirco mortui sunt omnes quicunq; ab exordio mundi ad diem usq; ultimum excefferunt è uiuis. Viui autem sunt quos deprehenderit dies illa uiuentes adhuc in hoc seculo. Apostolus enim, Ecce mysterium uobis dico, ait, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis in momento oculi per extremam tubam. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Rursus alio in loco idem apostolus, Hoc dicimus

mus uobis in uerbo domini, quod nos qui uiuimus & reliqui erimus in aduentum domini, nequaquam præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus cum horratu & uoce archangeli ac tuba Dei descendet e cælo, & mortui in Christo resurgēt primū, deinde nos qui uiuimus qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum domini, in aera: & sic semper cum domino erimus.

Confitemur ergo hoc articulo 7. nos credere finem affore rerum omnium in hoc seculo, felicitatemq; impiorum non fore perpetuā. Deum enim iustum esse qui omne dederit iudicium filio suo, qui & repensurus sit in illo die unicuiq; iuxta opera sua, impijs tormenta nunquam terminanda, pijs æterna gaudia. Adeoq; profitemur hoc articulo nos expectare liberationem refrigerium & præmium uitæ æternæ. Quomodo enim credentes suos, populum suum, & seruos suos perderet qui in ueracissimo euangelio dixit, Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Certissima sunt præmia & supplicia pijs & impijs in uerbo ueritatis proposita. Veracissimus est qui ad Isaiam dixit, Dicite iusto quod bene sit habiturus, fructu studiorū suorum fruatur. Vx impio, male habebit, quoniam rependetur ei secundū opera manū suarum. Et hæc quidem hæctenus de ordine symboli secundo. Descendimus iam ad ordinem tertium.

*Præmia et supplicia certissima*

Articulus fidei octauus hic est, Credo in spiritum sanctum. Continet hic ordo tertius tertix in adoranda trinitate proprietatem personæ. Recte autem credimus in spiritum sanctum sicut in patrem & in filium. Deus enim unus est cum patre & filio spiritus sanctus: & recte sequitur fides in spiritum sanctum sicut in patrem & filium. Nam per ipsum diuinæ salutis completæ in filio fructus obsignatur, sanctificatioq; & ablutio nostra nobis per spiritum confertur aut in nos deriuatur. Apostolus enim, Qui unxit nos Deus est, inquit, qui etiam obsignauit nos, deditq; arrham spiritus in cordibus nostris. Et iterum, Eratis quidem sceleribus polluti, iam uero abluti & sanctificati estis, deniq; & iustificati per nomen domini Iesu & per spiritum Dei nostri. Sanctificat quidem & pater, sed per sanguinem Iesu Christi, & eandem in nos sanctificationem transfundit per spiritum sanctum: ut spiritus sancti quasi proprium sit sanctificare, unde & nomen obtinet sancti uel sanctificatoris. Proinde cum spiritus sancti nomen audimus, cogitandus est effectus quæ ei tribuit scriptura, expectandaq; beneficia quæ ex ipso

*Articulus fidei 8.*

*Spiritus sanctus.*



DE SYMBOLO APOST.

in nos manant. Virtus enim operatio seu actio spiritus est quicquid operatur in nobis per filium gratia Dei patris: ut necessaria sit fides in spiritum sanctum. Et profitemur quidem hoc articulo octavo nos credere fideles omnes purgari, abluī, regenerari, sanctificari, illuminari, varijsq; gratiarum muneribus donari à Deo propter Christum sed per spiritum sanctum. Extra hunc enim non est ulla sanctificatio vera: unde non oportet charismata alijs tribuere medijs: hæc gloria solius est spiritus diuini. De quo differemus in alijs concionibus fufius & plenius.

*In Christo  
dedit nobis  
pater plene  
omnes the-  
sauros cœ-  
lestes.*

Quoniam uero elapsa hora nos admonet uela colligere, hortatur omnes ut fidem in dominū Iesum religiose teneant: hunc enim misit nobis pater cœlestis, in hoc se totum nobis & exprimit & exhibet, hunc inscribit cordibus & retinet in animis spiritus sanctus. Est autem tota salus hominis & singulæ salutis partes comprehensæ in Christo: unde cauendum est, ne aliò deriuemus. Placuit patri, ait apostolus, uniuersam plenitudinem inhabitare in filio, & in ipso recapitulare ac uelut in summam redigere salutis omnia: ac in ipso fideles sint cõpleti. Si enim salus quæritur, ipso nomine docemur penes ipsum esse salutem. Dicitur enim Iesus, id est saluator. Si ipsum Dei sanctum spiritum ac dona eius uaria desideramus, reperiemus & in Christi unctiōe. Dicitur enim Christus, unctus inquam, sanctus sanctorū & sanctificans siue inungens nos spiritu suo. Si opus est alicui robore & fortitudine assertione & potentia, habet in domino Christi. Est enim Christus uniuersorū dominus. In eodem inuenimus redemptionē. Redemit enim nos uenditos sub iugum satanæ. Habemus puritatē in eius conceptione, indulgentiã in eius natiuitate. Nostri enim similis factus est ut cõdolere nobis posset. Habemus remissionē in eius passione, absoluionē in eius damnatione, satisfactionē in eius hostia uel sacrificio expiatorio, purgationem in eius sanguine, reconciliationē uniuersalē in descensu eius ad inferos. Habemus mortificationem carnis nostræ in sepultura eius, uitæ nouitatem imò & animæ immortalitatem corporumq; resurrectionem in eius gloriosa resurrectione. Habemus item regni cœlestis hæreditatem & hæreditatis obsequium in ascensione eius sessioneq; in dextera patris. Ibidem est intercessor sacerdos & rex noster præsidium & caput nostrum defensor noster & securitas nostratutissima. Inde transfundit in nos omnium bonorum copiam spiritum suum sanctum, & communicat se totum nobis, & nos ipsos sibi coniungit nexu indissolubili. Inde confidentes & lætantes expectamus ipsum iudicem, assertorem inquam & patronum nostrum, qui damnabit

damnabit & in tartarum cum sathana præcipites dabit omnes ho-  
sres nostros: nos autem & omnium seculorum omnes credentes se-  
cum subuehet in caelos, ut ibi canamus canticum nouum & in ed  
exultemus in secula seculorum. Ipsi gloria semper.

De postremis fidei Christianæ articulis simbolo apostolorum  
comprehens.

SERMO IX.



**I**NVOCEMV S patrem nostrū in cælis, per domi-  
num nostrum Iesum Christum, ut gratiam suam in nos  
transfundat, quo postremam partem expositionis arti-  
culorū fidei Christianæ multo cum fructu expediamus.

Articulus fidei nonus sic habet, **SANCTAM ECCLESIAM** *Articulus fidei 9.*  
**CATHOLICAM, SANCTORVM COMMVNIONEM.**

Post confessionem fidei in sanctam trinitatē & in mysteriū filij Dei  
domini nostri Iesu Christi, deniq; in sanctificatorem & reparatōre  
omniū spiritum sanctū: quarto ordine iam enumeratur fructus uel  
uirus effectus & finis fidei, quæ uidelicet contingant & donentur  
fidelib. Obuenit his cōmunio cum Deo & cum omnibus sanctis,  
sanctificatio, remissio peccatorū, resurrectio carnis & uita sempiterna.  
De his ordine dicemus quantū facultatis dederit benignus dñs.

Porro repetendum est ex articulo 9. Credo, Credo inquam san- *Non profi-  
tendum est*  
ctam ecclesiam catholicam, Contendunt hic imperiti quidam confi- *Credo in*  
tendum esse, Credo in sanctam ecclesiam. Nimirū quod scriptum *ecclesiam.*  
sit in Constantinopolitano simbolo, Et in spiritum sanctum domi-  
num uiuificantem: qui ex patre filioq; procedit, qui cum patre & fi-  
lio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per prophetas  
in unam catholicam & apostolicam ecclesiam. Nam hæc ita distin-  
guunt ut sicut repetunt ex præcedentibus credo & intelligūt, Credo  
in spiritū sanctū dominū: ita Credo hic quoq; reperunt, & hunc sen-  
sum colligunt, Credo in unā catholicā & apostolicā ecclesiam. Cæ-  
terum præter necessitatem & contra pietatem uerba symboli ita de-  
torquent. Nam refertur hoc, In unā catholicā & apostolicā ecclesiā  
non ad uerbū Credo, sed ad spiritū S. nempe quod is locutus sit per  
prophetas in unā catholicā & apostolicā ecclesiā. Significamus em̄  
& confitemur unū atq; eundē spiritū omnia egisse in utroq; testam.  
contra eos qui confinxerūt duos sibi quasi cōrarios spiritus. Sed &  
beatus Cyprianus in expositione symboli apostolici, Non dixit in *Cyprianus*  
sanctam ecclesiā, ait, nec in remissionē peccatorū, nec in carnis resur-  
rectionem. Si enim addidisset In præpositionem, una eademq; uis

DE SYMBOLO APOST.

fuiſſet cum ſuperioribus. Ne autem in illis quidem uocabulis ubi de diuinitate fides ordinatur, In Deo patre dicitur, & in Ieſu Chriſto filio eius, & in ſpiritu ſancto: in cæteris uero ubi non de diuinitate, ſed de creaturis ac myſterijs ſermo eſt, In præpoſitio non addiitur, ut dicatur, In ſanctam eccleſiam, ſed ſanctam eccleſiam credendam eſſe, non ut in Deum, ſed ut eccleſiam Deo congregatam: & remiſſionem peccatorum credendam eſſe, non in remiſſionem peccatorum: & reſurrectionem carnis, non in reſurrectionem carnis. Hac itaq; præpoſitionis ſyllaba creator à creaturis ſecernitur, & diuina ſeparantur ab humanis. Hæc Cyprianus.

*Auguſtinus.* S. Auguſtinus de fide & ſymbolo legit, Credo ſanctam eccleſiam: & non, Credo in ſanctam eccleſiam. Allegantur præterea uerba eius ad Neophytos de Conſecrat. Diſtinct. 4. cap. Prima, Non diximus ut in eccleſiam quaſi in Deum crederetis, ſed intelligite nos dixiſſe, ut in eccleſia ſancta catholica conuerſantes in Deum crederetis.

*Pafchaſius* Multò clarius autem Pafchaſius in lib. 1. de ſpiritu ſancto cap. 11. Credimus eccleſiam, inquit, quaſi regenerationis matrem: non in eccleſiam credimus quaſi in ſalutis authorem. Qui in eccleſiam credit, in hominem credit, Non enim homo ex eccleſia, ſed eccleſia crepita eſt ex homine. Recede itaq; ex hac blaſphemiaꝝ perſuaſione ut in aliquam humanam te æſtimes debere credere creaturam: cum omnino nec in angelum nec in archangelum ſit credendum. Imperitia nonnullorum præpoſitionem in, uelut de proxima uicinaq; ſententia in conſequentem traxit & rapuit, & ex ſuperfluo imprudenter appoſuit. Cæterum hic liber S. Pafchaſij ualde probatus eſt à beato

*S. Gregorius.* Gregorio magno Romano epifcopo.

*Thomas Aquinas.* Quid quod Thomas Aquinas diſputans de fide lib. 2. part. 2. artic. 9. Quæſt. 1. ait: Si dicitur, Credo in ſanctam eccleſiam, intelligendum quod fides noſtra refertur ad ſpiritum ſanctum qui ſanctificat eccleſiam: ut ſit ſenſus, Credo in ſpiritum ſanctum ſanctificantem eccleſiam. Sed melius eſt & ſecundum communioſiorem uſum ut non ponatur ibi In, ſed ſimpliciter dicatur ſanctam eccleſiam catholicam:

*Leo papa.* ſicut etiam Leo papa dicit. Hæc ille. Habetis ſententias ueterum eccleſiæ doctorum, Cypriani, Auguſtini, Gregorij, Pafchaſij, Leonis papæ, ſed & Thomæ Aquinatis, qui in hiſce poſtremis temporibus docuit: Intellexit autem charitas ueſtra ex rationibus deſumptis ex ſcriptura canonica, conſiſtendum eſſe ſanctam catholicam & non credendum in ſanctam catholicam eccleſiam.

*Eccleſia.* Videndum porro quid eccleſia dicatur & quid catholica eccleſia.  
Eccleſia

Ecclesia proprie est contio, populus inquam euocatus aut collectus ad audiendum de re publicæ negotijs. In præseni est omnium profitentium nomē Christi cœtus, communitio aut collectio, multitudo & societas, Catholica id est uniuersalis dicitur hæc societas, quia per oīa loca & tēpora extēditur. Sancti enim omnes ita uniuertur ut membra in uno corpore quæ ab uno depēdēt capite. Ergo uniuersitas totaq; multitudo fidelium dicitur ecclesia. Non enim restricta est ecclesia Christi in angulum Africæ Donatianicum: extēdit se per orbem terræ & ad omnia tempora, & complectitur omnes fideles ab ipso Adamo ad ultimum usq; sanctum qui futurus est ante finem mundi. Habet hæc particulares ecclesias, Ecclesiam inquam Adæ & patriarcharum, Ecclesiam Moſis & prophetarum ante natiuitatem Christi, Ecclesiam Christianam quæ à Christo denominatur: & Apostolicam, apostolica doctrina collectam in nomine Christi, Ecclesiam deniq; Hierosolymitanam, Antiochenam, Alexandrinam, Romanam, Asiaticam, Africānam, Europeanam, Orientalem, Occidentalem, &c. Et hæc tamen omnes ueluti membra unius corporis sub unico capite Christo (solus enim Christus est caput ecclesiæ suæ, non tm̄ triumphantis sed & militantis) unicā dūtaxat constituuunt catholicam ecclesiam: in qua non reperiuntur uel hæreses uel schismata, ideo etiam appellatur orthodoxa, nimirum à recta & uera opinione, sententia, fide atq; doctrina. In sola enim ecclesia est uera fides, & extra ecclesiam Dei nulla est ueritas, nulla salus.

Catholica ecclesia.

Orthodoxa ecclesia.

Credimus sanctam esse ecclesiam.

Confitemur autem hoc articulo quod omnes fideles per totum terrarum orbem dispersi, sed & qui hodie uiuunt in cœlis, quotquot inquam saluati sunt, & in finē usq; sæculi nascentur saluandi, unum sint corpus, nacti societatem & participationem cum Deo & inter se mutua. Et quoniam nemo cum Deo uniri potest nisi et ipse sanctus atq; purus sit, quemadmodum Deus sanctus & purus est, ideo credimus sanctam esse ecclesiam, id est sanctificatam per Deum patrem in sanguine filij & dono spiritus sancti. Testimonia plura auidiuimus in superioribus contionibus. Vnum Pauli satis fuerit quod ad Ephes. ita legitur scriptum, Christus dilexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, &c. Ex quibus uerbis etiam hoc intelligimus, ecclesiam appellari incōtaminatam & prorsus puram, non propter ipsam, sed propter Christū. Ita enim sancta est ecclesia Christi ut quotidie proficiat, nondum quoad in terris uiuit, perfecta sit. In Christo tamen eius sanctitas perfectissima est. Quo nimirum

Quomodo ecclesia sancta.

DE SYMBOLO APOST.

perinet illa egregia domini uox, Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Propter Christum enim lauantem sanguine suo, fideles perfecte mundati sunt, sed quia caro repugnat quoad uiuitur in terris spiritui, opus est pijs pedes id est carnis reliquias & maculas ex quotidiana mundi conuersatione aspersas, eluere atq; extergere spiritu ac fide.

*Sanctorum  
communio.*

Sed quorū perinet quod appenditur Sanctorum communio nem? Ea uerba non habentur neq; apud Cyprianum, neq; apud Augustinum, neq; ab eis exponuntur. Vnde uerisimile est adiecta esse interpretandi gratia: ut enim appareret ecclesiam catholicam esse societatem & contubernium fidelium, adiecit Sanctorum communionem, id est, quæ ecclesia est communio sanctorum. Sanctos appellauit Paulus fideles sanguine & spiritu Dei sanctificatos. Sed & Communio uocabulum plurimum habet euidentiæ & confirmationis. Primo enim innuit inter nos & Deum esse communionem, id est societatem & participationem, & per consequens omnium bonorum celestium communicationem. Deinde intelligimus societatem & participatum esse nobis cum omnibus sanctis, cum in caelis tum in terris uiuentibus. Horum enim membra sumus sub uno capite Christo. Ioannes enim apostolus dicit, Quod uidimus & audiuius annūciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscum, & societas uestra sit cum patre & filio eius Iesu Christo. Huc pertinet similitudo elegans de corpore et membris sub uno capite, copiose tractata ab apostolo Paulo. Quis uero satis digne præstantiam doni beneficij; Dei explicuerit, quod nos sumus participes Dei ei quo arctissimam coniunctionem imò communionem habemus cum omnibus bonis celestibus? Quid iucundius auditu est quam quod omnes sancti tam in caelis q̄ in terris fratres nostri sunt, et nos istorum membra participesq; & socij sumus? Benedictus Deus qui nobis in Christo tam liberaliter benedixit. In hunc locum pertinet tractatio sacramentorum, de quibus alijs, sicut & de Ecclesia alijs dicemus copiosius. Hæc ad institutum præsens sufficiunt. Abunde enim satis fidei in Deum patrem filium & spiritum sanctum fructum exprimunt & exponunt, nempe quod communionem habemus cum Deo & cum omnibus sanctis, & quod in hac societate sanctificamur ab omnibus inquinamentis, purgati iam & sancti in Christo domino nostro.

*Articulus  
fidei 10.*

Sequitur articulus fidei Decimus, REMISSIONEM PECCATORVM. Fructus alter fidei in Deum patrem filium & spiritum sanctum exponitur, remissio uidelicet peccatorum, quæ tamens  
10

in sanctificatione superioris articuli sit comprehensa, uiuidius tamē hic exprimitur. Extra ecclesiam seu arcam Noe nulla est salus, in ecclesia autem, in societate inquam Christi & sanctorum est plenaria remissio omnium peccatorum. Hæc ut rectius intelligantur, digere mus in aliquot capita.

Principio necesse est omnes agnoscamus & cōfiteamur nos esse peccatores ac natura proprioq; nostro merito filios iræ & condemnationis. Nam non frustra neq; uane mendacem appellauit beatus Ioannes omnem qui negat se esse peccatorem. Et qui corda hominum nouit Deus, iussit nos ad extremum usq; haliū orare, Remitte nobis debita nostra. Sed & in euangelio duo elegantia habemus confitentium Deo peccata sua aperte, exempla, filij uidelicet prodigi, & publicani apud Lucam. Teneamus ergo nos omnes esse peccatores, sicut & Paulus docuit imò euidit ad Rom. 3. cap. & confiteamur Deo ingenue peccata nostra cum Dauide Psal. 32. & 51. dicentes, Peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c. Notus est Psalmus.

Deinde credamus nobis peccata illa nostra condonata & remissa esse à Deo, nō propter illam nostram peccatorum agnitionem & confessionem, sed propter meritum ac sanguinem filij Dei: non propter opera & merita nostra, sed propter ueritatem & misericordiam siue gratiam Dei. Diserte enim profiteamur, Credo remissionem peccatorū: non dicimus, Ego, aut muneribus impetro, aut operibus aliquid. Ac sequor remissionē peccatorū, sed, Credo remissionem peccatorū. Ac Remissionis uocabulū gratuitā condonationē significat metaphora tracta à creditoribus & debitoribus. Remittit enim debitori creditor cum ille non est soluendo: ergo remissio est donatio: iuxta illud saluatoris in euangelio, Duo debitores erant cuidā creditori: cumq; illi non essent soluendo, donauit utrisq;. Huc pertinet illud ex oratione dominica, Et remitte nobis debita nostra. Debita enim nostra peccata sunt, ea nobis remitti id est condonari postulamus. Huc pertinent illa sancti Pauli uerba, Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum. Porro ei qui nō operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quemadmodum & Dauid explicat beatificationem hominis cui Deus imputat iustitiam absque operibus, Beatorum quorum remissa sunt iniquitates & quorum obrecta sunt peccata. Beatus uir cui nō imputabit dominus peccatū. Proinde gratis quidē

*Agnitio et confessio peccatorū.*

*Remissio peccata nō propter merita nostra, sed propter Christum.*

DE SYMBOLO APOST.

quod nos quidē atinet, qui non habemus quod rependamus, quantum uero ad iustitiam Dei, propter meritum & satisfactionem Christi, condonantur nobis peccata.

*Remittuntur peccata omnia.* Condonantur autem peccata, non paucorum, non unius aut alterius seculi, non certa & numerata, sed omnium hominum omnium seculorum & tota multitudo peccatorum, quicquid est & dicitur peccatum, siue originale sit, siue actuale, siue alienum sit, breuiter omnia peccata remittuntur nobis. Id quod sic intelligimus, unicam uidelicet Christi hostiam satis esse efficacem ad abluenda omnia omnium peccatorum fide ad thronum gratiæ accurrentium peccata. Ergo non docemus homines peccare, quia iam olim pro peccatis satisfecit dominus: sed si quis peccauerit, docemus illum bene sperare non desperare, & accedere ad thronum gratiæ. Christum enim confidentem ad dexteram patris, esse agnum illum Dei qui tollat peccata mundi. Et significanter quidem in symbolo ponitur, Credo remissionem peccatorum, & non peccati. Peccatorum enim dicentes, agnoscimus Deum remittere omnia peccata. Nam ut Pauli testimonia ad Rom. 3. & 5. non proferamus, sufficienti illa Ioannis apostoli & euangelistæ testimoniis in epistola illa sua atq; dicentis, Et sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. En ab omni peccato dixit. Ab omni inquam qui dicit, nullū excludit, nisi forte quod exclusit ipse dominus, peccatum in spiritum sanctum, pro quo & Ioannes ille idem orare prohibuit. Rursus, Si cōfitemur peccata nostra, ait idem ille, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate nostra. Non satis erat apostolo dixisse, Vt remittat nobis peccata nostra, adiecit insuper ut rem prorsus & significantissime explicaret, Et emundet nos ab omni iniquitate nostra. Rursus ab omni iniquitate dicit. Et quia calumniator aliquis obijcere poterat, Efficacit huiusmodi doctrina inertes & segnes homines. Nam homines prætextu gratiæ diuinæ pergent peccare: respondet ergo Ioannes in cap. 2. & ait, Filioli mei hæc scribo uobis ne peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christū iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, Proinde certum est morte Christi condonari credentibus peccata omnia.

*Solus Deus non homo remittit peccata.* Porro remittit dominus solus peccata. Solius enim Dei gloria est remittere peccata & ex iniustis facere iustos. Ergo quanquam homines dicantur remittere, id tamen de ministerio non potestate intelligendum est. Annunciat minister credenti propter Christum remissa esse

esse peccata: nec fallit. Deus enim uere peccata remittit credentibus: iuxta illud, Quorum remisistis peccata remittuntur eis. Id fit quo- ruscumq; annunciat uerbum euangelij, ut nihil necesse sit commi- nisci confessione auriculari & priuata sacerdotis absolutione ad con- donationem peccatorū opus esse. Nam ut auricularis confessio non fuit usurpata sanctis ante aduentū Christi, ita non legimus aposto- los priuatas audiuisse confessiones uel priuatas absolutiones usur- passe in ecclesia Christi. Satis est confiteri Deo inspicienti corda nostra & iccirco legitimo confessionario peccata nostra. Satis est si iuxta uerbum S. Iacobi alter alteri fateatur delicta & offensas, pre- cemurq; condonationem, & mutuo redeamus in gratiam. Satis est audiuisse euangelium promittenti nobis per Christum remissionē peccatorum si credamus. Credamus ergo remissionem peccatorū, orantes interim dominum ut is & fidem concedat & augeat. Hæc quondam & in primitiua ecclesia satis fuerunt efficacia ad conse- quendam indulgentiam & plenariam peccatorum remissionem: sufficienti haud dubie etiam hodie.

Præterea remittit dominus nobis peccata, non ut non sint & re- liquias in carne nostra ceu aculeum non relinquunt, sed ne imputen- tur nobis ad condemnationem. Hæret & exerit sese concupiscentia in carne nostra, spiritusq; Dei bono repugnat uel in sanctis quoad uixerimus in hisce terris. Multa ergo hic opus uigilia, multis ieiunijs quibus carni denahamus fomenta mali, multis precibus quibus im- ploremus Dei auxilium ne uincamur à malo. Quod si quis succu- buerit tentationi, ne præbeat se irretiendū diabolo, resurgat per pœ- nitentiam, recurrat ad Christū, credens sibi per mortem Christi hunc quoq; lapsum esse condonatum. Recurret autem toties quoties à concupiscentia & peccato fuerit superatus. Huc enim pertinent om- nes adhortationes prophetarum & apostolorum suadentes conuer- sionem ad dominum.

Peccata deniq; nostra ita condonat dominus, ut eorum plane res- cordari nolit. Ita enim prædixit per Ieremiam in cap. 31. Ergo non animaduertit in nos. Non enim culpam modo, sed & pœnam pec- catorum condonauit. Quod autem non raro flagellis suis nos cedit, & cedit quidem propter peccata: sicuti clare exprimit scriptura sancta, id quidem non fit ut afflictione nostra satisfaciamus pro peccatis commissis. Ita enim euacuaretur mors Christi: sed flagellando casti- gat nos dominus, & flagellando declarat se non probare peccata quæ designauimus, ac ipse gratis condonauit: flagellando item ex- empla statuit nos alijs ne ipsi quoq; peccent: sed & nobis ipsis occa-

Quomodo remittatur peccata.

Nos nō sa- tisfacimus pro pœna.



tionem peccandi amputat, & cruce nostram exercet patientiā. Hæc haftenus de Remissione peccatorum. De qua nonnulla differuimus etiam in sermone de fide iustificante, & alijs.

Articulus  
fidei 11.

Articulus fidei undecimus hic est, CARNIS RESVRRECTI  
QNEM. Duo articuli postremi, hic & duodecimus fructum fidei  
præstantissimum summamq; totius perfectionis succincta breuitate  
concludunt, finem inquam fidei, æternam uitam & totius homi-  
nis plenam & perfectam salutē profitens. Totus enim homo salua-  
bitur cum anima tum corpore. Nam ut homo anima & corpore pe-  
rierat, ita anima & corpore restitui debebat, adeoq; & per Christū res-  
titutus est. Anima quidem hominis spiritus est neq; interit unquā:  
corpus terrenū est, moritur ergo ac cōpurescit. Quare multi arbitra-  
tur interire corpora neq; ea unq; uel gaudiorū uel pœnarū fore con-  
fortia. Diuersum uero hoc articulo profiteamur, cōfiteres corpora illa  
nostra adeoq; carnē nostrā resurgere & ingredi in uitam æternā.

Carnis re-  
surrectio.

De uocabulo Resurrectionis diximus ubi explicaremus articulu  
illum, Tertia die resurrexit ex mortuis. Caro uero multo significan-  
tius huius nostræ carnis resurrectionem quam si corpus diceremus  
exprimit. Certè Cyprianus auctor est in aliquot Orientis ecclesijs  
hunc articulum sic fuisse pronunciatum, Credo huius carnis resurre-  
ctionem. Nam & Augustinus de fide & symbolo cap. 10. scriptum  
reliquit, Hæc uisibilis quæ caro proprie dicitur, sine dubitatione cre-  
denda est resurgere. Hanc uidetur Paulus apostolus ceu digitum suo  
ostendere cū ait, Oportet corruptibile HOC induere incorruptio-  
nem. Cum enim dicit, HOC, in eam quasi digitum intendit. Hæc il-  
le. Sed & diuus Hieronymus urget Ioan. Hierosolymitanum epi-  
scopum ut palām confiteatur carnis non tantum corporis resurre-  
ctionē. Alia, ait, carnis, alia corporis definitio est. Omnis caro est cor-  
pus: nō omne corpus est caro. Caro est proprie quæ sanguine uenis  
ossibus neruisq; constringitur. Corpus quanq; & caro dicatur, in-  
terdū tamē uel ætheriū uel aerīū nominatur, quod tactui uisuiq; nō  
subiacet: & plerūq; uisibile est atq; tangibile. Paries est corpus, sed nō  
caro, &c. Hæc Hieron. Credamus itaq; corpora hominū quæ de ter-  
ra sumpta sunt & quæ hoīes hic uiuentes gerūt, in quib. uiuūt & uer-  
santur, quæ moriūtur, inq; cinerē et puluerē abeūt, rursus reuiuiscere.

An resur-  
gant corpo-  
ra illa ipsa  
quæ corrū-  
pūtur.

Sed rogas quomodo possit hæc caro redacta in fauillam & pul-  
uerem adeoq; in nihilum, resurgere in substantia & forma pristina:  
ueluti cum à ferarum dentibus dilacerata, aut ignium flammis pro-  
fus absorpta est, cumq; in monumentis non nisi tenuissimus & tra-  
tissimus reperitur puluisculus. Relego te ad omnipotentiam Dei  
quam

quam & apostolus citauit dicens, Christus transfigurabit corpus nostrum humile ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam qua potest etiam sibi subiicere omnia. Proinde qui ab initio cum nullus omnino esset homo in mundo, hominem potuit ex puluere terræ producere, tametsi idem homo iterum resoluatur in id unde sumptus est nempe terrā, iuxta quod dixit, Puluis es & in puluere reuerteris, ceritè poterit idē ille Deus etiā in fine seculi hominē rursus excitare ē terra. Diserte enim dixit in euangelio dominus, Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocē filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionē uitæ, qui uero mala egerunt in resurrectionē iudicij. Iam uero fides nostra certè incipit persuasionē, ut apostolus ait, quod is qui promissit idem potens est & præstare. Sunt præterea uiua huius rei exempla, sunt clarissima sanctæ scripturæ testimonia. Ionas deglutitur à ceto in Syriaco mari, at idem post triduum ad declarandam carnis resurrectionem ueram ē uisceribus beluæ euomitur uiuus in aridam. Proinde iam non amplius creditu difficile est quod in theologia domini mare dicitur reddere mortuos suos. Non potuit imperus ignis nocere tribus socijs Danielis, imò rabies ferarum contra naturam pepercit ipsi Danieli: ergo quid mirum si potentia Dei ne hodie quidem resistere possit uis ignis & rabies ferarum, creaturas suas excitare uolent? An non triduo iam in sepulchro iacētem imò & fractentem Lazarum excitauit dominus noster Christus? An non ipse contracta mortis tyrannide, tertia die resurrexit ex mortuis, & resurrexit quidem eadem carnis substantia & corporis forma, qua pependerit in cruce, & sublatus ē cruce, fuerat sepultus? In Christū, qui dicitur primogenitus ex mortuis, merito respicimus quoties cogitamus qualis futura sit resurrectio carnis nostræ. Ad eum enim modum resurgent membra, quemadmodum resurrexit caput: non quidem tertia die à morte nostra, sed nostro modo & ordine in die illa ultima: uero tamen & nostro illo corpore in quo iam uiuimus.

Testimonia de resurrectione carnis nostræ aliquot subiungemus. Profitetur Iob fidem suam de resurrectione mortuorum in maxima sua infirmitate, afflictione, & ægritudine, ac dicit, Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum: quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur mihi, & non alius. Reposita est hæc spes in sinu meo. Clarissimum est hoc testimonium non indigens ulla copiosiore expositione.

Testimonia  
resurrectionis  
uere.

DE SYMBOLO APOST.

Non minus clara sunt testimonia Isaia 26. Ezech. 37. Psal. 17. Matth. 22. Ioan. cap. 5. 6. 11. In actis nullibi non inculcatur resurrectio mortuorum. S. Paulus in 1. ad Corinth. 15. cap. plenè de hac resurrectione disputat. In 2. epistola cap. 4. Semper nos qui uiuimus, inquit, in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. En quid poterat dici clarius quam uitam Christi manifestandam esse in mortali carne nostra? Mox enim subiungit. Scientes quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoq; per Iesum suscitabit. Et in 5. cap. Omnes nos manifestari oportet, ait, coram tribunalis Christi, ut reportet unusquisq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue id bonum sit siue malum. Corpora ergo nostra uera resurgent in die iudicij.

Quomodo  
resurrectu  
ra sint cor  
pora nostra

Explicandum porro erit charitati uestræ quomodo resurrecturi sint corpora nostra & qualia in resurrectione futura. In fine & exitu seculorum siue huius mundi ueniet in iudicium magna cum maiestate dominus noster Iesus Christus, & tunc quidem quos dies illa deprehendet uiuos in puncto temporis mutabuntur, mortui autem à primo homine ad ultimum, uniuersi inquam resurgent, ac in propria carne stabunt inter uiuos illos immutatos ante tribunal Christi, ultimam illam expectantes sententiam. Id quod Paulus hisce uerbis exposuit, Ecce mysterium uobis dico, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis in momento oculi per extremam tubam. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile HOC induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Qualia  
sint futura  
corpora re  
suscitata.

Ex hoc claro apostoli testimonio colligere licet etiam qualia sint futura corpora nostra ex resurrectione: non alia quidem erunt corpora nostra ex resurrectione quam nunc sint, nisi quod ab omni corruptione & affectione corruptibili erunt aliena. Dicit enim apostolus, Mortui resurgent. Item, Nos immutabimur. Rursus emphaticè & distinctè ipsamet corpora nostra quæ nunc circumferimus demonstrans, dicit, Hoc corruptibile, Hoc mortale, Hoc inquam corpus & non aliud sicut & Iob testificatus est, resurget: resurget autem incorruptibile quod aliquando erat corruptibile: resurget immortale, quod ante resurrectionem erat mortale. Liberabitur ergo in resurrectione corpus nostrum ab omni affectione praua & passibili, ab omni corruptione: non autem annihilabitur eius substantia, non conuerteretur in spiritum, non erit à sua figura alienum. Et hoc quidem corpus propter purificationem & defecationem illam, imò propter

dores cœlestes & diuinas appellatur & Corpus spirituale & corpus gloriosum ac clarificatum.

Paulus enim ad Philippenses 3. Conuersatio nostra, inquit, in cœ *Corpus glo-  
riosum.* risum, & seruatore expectamus dominum Iesum Christum qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Ecce resurrectionem nostram ex mortuis appellat apostolus non transubstantiationem aut annihilationem corporis nostri sed transfigurationem: deinde corpus transfiguratum quale sit ostendens, nominat gloriosum, non utiq; alienum ab omni figura aut exemptum forma, sed auctum gloria: imò ipsum domini Iesu corpus nobis proponit in quo ostendit qualia sint futura corpora nostra in gloria. Diserte enim dicit, Conforme reddet corpus nostrum humile corpori suo glorioso. Videamus ergo quale habuerit corpus à resurrectione dominus noster: non erat hoc conuersum uel in spiritum uel annihilatum, uel nulla forma & figura cognobile. Manus enim & pedes ostendens fixura clauorum insignes dicit, Videre quia ego ipse sum, nimirum eodem indutus corpore quo pependi in cruce. Clarius enim loquens & corpus suum à spirituali substantia asserens, ait, Spiritus carnem & ossa non habet sicut uideatis me habere. Habet ergo clarificatum corpus carnem et ossa, nec alia membra quàm quæ habuit dum nondum fuisset clarificatum. Ideo enim & Thomæ palpandum & contrectandum præbuit idem dominus & latus & cicatrices quinq; uulnerum, ne quid dubitaremus de ueritate corporis resuscitati. Edit cum discipulis & bibit, sicuti & Petrus testatur coram Cornelio in Actis, ut appareret omnibus illud ipsum corpus resurrexisse quod ceciderat.

Iam etsi hoc corpus loco sit circumscriptum, non per omnia diffusum, licet suam habeat dimensionem figuram seu formam, et suum pondus, sexum, & suam naturam, alienum tamē est ab omni passione, corruptione & infirmitate. Nam corpus domini resuscitatum in horto, non in sepulchro erat, dum hoc uncturæ uenirent mulieres, his & redeuntibus quidem à sepulchro in itinere occurrit, in horto Magdalensē uidendum exhibet: æquis passibus contēdit Emaum cum duobus illis Emaum petentibus: interea dum apud hos esset corpore suo, non erat apud alios: ubi rediissent illi duo ad undecim discipulos, adest & ipse ad uesperam dominus. Præcedit suos in Galilæam: redit mox in Iudæā, ubi ex monte oliueti corpus eius sublatum est in cœlum. Hæc omnia approbant corporis Christi ueritatem. Sed quoniam hoc corpus quamuis uerum, sui sexus, loci, in genij & suæ formæ ac naturæ sit, glorificatum & gloriosum dicitur

DE SYMBOLO APOST.

corpus, paucula dicemus & de gloria illa, quæ uidelicet accedit ueræ corporis resuscitati formæ atq; substantiæ.

*Gloriosa corpora illustria sunt* Principio gloria usurpatur in hoc negotio pro lumine atq; illu- stri splendore. Nam & Paulus dicit filios Israel præ gloria uultus corporis erit illustre & splendens corpus. Huius rei elegans specimen exhibuit dominus noster uel ante resurrectionem suam, dum discipulis suis qualemcunq; gustum futuræ gloriæ uellet propinare, ac iccirco delectos subduceret in montus cuiusdã cacumen, ubi et transformatus est coram ipsis, ita ut species uultus eius splenderet sicut sol, uestimenta autem eius albicarent ac candida essent tanquam lumen. Eandem quidem corporis substantiam retinuit dominus, eadem corporis membra: hæc autem sunt transformata. Transformatio autem illa ostenditur fuisse in accidentijs. Accessit enim lux & splendor ut manente substantia & forma uultus & corporis, uultus & corpus ueluti sol & lumen rutilarit. Et quamuis resuscitatum domini corpus non legatur in 40. diebus in quibus se rediuuam ostendit discipulis, exeruisse aut fudisse de se fulgorem, idq; proprie dispensationem iuxta quam cum discipulis suis comedit, cum clarificata corpora nullo indigeant alimento: tamen fulget iam sicut Ioannes testatur in Apocalypsi cap. 1. in cælis, & spem certam aperit nobis sacræ literæ etiam corpora nostra fore clarificanda in resurrectione. Nam ipse dominus in euangelio ex Daniele loquens de die iudiciij, Tunc iusti fulgebunt, inquit, uelut sol in regno patris sui. Hac de causa corpora gloriosa etiam appellantur clarificata à cælestis luminis quo illustrantur & ornantur claritate.

*Gloriosa corpora liberata sunt humilitate.* Deinde opponitur gloria humilitati. Paulus enim dicit, Transfigurabit corpus nostrum humile ut cõforme reddat corpori suo glorioso. Opponuntur in his uerbis Humilitas & Gloria. Humilitas comprehendit omne quod propter peccatum irrogatum est corpori miseriarum & infirmitatum, passionum & affectionum. Ab illis omnibus repurgantur corpora nostra in resurrectione uitæ: ut iam gloriosa corpora sint corpora defecata ab omni corruptione, passione infirmitateq; induta autem perpetuitate & cælesti sensu & gloria. Apostolus enim, Seminatur in corruptione, inquit, resurgit incorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in potentia: seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Pollent ergo gloriosa uel clarificata corpora multis dotibus, incorruptibilitate inquam gloria, potentia ac spiritu uiuificante. Ipse enim apostolus sese declarans quid intellexerit

intellexerit per animale & spirituale corpus, subiungit, Est corpus animale, est & corpus spirituale: sicut scriptum est, Factus est primus homo in animam uiuentem, extremus homo in spiritum uiuificantem. Deinde adhuc dicitur, At non primū quod spirituale, sed quod animale deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus ipse dominus de cælo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt: & qualis ille cælestis, tales & hi qui cælestes sunt. Et quæ admodum gestauius imaginem terreni, ita gestauius & imaginem cælestis. Proinde appellauit Paulus animale corpus terrenum corpus, quod habemus ab ipso Adamo parente nostro, quod ab anima uegetatur ac uiuit. Spirituale autem corpus appellauit cæleste quod à Christo & ad similitudinē corporis Christi habemus, quod licet uerum corpus & uera caro sit, per spiritum tamen Christi uiuificatur & seruetur, nec ullis indiget animæ uegetatiuæ potentijs.

*Animale et spirituale corpus.*

Quamquam ergo hæc ipsa corpora nostra & membra eadem que nunc gerimus, futura sint post resurrectionem in cælo, quia tamen clarificata sunt & ab omni corruptibilitate ac animali sensu purificata, certe non erit ullus animalis corruptibilisq; uel sensus uel affectus adeoq; carnalis corporis aut mēbrorū usus. Id quod dominus contra Saducæos in cælis nuptias imaginantes, ait hoc absurdo potius resurrectionem suggillantes, assentit & ait, Filij huius seculi ducunt uxores & nuptum dant: illi uero qui digni habebuntur secundo illo & resurrectione ex mortuis, neq; ducunt uxores neq; nuptum dant: neque enim ultra mori possunt. Aequales enim angelis sunt & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Ad quem modum & Paulus, Caro & sanguis ait, regni Dei hæreditatem consequi non possunt. Id ne quis de substantia carnis intelligeret, per interpretationem subdit, Neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipiet. Proinde caro & sanguis, id est carnales affectiones & cupiditates non erunt in electis agentibus in cælo. Nam cælestia gaudia aliena sunt à gaudijs terrestribus adeoq; sunt alterius naturæ, ut huiusmodi corruptos hæredes non admittant, ideoque prius corpora corruptibilia ab omni corruptione purgari adeoq; clarificari oporteat. Errant Turci expectantes gaudia terrestria.

*Caro et sanguis non clarificantur in cælo.*

Porto resurgent & impiorum corpora. Paulus enim in Actis, Resurgent & impiorum corpora. Creto, inquit, omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habes in Deū fore, quemadmodū ipsi expectant resurrectionē mortuorū, simul iustorū & iniustorū. En iniustorum quoq; dicit apostolus, Ceterū non tollentur in resurrectione ex horū corporib. infirmis, ignominia, corruptio et miseria: interim uero hoc ipsum corpus

*Resurgent & impiorum corpora.*

quod resurgit in ignominia, iudicio & potentia Dei confirmabitur in ignominia & corruptione, adeoq; ad æterna tormenta perferenda perpetuabitur immortaleq; & incorruptibile in morte & corruptione reddetur: ut quemadmodum corpora quædam reperiuntur in terris, quæ in ignibus perdurant, ita non aurentur neq; franguntur ullis tormentis maledicta impiorum corpora, subinde enim ac in momenta vires nouas patiendi accipient, luentq; hoc modo commeritas pœnas sine fine in secula seculorum. Dominus enim in euangelio, Qui mala, inquit, egerunt resurgent in resurrectione condemnationis, id est in perseuerantem perpetuamq; condemnationem. Nam Daniel prior dixit, Et multitudo ex ijs qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt: hi ad uitam perpetuam, illi uero ad probra & contemptû æternum. Rursus enim in euangelio dicit dominus, Illorum uermis non moritur & ignis non extinguitur. Nam iisdem uerbis prior usus est Isaias in cap. 66. Semper ergo illa domini uox retinenda erit in cordibus nostris, Illum meruite qui potest & animam & corpus perdere in gehenna, Hæc hætenus de resurrectione carnis.

*Articulus  
fidei 12.*

Ultimus fidei nostræ articulus omnia feliciter concludens hic est, ET VITAM AETERNAM. Audiuimus & intelleximus animas hominum esse immortales, in super & corpora nostra resurgere in fine mundi. Hoc nos credere professi sumus. Sequitur ergo in calce symboli, quo anima illa perpetua & corpus resuscitatum sin-

*Vita æterna,*

peruentura. Profitemur itaq; Et uitam æternam, uidelicet credo me corpore & anima consecuturum, & uicturum. Et æternitas quidem perpetua est nec admittit ullum finem, sicut modo declaratum est diuina scripturæ testimonijs.

Porro uitæ huius participes sũt animæ simul atq; migrant à corporibus, domino ipso testante, Qui credit in filium Dei in iudicium non ueniet, sed transiit à morte in uitam. Corpora uero sepeliuntur & computrescunt, interim illa ipsa non sunt expertia uitæ. Sed tum demum recipiuntur in æternam uitam, cum post diem iudicij excitata obuiam Christo rapiuntur in æra, ut semper sint cum domino. Tunc enim animæ è cœlis redeunt ad sua corpora, ut totus perfectus & plenus homo anima & corpore uiuat in æternum. Nam anima Christi in cruce morientis migravit ex templo in paradysum, tertia uero die redijt ad corpus, quod resurrexit & ascendit in cœlũ. Quemadmodum ergo capiti obigit uita æterna, ita omnibus & singulis Christi membris eadem obueniet.

Cum autem Paulus dicat ex Isaiã, Quæ oculus non uidit & auris non

ris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, ea præparauit dominus diligentibus se, arbitror ego si omnia de uita æterna dicta fuerint quæ omnium hominum omniumq; seculorum ora profari poterint, uix minimã eius particulam fuisse & esse delibatã. Nam uicunq; disertis & tropicis uerbis allusionibus & ænigmatibus scripura uitam & gaudia illa adumbrat euidentissime, modica tamen sunt reuera illa omnia, donec illa dies uenerit qua ipsum Deum conditorem omnium in sua gloria, Christum seruatorem nostrum in sua maiestate, omnes deniq; beatos spiritus, angelos, patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, patres nostros & omnem gentẽ nostram, & omnem exercitum cœlestem, omnemq; illam gloriam diuinam & cœlestem ineffabili cum gaudio uiderimus. Verissime ergo dixit Aurelius Augustinus libro de ciuitate Dei 22. cap. 29. Cum ex me queritur quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali? non dico quod iam uideo sed quod credo. Dico itaque quod uisuri sint Deum in ipso corpore. Et iterum, illa actio uel quies atque otium quale futurum sit, si uerum uelim dicere, nescio. Pax enim Dei superat omnem intellectum. Breuiter uidebimus ipsum Deum de facie ad faciem, laudabimus Deum in secula seculorum, fruemur Deo ad satiãtatem omni carentem fastidio. Et facies Dei non est nullus ille qui in nobis apparet, sed reuelatio iucundissima Dei & fructio quam nulla digne satis explicari mortalis lingua. Age ergo credamus & uiuamus, charissimi fratres, ut ubi hinc migrauerimus, re ipsa experiamur ineffabilia uitæ futuræ & æternæ gaudia quæ hodie credimus.

Hactenus enim fidei Christianæ fructum & finem per quatuor articulos ultimos exposuimus. Tendit fides in unum Deum, patrem & filium & spiritum sanctum, qui fideles sanctificat, purgat & consecrat sibi ecclesiam. Hæc habet communionem cum Deo & cum omnibus sanctis. Huic condonat Deus omnia delicta. Hanc animam & corpore seruat. Ut enim animæ mori non possunt, ita excitat Deus corpora sanctorum, quæ & gloriosa reddit & perennia, ut totus homo æternum uiuat in cœlis cum domino. Cui laus & gloria in secula seculorum, Amen.

De dilectione Dei & proximi.

S E R M O X.



ESTAT ut postquam sermonibus aliquot de uera fide differui, subiungam modo sermonem de dilectione Dei & proximi. Nã sermone quarto pollicitus sum me dicturum post fidem expositam de dilectione Dei



DE DILECT. DEI ET PROXIMI

& proximi: quod extra fidem & dilectionem expositio scripturarū  
 ceu extra legitimas & sacras methas non debeat exorbitare. Quod  
 autem fecistis hactenus porro facere non desinite, orare, ut hæc sa-  
 lucaris doctrina per me iuste tradatur, & à vobis recipiatur multo  
 cum fructu.

*Charitas* In iure non distinguam curiose inter charitatem & dilectionem,  
*o dilectio.* Virumq; enim pro eodem accipiam. Sanctus Augustinus de doctrina

na Christi Charitatem uoco, ait, animi motū ad perfruendum Deo  
 propter ipsum, & se atq; proximo propter Deum. Ego itaq; appello  
 dilectionem donum homini cœlitus datum, quo ex animo Deum  
 diligit ante & super omnia, proximo uero tanquā semetipsum. Pro

*Vnde sit* inde oritur dilectio è cœlo, unde infunditur cordib; nostris. Proue-  
*dilectio.* hitur autē & augetur partim beneficiorū Dei cōmémoratione & cōsi-

deratione: partim crebra oratione, item auscultatione & exercitatio-  
 ne uerbi Christi, Quæ & ipsa spiritus dona sunt. Apostolus enim  
 Paulus, Dilectio Dei effusa est in corda nostra, ait, per spiritū sanctū  
 qui datus est nobis. Equitatem charitas Dei qua is complectitur nos,  
 fundamentum est & causa nostræ dilectionis qua Deum amamus,  
 & ex utraq; existit dilectio proximi. Apostolus enim dicit, Nos dili-  
 gemus eum, quoniam is prior dilexit nos. Item, Omnis qui diligit  
 eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.

*Dilectio ge-* Inde rursus colligimus donū hoc dilectionis esse indiuisum, est  
*mina.* fit geminum Nam qui uere diligit Deum, proximum non odit: &

tamen propter duplicem respectum, nempe ad Deum & ad prox-  
 mum, dilectio hæc bipertita est. Nam & tabulæ diuinæ legis pro-  
 pter geminam dilectionem diuiduntur in duas: quarum prima ha-  
 bet præcepta dilectionis Dei 4. secunda habet præcepta dilectionis  
 proximi 6. De quibus suo loco dicitur. Iam uero quia alia Dei, alia  
 proximi dilectio est, dicam primo de dilectione Dei, deinde de dile-  
 ctione proximi. In his duob. mādatis, ait dñs, pendet lex & pphetæ.

*Dilectio* Dilectione Dei Deum amamus, Deo tanquam unico summo &  
*Dei.* æterno bono adhæremus, in ipso nos oblectamur & acquiescimus,

nosq; ad uoluntatem eius componimus, in omnibus dilectum res-  
 picientes atq; desiderantes. Plurima hic simul sunt proposita quæ si-  
 gillatim & per partes copiosius paulo exponemus. Amamus dilecti-

*Dilectione* one Deum. Amamus autem chara & quæ uidentur nobis esse expe-  
*Dei unimur* tibility, & amamus quidem illa non tam propter bonum nostrum,

*Deo.* quam quod nos ipsos totos ad amatum coniungere & quasi perperuo  
 consecrare dedicareq; desideramus. Ita certe cupimus cum Deo æter-

num coniungi, ad eorū & charitate coniungimur cum Deo: iuxta illud

Iud apostoli, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sic autem adhaeremus Deo tanquam unico summo & aeterno bono, in quo etiam nos oblectamur non uulgariter. In eo acquiescimus, sentientes extra hunc non esse bonum ullum: & in hoc rursus inueniri bona omnia. Proinde non aliud bonum extra Deum amamus. Ac praedilecto facile fastidimus & calcamus alia in orbe quae uidentur bona omnia: imò superat in nobis Dei dilectio ea quoque mala quae alioquin uidentur iniusta. Paulum audiamus haec magno spiritu perorantem atque dicentem, Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num *Dilectione Dei superat* persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num *tur mala omnia.* Quemadmodum scriptum est, Propter te tradimur morti tota die: habui sumus ueluti oves destinatae mactationi. Verum in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, quod neq; mors neq; uita, neq; angeli neq; principatus, neq; potestates neq; instantia neq; futura, neq; altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei quae est in Christo Iesu domino nostro. Haecenus recensuimus uerba Pauli.

Dilectio Dei efficit ut nos totos componamus ad eius uoluntatem & instituta quem diligimus ex animo. Imò iucundum & suauissimum est diligenti Deum, facere quod intelligit nos uoluntati Dei. Reueretur dilectum animus diligentis. Nusquam amouet oculos à dilecto. Desiderat semper & in omnibus dilectum. Gaudet omnino frequenter colloqui cum Deo, & uicissim audire uerba loquentis in scriptura Dei, Dominus enim in euangelio dicit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Item, Manete in dilectione mea. Si praecepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego praecepta patris mei seruauimus, & maneo in eius dilectione. Rursus, Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansorem apud eum faciemus.

Sed audiamus porro ipsum Mosen Dei seruum explicantem *Modus dilectionis Dei.* atque tradentem nobis modum & rationem dilectionis Dei, quanta scilicet esse debeat in electis. Diliges dominum Deum tuum, ait, toto corde tuo & tota anima tua ac tota uirtute tua. Eadē prope uerba repetijt in euangelio dominus noster ac dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua. Intelligimus ex his omnium maximā

DE DILECT. DEI ET PROXIMI

à nobis requiri dilectionē Dei: quippe quę sibi totū hominē quāntū  
 quantus est & omnes partes eius uindicat. Mente homo intelligit.  
 In corde est sedes affectuum & uoluntatis. Vires hominis sunt om-  
 nes facultates hominis, ipsa inquam dicta facta consilia opes & to-  
 ta substantia. Anima deniq; uita est. Hęc autem omnia ad diligendū  
 Deum conuertere iubemur, dum præcipitur Deus diligendus  
 esse ex tota anima ex totis uiribus ex tota mente, ex toto corde. Ni-

*Diligamus  
 Deum sur-  
 per omnia.*

*Solus dili-  
 gendus De-  
 us.*

*Rom. 8.*

*Quis sit  
 proximus  
 noster.*

hil in his omittitur quod non comprehendatur. Toti sumus Dei,  
 toti ergo diligamus Deum. Nihil sit in toto hoc orbe quod Deo sit  
 charius, nihil sit in omnibus rebus nostris uel charissimis & præstan-  
 tissimis, cui parcamus propter Deum, quod non propter deum & iux-  
 ta os domini relinquamus expendamus aut disponamus. Sic te-  
 nim diligimus Deum ante & super omnia. Soli autem adhare-  
 mus, ei omnia nostra & tota quidem sincere simpliciter & plene  
 sunt præstanda. Damnantur hic quicunq; & deum amare, simul &  
 mundum quoq; uolunt diligere. Totum requirit cor dominus, tota  
 tam mentem, totam animā, & omnes uires, deniq; quicquid sumus  
 & possidemus: nihil relinquit ergo tibi quod impendas alijs. Quo-  
 ergo iure dabis carni diabolo dijs alijs uel mundo quod solius Dei  
 est peculium? Ac solus quidem Deus summus, æternus, maximus,  
 potentissimus, creator, liberator, conseruator, clementissimus, iustissi-  
 mus & optimus est. Solus præstat præstitit & præstare potest homi-  
 nibus quęcunq; ad incolumitatem corporis & animę pertinere.  
 Solus sufficit homini ad beate & bene uiuendum Deus: solus ergo  
 diligi meretur Deus, & diligi quidem ante & supra omnia. Hęc di-  
 lectio Dei benedicit omnibus hominum casibus & euentibus, ut  
 eis profint, iuxta illud, Diligentibus Deum omnia cooperantur in  
 bonum. Hęc dilectio Dei cōprehendit & hoc, ne quem adoremus,  
 colamus, ueneremur, timeamus, inuocemus, ne cui fidamus, obedia-  
 mus, & adhareamus, nisi uni & soli Deo, cui debetur omnis gloria.  
 Priusquam uero dicamus de dilectione proximi, præmittere ne-  
 cesse est quis sit proximus, de quo uideo quosdam addubitare & hæ-  
 rere ancipites. Sunt enim qui arbitrentur proximos esse consangui-  
 neos. Alij putant benefactores suos esse proximos, alienos iudicant  
 quemlibet etiā inimicum nostrum qui nostro consilio & auxilio  
 indiget proximum esse. Fingit enim hominem Iudæum incidisse  
 in latrones, semiuiuumq; & uulneribus tuberibusq; oppletum in-  
 cuisse in itinere, & neglectum quidem fuisse à suę gentis homini-  
 bus. *Le*

bus Leuita ac sacerdote prateruentibus, tandem uero receptum in curam a Samaritano. Erat autem odium maximum inter Iudæos & Samaritanos: nihilominus tamen benefacit hic isti, quod uideret iras & necessitatem afflicti postulare. Ea uero applicans suo instituto dominus ininterrogat illum, qui cupiebat erudiri quisnam esset proximus suus, & ait, Quis horum trium uideatur tibi fuisse proximus illi? Respondit, Qui fecit misericordiam. Ait dominus, Vade & fac tu similiter. Quasi dicat, quemadmodum Samaritanus iudicauit etiam hostem suum esse proximum & indigenti beneficio conueniunt: ita tu quoque reputato quemlibet tua indigentem opera tuum esse proximum, & benefac illi. Ergo secundum scripturam iudicans Aurel. Augustinus dixit, Eum proximum esse intelligimus cui uel exhibendum est officium misericordie si indiget, uel exhibendum esset si indigeret. Heluetij propriissime hoc exprimimus cum Proximum nostrum appellamus den nächsten mensch, id est quemlibet indiscriminatim quem nobis fors obtulerit. Præterea nuncupamus proximum in nostrate lingua der åben mensch/namlich ein ieder der so wol ein mensch ist als wir. Significantes quemlibet hominem siue is sit amicus siue hostis. Huc pertinet illud Lactantij lib 6. cap. 11. Quid personas eligis? Quid membra inspicias? Pro homine tibi habendus est quisquis precatur, ideo quia te hominem putet. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus nisi largiari moriendum est. Item, Conseruanda est humanitas, si homines recte dici uelimus. Conferuare autem humanitatem quid aliud est, quam diligere hominem quia homo sit & idem quod nos sumus. Certe dominus in euangelio de dilectione proximi disputans, Diligete, inquit, inimicos uestros, bene precemini deuouentibus uos, benefacite ijs qui uos odio prosequuntur, orate pro illis qui ledunt uos. Item, Omni exigenti a te tribue, Et si diligitis eos qui uos diligunt, quæ uobis est gratia: Nã & peccatores diligunt se diligentes. Proximus ergo est homo quilibet qui nostra indiget opera.

De Doctri.  
Christ. lib.  
1. cap. 30.

Hæc interim non efficiunt ne ullus sit in dilectione aut beneficentia, ordo, modus aut ratio decens. Recte enim dixit S. Augustinus de Doct. Christ. lib. 1. cap. 27. Nullus peccator in quantum peccator est, diligendus est. Et 28. cap. Omnes homines æque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est qui pro locorum uel temporum uel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Apostolus enim Paulus eadem nos ante Augustinum docuit dicens, Qui non manducat non edat. Item, Dum tempus habe

Ordo & modus est in dilectione.  
2. Thess. 3.  
Galat. 6.

DE DILECT. DEI ET PROXIMI

*2. Cor. 8.* mus operemur bonum, cum erga omnes homines tum uero maxime erga domesticos fidei, Et alibi non iubet nos erogare alijs, & in terim domi nostræ egere. Imò præcipit cuiuslibet pie curet domum propriam. Notus est locus in 1. ad Timoth. 5. cap.

*Quomodo diligendus sit proximus.* Porro explicato eo quis nam sit proximus noster, uideamus iam quomodo diligendus sit proximus. Diligendus est proximus sincere & sine fuce, ea dilectione qua nosmetipsos diligimus, uel quæ nos dilexit Christus. Nam inferuire oportet proximo in omnibus, præstareq; officia beneficentiæ & humanitatis. Quatuor in hac con signatione plenius consideranda ueniunt.

*Dilectio proximi sit sincera.* Principio requiritur à nobis dilectio proximi sincera, quæ ce reat omni dolo fraude & fuce. Inueniunt enim multos qui mellis compellant uerbis proximos ac simulant se diligere, quos reuera odiunt, aut blandiloquio decipere resq; suas conficere cogitant. Apostoli ergo Christi Paulus & Ioannes acriter à dilectione remouent hypocrisim. Ille enim, Dilectio, inquit, sit non simulata. Item, Finit præcepti est charitas ex puro corde & conscientia bona & fide non simulata. Hic uero clamat, Filioli mei ne diligamus uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate. Porro in hac sinceritate comprehendimus alacritatem spontaneam & hilarem, ne quid inuitè aut coactè fiat. Paulus enim dicit, Vnusquisquis agat secundum bonum animi propositum, non ex molestia aut necessitate. Nam hilarem datorem requirit Deus.

*Diligamus proximum tanquam nos ipsos.* Deinde requiritur à nobis ut proximum diligamus tanquã nos ipsos. Dominus enim dixit, Dilige proximum tuum sicut teipsum: nimirum ardentissime & modis omnibus maxime. Non enim uel ualidior uel uehementior est affectus, quàm amor sui. Neq; uero uoluit dominus priores partes dare philantiæ, posteriores dilectioni proximi: sed magis significauit dilectionem ardentissimam, nimirum ut eum affectum quo nos & res nostras prosequimur, eundem inquam alijs impendamus, ut eadem cura, fide, diligentia, eodem ardore & studio alijs benefacere aut mala ab eis arcere pergamus quo nobis ipsis prouidemus. Vnde dominus alibi quoq; Quod tibi, ait, uelis fieri, feceris alteri: & quod tibi nolis fieri, alteri non feceris. Et duo quidem requirit à nobis dominus, innocentiam & beneficentiam. Non enim satis est ne cui noceamus, sed oportet præterea

*Diligamus proximum sicut dilexit nos Christus.* benefacere quantum possumus. Nam & nobis ipsis bene esse cupimus, non tantum mala à nobis arcemus.

Quod si non sum satis intelligit C. V. modum dilectionis proximi, expendite obsecro quid loco tertio posuerim, Diligendus est proximus

proximus ea dilectione qua nos dominus Christus dilexit. Nam in euangelio Ioannis dicit dominus, Hoc est præceptum meum ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Habetis modum dilectionis nostræ, proximos diligere oportet sicut Christus dilexit nos. Quomodo aut dilexit nos Christus? Hic in euangelio rursus dicit, Maiorem hac dilectionē nemo habet ut quis animā suam ponat pro amicis. Proinde modus dilectionis proximi erit ut animam ponamus pro proximo. Quod si uitam debemus proximo, certe nihil non debemus, cum uita nihil sit homini præstantius. Omnium ille iacturam facit, priusquam uitam subijciat periculo. Proinde Ioannes apostolus clamat, Per hoc cognouimus charitatem, quoniā ille animā suā pro nobis posuit: & nos debemus animas ponere pro fratribus. Facilia sunt hæc intellectu propter exemplum clarissimum. Oremus ardentē & sedulo dominū ut opere perficiamus quod ex uerbo Dei clare iam intelleximus, ne ab eodem apostolo damnemur dicente, Qui habuerit substantiam mundi & uiderit fratrem suum egere, & clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Age ergo explicemus quarto & ultimo loco quomodo oporteat inseruire proximo in omnibus, præstareque officia beneficentiæ dilectionis & humanitatis. Id eleganter exposuit dominus illa ipsa parabola qua docuit nos quis sit proximus noster, Eadem enim profertur breuiter, sed euidenter omnia dilectionis proximi officia. Principio Samaritanus uiso saucio misericordia commotus est. Requiritur ergo à nobis affectus misericordiæ, quo aliorum calamitates existimemus etiā ad nos pertinere: requiritur condolentia animi, iuxta illud apostoli, Memores este uinctorum tanquā unā cum illis uincti, eorum qui affliguntur tanquā ipsi quoque uersantes in corpore. Deinde accedit Samaritanus, non præterit, non uerbis lugubribus imprecatur saucio sanitate, & ad res proprias conficiendas properat. Nam Iacobus apostolus, quod si frater aut soror nudi fuerint, inquit, & egenes quotidiano uictu, dicat autem nostrum aliquis illis, Abite in pace, calescite & saturamini, non tamen dederit illis quæ sunt necessaria corpori, quæ erit utilitas? Samaritanus ergo accedit, denique admouet manum & artem qualemcunque (quando meliorem non didicerat) profert medicaturus saucio. Nec abhorret à uulnerum liuore sanie purulentia & foetore, ipse obligat, non reijcit ad alium. Non caussatur se non esse medicum: quod poscit necessitas & quod potuit, facit, presentibus utens medicaminibus, donec melioribus uti liceat. Vinum & oleum sumperat secum in uiam, ijs utitur in necessitate: & non admodum incommodis

Quomodo oporteat inseruire proximo.

DE DILECT. DEI ET PROXIMI

quidem illis, cum vinum purget uulnera, oleum leniat. Hinc omnia quæ habet miseri usibus concedit, suum etiam genium defraudans. Descendit enim ex iumento cui inequitarat, & eius usum afflicto concedit. Quin sublatum è terra suis manibus deficientem, iumento imponit. Ipse denique uicæ dux est, non alijs eius curam committit. Ducit enim cum in proprias ædes non posset, saltem in diuersorium publicum. Vbi rursus nullis neque impensis neque laboribus parcat. Ipse enim misericuram agit, quod in diuersorijs publicis languentium res segetius ferè curentur. Cæterum dum itineris urgeret necessitas, pecuniam depromit quantum ad reditum usque eius sufficere putauit, & hanc annumerat hospiti meritorio. Nec eo contentus, commendat insuper diligenter miserum hospiti. Præterea obstrngit se pro eo & ait, Si quid in eius curam & necessitatem impenderis ultra summam tibi creditam, nihil tibi peribit. Vbi enim rediero reddam bona fide omnia. Ergo & reditum pollicetur, & declarat se non quieturum donec faucium uideat incolumem. Haber C.V. in hac parabola domini pulcherrimum & plenissimum dilectionis modum. Totum enim sese Samaritanus proximo indigenti impendit liberalissime promptissimeque: totos ergo nos ipsos & omnia nostra debemus proximo, quæ cum ei impendimus, officia dilectionis humanitatisque præstamus.

His subiungemus adhuc aliquot scripturæ testimonia ex quibus ingenium dilectionis intelligatur plenius, si quid hactenus allatis deesse uideatur. Paulus ergo ad Corinth. scribens, Charitas patiens est, ait, benigna est, charitas non inuidet, non est procax, non inquitur, non est fastidiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et iterum ad Romanos scribit idem apostolus, Dilectio præuenit alios honore, communicat necessitatibus sanctorum, sectatur hospitalitatem, bene loquitur de persecutoribus, persequentibus mala non imprecatur, gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus, accommodat se infirmis.

Item, Nemini quicquam debeatis nisi ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa, Non committes adulterium. Non occides. Non furaberis. Non falsum testimonium dices. Non concupisces, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatum comprehenditur: nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Consummatio itaque legis est dilectio.

Huc etiam pertinent opera misericordie quæ ut manant ex dilectione, ita commemorantur à domino in euangelio Matthæi, hæc potissimum, Pascere esurientes, potare sitientes, colligere uagos & hospites,

*Charitatis ingenium.*

*Charitas impletio legis.*

*Opera misericordie.*

spites, operire uel uestire nudos, uisitare infirmos, uinctos inuisere & consolari. Ad hæc respiciens Lactantius lib. Instit. 6. cap. 12. dicit, Præcipua uirtus est hospitalitas & alere pauperes. Captiuorū redemptio magnum quoque & præclarum iustitiæ opus est. Non minus magnum iustitiæ opus est pupillos & uiduas destitutos & auxilios indigentes tueri atque defendere: quod ubique lex diuina præcipit. Aegros quoque quibus defuerint qui assistant curandos fouendisque suscipere, summæ humanitatis & magnæ operationis est. Vltimū illud & maximū pietatis officium est peregrinorū & pauperū sepultura. Hæc hæc tenus de officio humanitatis quod præstat uera proximi dilectio.

Cæterum non satis fuerit, fratres, quod creberrime nobis repetendum est, intelligere quomodo diligamus proximū, quin potius diligendum est impensissime. Audiendus apostolus qui mira orationis uirtute & pulcherrimo exactissimo sanctissimoque Christi exemplo nos omnes ad charitatem proximo præstandam adhortatur & dicit, Si qua igitur consolatio est in Christo, si quod solatium dilectionis, si qua cōmunitio spiritus, si qua uiscera ac miserationes, complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contentionē aut inanem gloriam, sed per humilitatem animi alium quisque se præstantiorem existimet, ne sua quisque spectetis, sed unusquisque quæ sunt aliorum. Is enim affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cū esset in forma Dei non rapinam arbitratu est ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne se genua flectat cœlestium terrestrium ac infernorum, omnisque lingua confiteatur quod dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Ei soli sit honor & imperium in secula seculorum, Amen.

*Adhortatio ad charitatem.*

Finis primæ Decadis Sermonum.



# SERMONVM DE

CAS. SECVND A, AVTHORE

HEINRYCHO BVL-  
LINGERO.

De Legibus, & primum quidem de lege nature, deinde uero  
de legibus humanis. SERMO I.



V M M A omnium legum est dilectio Dei & proximi, de qua cum summam dicitur sit proximo sermone, consequens est ut porro differat sigillatim de Legibus & partib. atq; speciebus earū. Inuocemus ergo legum auctorē deū, ut is nos spiritu suo semper dirigat in uia ueritatē ac iustitiæ, per Christum dominum nostrum.

**Quid Lex**

Legem definiuit quidam ex Gentilibus non obscurus auctor, rationem esse summam in natura insitam, quæ iubeat faciendā prohibeatq; contraria. Et certe Lex aliud non est quam declaratio diuinæ uoluntatis, præscribens quid facias aut quid omittas. Origo & causa legū est ipse Deus fons omnis boni æqui ueri & iusti. Ergo omnes leges æquæ & bonæ, sunt ex ipso Deo, licet ferè promulgentur proferturq; per homines. De humanis legib. est cōsideratio peculiaris.

**Diuisio legum.**

Nam leges aliæ quidem sunt Diuinæ, aliæ Naturæ, aliæ Humanæ. De Lege diuina dicam in 2. Sermone, iam auingam primū quidē legem Naturæ, deinde legem Humanam.

**Lex Naturæ.**

Lex naturæ est dictamē conscientiaæ adeoq; directio quædam ab ipso Deo hominum animis & cordibus insita, admonens quid uel faciant uel omittant. Et Conscientia quidem cognitio est iudicium & sensus hominis, quo apud semetipsum in animo suo sibi quisq; cuiuslibet rei peractæ uel nō peractæ conscius semetipsum uel damnat uel absoluit. Et hic sensus proficiscitur ex Deo, dictatē inscribensq; iudicia sua hominum cordibus & animis. Natura uero est ingenium cuiusque rei proprium. Porro ingenium hominis planè corruptum per peccatū, ut cæcū, ita in omnibus est prauū. Deum non nouit, Deum non colit, sed & proximū non diligit, seipsum potius amat & sua quærit. Vnde nimirum apostolus dixit nos esse natura filios iræ. Proinde Lex naturæ dicta est non eo nomine quod in natura

**Natura.**

natura

natura vel ingenio hominis ex semetipso sit illuminatio quædam, ratio deprecans ad optima & operatio sancta: sed quod Deus notiones quasdam & principia religionis æqui & boni generalia animis nostris impressit aut insculpsit, quæ quasi insertæ & nobiscum natæ & iccirco ueluti naturales esse uidentur.

Paulum apostolum de his testificantem atq; dicentem audiamus, *Locus Pauli Rom. 2. de lege nat. turæ.*  
 Cum Gentes quæ legem non habent, ait, natura quæ legis sunt fecerint, eæ legem non habentes sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus aut etiam excusantibus in eo die cum iudicabit dominus occulta hominum iuxta euangelium meum per Iesum Christum. Duobus argumentis euincit apostolus Gentes esse peccatores. Principio enim ne excusarent se quod non habent legem, ostendit ipsas habere legem, & quia hæc præuaricantur, esse peccatores. Licet enim legem Moysi scriptam non habuerint, fecerunt tamē natura quæ legis sunt. Legis est reuelare dei uoluntatem quid agas aut quid omittas. Id habent à natura, id est, id norunt ex lege naturæ. Sequitur enim quod hoc exponat, Cum non habent legem, eæ sibi ipsi sunt lex. Nimirum habent in seipsis quod scriptum est in lege. Sed quomodo habent in seipsis? Sequitur iterum interpretatio, Quippe ostendunt opus legis inscriptum cordibus suis. Quis autem inscribit in corda, nisi solus Deus qui est cordium scrutator? Quid autem inscribit? Opus legis, ipsam inquam legem præcipientem bona & uetantem mala, ut sine lege scripta ex dictamine naturæ, id est ex impressis à Deo naturæ notionibus intelligant quid bonum sit, quid malum, quid appetendum, quid fugiendum. Intelligimus ex hisce apostoli uerbis quod lex naturæ, opponatur legi Dei scriptæ, & iccirco lex naturæ dicatur quia ueluti natura infra uidetur, Intelligimus legē naturæ non scriptam, sed inscriptam, idem habere officium quod legem scriptam, dirigendi uidelicet homines & docendi imò & discernendi bonum à malo, iudicandi peccatū. Intelligimus originem illius legis non existere ex corrupto hominis ingenio, sed ex ipso Deo, qui digito suo cordibus inscribit & naturæ infigit inseritq; notiones & regulam iusti æqui & boni. Deinde producit apostolus secundū argumentū, quo Gentes peccati conuincit, à testimonio conscientie. Hæc enim instructa à lege naturæ, malum commissum accusat & damnat: ac una & sola est loco mille testium. Eadem etiam excusat, id est absoluit, si nihil commissum est contra legem. Quod si in præsentem contempnamus iudicium conscientie, certe non licebit tunc conscientie accusationes

DE LEGE NATURÆ ET HVMANA

asperrari & præterire, cum dominus iusto iudicio iudicabit orbem. Ex his autem omnibus consequitur omnes Gentes esse peccatores, quas nisi à peccatis repurget filius Dei communis & unicus totius orbis saluator & liberator, necesse est omnes gentes perire in peccatis suis.

*Duo præci-  
pua capita  
legis natura-  
re,* Sed redimus iam ad legem naturæ, cuius duo potissimum com-  
memorantur capita: alterum, Deum agnoscere & colere. Alterum,  
societatem & amicitiam inter homines seruare. De priore hæc ha-  
bemus apostoli Christi uerba, Quod de Deo cognosci potest mani-  
festum est in illis (nimirum Gentibus) Deus enim illis patefecit. Sic  
quidem quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per ope-  
ra intelliguntur, peruidetur, ipsa nempe æterna eius potentia &  
diuinitas, in hoc ut sint inexcusabiles: propterea quod cum Deum  
cognouerint, non ut Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, &c.  
*Gentes co-  
gnouerunt  
Deum.* En Gentes cognouerunt Deum, imò quicquid cognosci potest de  
Deo cognouerunt. Sed quo auctore aut præceptore? Deo. Quomo-  
do is docuit, aut ex quo libro docuit? Non ex libris Moysi aut pro-  
phetarum manu scriptis, sed ex magno illo libro naturæ. Nam quæ  
alioqui non uidentur in Deo, cuius generis sunt æternitas perpetui-  
tas uirtus potentia maiestas bonitas diuinitasque, ea uoluit æstimari  
ex rebus uisibilibus, nimirum ex rebus conditis. Nam diuinitas Dei  
æterna cognoscitur ex conditione hominis, ex cæli motu perpetuo,  
ex fluminum perpetuitate. Potentissimum esse necesse est illum, qui  
ista omnia sustinet, qui mouet uegetat conseruat in esse omnia, qui  
nunc cõcutit orbem. Optimum uero esse illum quis non uideat, qui  
solem oriri sinit super bonos & malos? Sed in quem oro finem hæc  
reuelat Gentibus: Ut agnoscant Deum, glorificent & colant Deum,  
ut grati sint tanto benefactori. Id quando non faciunt, inexcusabi-  
les sunt & merito pereunt suo, nimirum propter incredulitatem &  
ingratitude. Constat autem lege naturæ diserte doceri atque tradi  
Deum esse, & hunc quidem agnoscendum atque colendum.

*Seruanda  
amicitia et  
societas ho-  
minum.* De capite posteriore, nempe seruandam esse amicitiam & socie-  
tatem inter homines, hæc tradit in euangelio dominus, Omnia quæ-  
cumque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Eam  
sententiam extulit Alexander Seuerus Imperator per contrarium,  
Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Quam usque adeo dilexit,  
ut & in palatio & publicis operibus perscribi iuberet. Porro ad ge-  
neralem illam legem pertinent hæc quoque, Honestè uiuere. Alterum  
ne lædito. Suum cuique tribuere. Vitæ commoda tuere, incommoda  
propulsare. Quoniam uero lex naturæ ab apostolo opponitur legi  
Dei

Descriptæ, ideo necesse est ut illa huc respondeat: uideamus ergo *Lex naturæ* quid prodicium sit à Gentium sapientibus & legislatoribus quod *re respondeat* decalogo & quatenus respondeat. *idet legi scri*

Pythagoras apud S. Cyrillum contra Iulianum libro 1. de Deo *pra.* sic scribit, Deus quidem unus: & ipse non ut quidam suspicantur extra mundi gubernationem, sed in ipso totus in toto circulo omnes *De Deo,* generationes considerat, contemperatio existens omnium sæculorum, & lux suarum uirtutum & operum principium omnium, lumen in cælo, & pater omnium, mens & animatio omnium, circulum omnium motio. En confiteretur Pythagoras unum esse Deum, eumq; creatorem cõseruatorem gubernatoremq; omnium, patrem omnium, lumen & uitam omnium. Zaleucus in Procræio legum suarum hæc scripta reliquit, Omnes qui urbem ac regionem inhabitant persuasos esse oportet deos esse: quod manifestum fit ex cæli & totius mundi inspectione, rerumq; in ipsis dispositione pulcherrima & ordine. Haud enim fortuita aut humana huiusmodi opera putare conuenit. Deinde colendi honorandiq; dii sunt, ut bonorum omnium nobis auctores quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere & comparare animam quemq; suam oportet, ut ab omnibus malis pura sit. Nam ab improbo homine non honoratur Deus, neque sumpibus colitur, neq; tragædijs capitur instar hominis mali, sed uirtute ac instituto bonorum operum & iustorum. Quocirca opus est unumquemq; pro uirili bonum esse tum factis tum uoluntate, *De cultu dî* qui modo futurus sit Deo charus, &c Cicero de Natura deorum 2. *ca uino.* lib. Cultus deorum is est optimus, inquit, idemq; sanctissimus & castissimus pietatis, ut deos semper pura integra incorrupta & mente & uoce ueneremur. Seneca autem lib. ad Lucill. 15. dicit, Quomodo sint dii colendi solet præcipi. Accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii indigent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fugi & foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officijs capitur. Deum colit qui nouit. Vetemus lintea & strigiles loui ferri, & speculum tenere Iunoni. Non querit ministros Deus. Quid nisi Ipse generi humano ministrat. Vbiq; & omnibus præsto est. Audiat licet quemadmodum seruire in sacrificijs debeat, quam procul resiliere à molestis superstitionibus nunquam satis perfectum erit, nisi qualem debet Deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ causa est dijs benefaciendi? Natura. Errat quisquis putat illos nocere uelle uel posse: nec accipere iniuriam queunt nec facere. Lædere enim lædiq; coniunctum est.

DE LEGE NATVRÆ ET HVMANÆ

Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemiſit, nec periculosos quidem fecit. Primus eſt deorum cultus, deos credere: deinde reddere illis maiestatem ſuam, reddere bonitatem ſine qua nulla maiestas eſt. Scire illos eſſe qui præſident mundo: qui uniuerſa ut ſua temperant, qui humani generis iureſam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. Hi nec dant malum nec habent. Cæterum caſtigant quosdam & coercent & interrogant pœnas & aliquando ſpe boni puniunt. Vis deos propitiare? Bonus eſto. Satis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.

*Sententia  
de Deo gen  
tium nō ſunt  
inte. 2.*

In hiſce Senecæ uerbis eſt egregijs & religioni ueræ congruis, deſidero tamē duo. Prius quod ſubinde Deorum facit mentionem, cum tamē alibi ingenuè fateatur unum modo ſubſtantiã eſſe Deum. Nec auſim aſſeuerare illum more ſcripturæ uſum. Illa uocat Deum Elohim quaſi tu dicas Deos, propter trinitatis adorandæ myſterium. Interim nō neſcio doctiſſimos religionis noſtræ uiros ex Gentium testimonijs probare uoluiffe Gentes quoq; agnouiffe Trinitatis myſterium. Poſterius eſt quod non diſerte (quantum ego quidem noui) exprimit & docet Seneca cum alijs Gentium ſapientibus ſolida in Deum fiduciam.

*2  
Gentes con  
tra idola.*

Porro non fuit apud Romanos ulla in ullis templis imago Dei, annis ab urbe cōdita plus minus 170. Plutarchus enim in uita Numæ Pompilij ſcribit, Quæ de deorū immortalū ſimulachris etiam Numæ ſtatuit, quam ſimillima ſunt prorsus Pythagoræ documentis. Nam primum principium ille neq; ſenſui neq; perturbationi ſubiectum, ſed mentem inuiſibilem & increatam eſſe cenſuit. Hic autem Romanos prohibuit exiſtimare imaginē Dei aut hominis ſpeciem aut animalis habere figuram uel formam. Nec fuit apud eos neq; picta neq; ficta Dei prius ſpecies, ſed in prioribus 170. annis templa quidem ædificabant ſacræq; tuguria erigebāt, ſimulachrum uero nullum corporeum faciebāt, perinde atq; nephas eſſet deterioribus meliora aſſimilare, neq; aliter quã in intelligentia percipi poſſit Deus. Eadem teſtatur de Romanis M. Varro apud S. Auguſtinum lib. de Ciuit. Dei 4. cap. 31. Dicit enim Romanos coluiſſe deos ſine ſimulachris annos 170 & addit, Quod ſi adhuc manſiſſet, caſtus dij obſeruariſſent. Nec dubitat eum locum ſic concludere ut dicat, Qui primi ſimulachra populis poſuerunt, eos ciuitatibus ſuis & metum dempſiſſe & errorem addidiſſe: prudenter exiſtimans deos

*3  
Nomē Dei  
in ſummo  
precie.*

facile poſſe in ſimulachrorum ſtoliditate contemni, &c. Quanti uero Gentiles æſtimauerint nomen Dei claret ex religioſe maxima ſacramenti ſuis iuramenti. Hiſtoria extat elegans apud Gellium

Gellium lib. 7. cap. 18. ubi et illud inter alia legitur, Ius iurandum apud Romanos inuiolate sanctetq; habitum seruatumq; est: id et moribus legibusq; multis ostenditur. Quod si quis conuiuium dixisset in Deum apud Gentiles, grauissimæ obnoxius pœnæ reddebatur.

Præterea fuerunt Gentibus sua sacra suæ feræ ceremoniæq; & sacrorum antistites. Insignes fuerunt Gentium sacerdotes Melchizedek & Iethro. Et quanquam Paulus fateatur id quod Gentes obtulerunt, non Deo obrulisse sed dæmonijs: quia tamen sacra & ceremonias sacras magni fecerunt, declarauerunt Deum notions cultus & religionis indere animis hominū, quas deinde corrūpunt falsæ doctrinæ & opiniones conceptæ de Deo & sacrorum ritibus.

De honorandis parentibus & magistratibus item de educandis liberis, deq; liberorū officio præcepta & sententiæ sunt apud gentiū sapientes illustrissimæ. Hierocles inter alia, Si quis, inquit, parentis secundos ac terrestres quosdam deos dixerit non errabit, cum nobis propter uicinitatē, si dicere fas est, uel ipsis dñs honorabiliores sint. Necessarium autem est ita existimare, & perpetua animi promptitudine conandū ut beneficijs eorū paria faciamus. Quantumuis uero multa in eorū gratiā fecerimus, semper tamē inferiora erūt omnia q̄ esse deberent. Et reliqua. Tempus enim me citius destituet quam hæc & alia huc pertinentia cōmẽmorem ex Gentibus: neq; hoc institui.

Contra homicidium uiolentiam & iniurias latæ sunt leges grauissimæ à Gentibus. Ab ijsdem profecta est lex Iulia cōtra adulteria & nephandos concubitus. Statuerunt egregia decreta de connubijs rite contrahendis & colendis. Ac uerbum ueritatis diserte indicat Chanaanæos esse deletos propter incestas nuptias & nephandas libidines, Leuit. 18. Sed & Lycurgus Solon & Romani contra omnē luxum promulgauerunt leges sumptuarias: ut iam non commemorē insitum esse naturaliter gignere & nutrire sobolem.

Contra furta & dolos, cōtra usuram, de iusta rerū acquisitione & possessione, item de rerum diuisione & contractibus, habent ethnici leges pulcherrimas. Celebre est illud Aufonij, Si turpia luca

Fœnoris & uelox inopes usura trucidat. Veritatem quoq; celebrant gentiles omnes, mendacium detractonem & his similia scelera damnant modis omnibus. Lex Tarpeia iuberet dare testem falsum. Cheron uero Catanæus inter alia egregia dicta, Quisq; ait, honestatem ac ueritatem colat, turpitudinem atq; mendaciū oderit. Nam hisce notis uirtus & malitia discernuntur. Quare statim à pueris assuefa-

DE LEGE NATVRÆ ET HVMANA

cere oportet castigando quidem mētiendi studiosos ueritatis autem amando, ut quod in uirtute optimum & fecundissimū est, animis singulorum innascatur, & quasi in naturam ipsorū conuertatur, &c.

10 *Concupiscentia.* Damnatur itē cōcupiscentia, damnatur & affectus prauī à sapientibus ethnicorū. Hanc ueluti malorū radicē culpans Satyricus canit, Inde ferē scelerum causā, nec plura uenena Miscuit aut ferro grassatur sēpius ullum Humanæ mentis uicium quam sēua cupido.

Cæterum ex his omnibus facile est colligere gentium animis inscriptas esse Dei notiones ac præcepta fugiendorum & appetendorum: quæ interim corruerunt & obscurarunt suis affectatis & uiciatis à carne iudicijs. Proinde Deus præter legem naturæ alias quoque suæ uoluntatis expositiones dedit, nimirum uiuam traditionem patrum, angelorum responsa, oracula, prodigia, leges scriptas per homines sapientissimos & religiosissimos. His omnibus adiutus Deus legem naturæ. Ergo quæcunq; reperiuntur in ethnicis uera et bona, ad authorem omnis boni Deum sunt referenda; falsa uero, ac corruptam hominis naturam & ad affectus prauos.

*Nihil efficit natura sine gratia* In his omnibus in primis illud obseruandum esse monemus nos hic loqui de cognitione non de facultate. Clara utcunq; est cognitio legis, sed assensus & uoluntas efficiendiq; potestas & insita ma est & implicatissima. Quanquam & intellectū illuminari oportere, ita & uires cœliius concedi necessarium esse contendimus. Nihil hic efficit natura sine gratia. Quod si qui ex Gentibus laudem habent iustitiæ, ut Melchizedek, Iob, Iethro & alij multi, id quidem ne habent ex suis uiribus, sed ex gratia Dei. Sicuti ex historia Iob clarissimis licet colligere argumentis. Ergo si qui ex Gentibus sunt saluati, non per opera naturæ aut merita propria sunt saluati, sed per misericordiam Dei in Christo domino nostro. Neq; uero Lex naturæ insita est hominibus à Deo ut saluet homines sine gratia & Christo, sed magis ut doceat quid bonum sit quid malum, ut euincat nos esse peccatores & inexcusabiles coram domino. Paulus certè per legem naturæ Gentes non minus quam per legem Moysi Iudæos peccati reuincens, demonstrat in solo Christo Dei filio esse iustificationem uitam & omne bonum. Hæc de lege Naturæ.

*Humana leges.* Humanæ leges sunt (nam secundo loco de his nos dicturos polliciti sumus) quæ ab hominibus ad conseruationem utilitatemq; uel reipub. uel ecclesiæ ordinantur ac promulgantur. Hæc enim diuersi sunt generis. Sunt enim politicæ leges, sunt ecclesiasticæ & Traditiones humanæ. Politicæ leges sunt quas magistratus sancit pro ratione

tionē locorum temporum ac hominum ad conseruandam pacem & honestatem publicam. Huius generis sunt innumera exempla in Iure ciuili & Imperatorum Constitutionibus, maxime Iustiniani. Debent hæc omnes quam proxime accedere ad leges Dei ac naturæ nec cum his pugnare aut habere quicquam impietatis crudelitatis & tyrannidis. Huiusmodi legibus iubet parere sanctus Petrus dicens, Subditi estote omni humanæ constitutioni, propter dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus ut qui per eum mittantur ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium. Quanquam enim per ordinationem siue constitutionem intelligat ipsos reges ac magistratus, sicuti ipse altero orationis membro protinus exponit, quia tamen magistratus conditis legibus rem pub. gubernant, ideo æquis legibus nos parere iubet apostolus. Porro politicæ leges æquæ & sanctæ adiuuant charitatem, tranquillitatem, & hominum societatem conseruant, bonos defendunt, inordinatos redigunt in ordinem, religionem deniq; non mediocriter iuuant, sed & malas abrogant consuetudines & proscribunt scelera, Exempla cernere licet in rebus gestis à Nabuchodonosore, Cyro, Dario, Artaxerxe, & ab alijs principibus. Verum alio loco dicitur de Magistratu eius legibus & officio.

*Ecclesiasticæ leges.*

Ecclesiasticæ leges sunt quæ ex uerbo Dei quidem petuntur, ac pro ratione hominum, temporum locorumq; accommodatæ in ecclesia à populo Dei agnoscuntur & usurpantur. Has ecclesiasticas leges non traditiones humanas appello, quod è scripturis diuinis petuntur non hominum ingenio inuentæ & proditæ, ab ea usurpantur, quæ solius pastoris uocem audit, alienorum non agnoscit. Coit ecclesia ad audiendum uerbum Dei & ad preces publicas matutinis ac uespertinis adeoq; statis horis prout cuiq; loco & populo commodum est, idq; legis uice est. Habet ecclesia supplicationes ferias & ieiunia sub legibus certis. Celebrat ecclesia certis temporibus certo loco & modo præscripto sacramenta, idq; secundum leges & ritum ecclesiæ receptum. Baptizat ecclesia infantes. A cœna dominica non remouet mulieres: idq; pro lege habet. Iudicat ecclesia per deputatos iudices in causis matrimonij, & habet in his leges certas. Atqui has omnes & his similes alias deducit ex scripturis & applicat pro ædificatione locis temporibus & hominibus: ut aliquam quidem in uarijs ecclesijs diuersitatem, nullam discordiam uidere liceat.

Ceterum habent leges ecclesiasticæ modum certum & metas certas, nimirum ne quid fiat aut recipiatur contra uerbum Dei aut alienum à uerbo Dei, contra charitatem & decorum, ne quid nimis



DE LEGE NATVRÆ ET HVMANÆ

*Superstitio  
sæ leges.*

*Traditio  
nes huma  
ne.*

*Epilogus.*

aut ne quid minus: deniq; ut per omnia ualeat hæc D. Apostoli regula, Omnia decenter, secundum ordinem & ad ædificationem ecclesie fiant. Proinde si quis superstitiosas operosas & indecoras hominum traditiones à scripturis quoq; alienas sub prætextu ecclesiasticarum legum proferens pijs obtrudere conatus fuerit, probabunt illi ad regulam uerbi Dei imposturam illam ac repellent.

Restant Traditiones humanæ, quæ sunt ab hominibus electiorne propria, ex intentione stulta aut alio ex affectu humano, contra aut citra scripturam diuinam natæ conditæ atq; inuentæ. Cuius quidem generis innumera inuenias exempla, sectas uidelicet, regnum & cælibatum spiritualiũ, ritus & consuetudines in ecclesia horum multifarias. De his omnibus simpliciter pronunciauit dominus in euangelio ex Isaiã propheta & dixit, Quare transgredimini præcepta Dei propter traditionẽ uestrã? Hypocritæ, recte uaticinans de uobis Isaias dixit, Appropinquat mihi populus, hic ore suo & labijs me honorat, cæterũ cor eorum procul adest à me: sed frustra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. Ad ea uero uerba alludens beatus Christi martyr Cyprianus epistolarũ lib. 1. epist. 3. Adulterũ est, ait, impium est, sacrilegũ est, quodcunq; humano furore instituitur, ut dispositio diuina uioletur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorũ ueluti cancrũ & pestem fugiendo uitate, præmonente domino & dicente, Cæci sunt & dures cæcorum. Nam & D. Paulus in epist. ad Titum, Redarguito illos seueriter, inquit, ut sani sint in fide non attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominũ, auersantium ueritatem. Studio omitto locum Pauli ad Coloss. 2. cap. quod is omnibus sit cognitissimus.

Nolo charitati uestræ operosiore & copiosiore expositione molestus esse. Pauca enim hæc de legibus naturæ & humanis, politicis inquam, ecclesiasticis & merè humanis traditionibus sufficere arbitror diligentibus & fidelibus, qui domum redeuntes singula apud se diligentius expendunt, lectis etiam scripturarum locis quos frequenter citamus ac religiose excussis. Dominus concedat nobis omnibus ne unquam admonitiones legis naturalis in animis nostris contemnamus, neue humanis traditionibus implicemur, sed in legibus politicis æquis & in ecclesiasticis legibus sanctis legitime ambulantes, seruiamus domino. Cui gloria honor & imperium in secula seculorum, Amen.

De lege

De Lege Diuina, ac duobus primis primæ tabulæ seu Decalogi præceptis.

SERMO II.



EX diuina ab ipso domino Deo nostro promulgata, *Lex Dei* quid faciamus aut omittamus præscribit, requirens obe- *quid.* dientiam, ac inobsequentibus interminans interitum. Diuiditur in legem Moralem Ceremonialem & Iudicialem, quantum istarum partium diligentissimus scriptor & expositor est Moses. *Moralis.* Moralis informat mores adeoq; uirtutum formas tra- *Moralis.* dit, demonstrans quantum à nobis Deus iustitiam sanctimoniam obedientiam & perfectionem requirat. Ceremoniales leges sunt, quæ *Ceremonialis.* præcipiunt de ritibus sacris seu ecclesiasticis, deniq; de personis & re- *Iudicialis.* bus ministrantibus & destinatis sacris. Leges autem Iudiciales præci- *Iudicialis.* piunt de rebus ciuilibus seu forensibus, de pace publica, æquitate & honestate. Et de his quidem postremis dicitur suo loco. De morali lege in præsentī differemus.

Nemo tamen putauerit nullam ante Mosen fuisse legem ac à Mo- *Fuit lex et* se primū proditam, Nam eadem illa Moralis legis capita quæ Mo- *tiam ante* ses exponit Decalogo, patribus ab ipso mundi initio fuerunt cog- *Mosen.* nita. Nam unum illum uerum Deum coluerunt unice pro Deo suo, hunc adorauerunt & inuocauerunt. Idola Syriaca Labani auferunt à sua familia Iacob & defodit in Bethel, subter quercum uel rebinthum quæ erat prope Sichem. Sacrosancta erat iurifurandi religio Abrahamo, unde consequens est sanctum & celebre ipsi fuisse nomen domini. Sacra celebrarunt patres sancti omnes & diligentissime & religiosissime. Cham maledictionem à patre accipit, quod irreuerenter sese gessisset erga patrem. Damnatur propter parricidium Cain. Sanguini parcere iubet Noe. Laudatur Ioseph quod respuit amplexus coniugis alienæ, nempe uxoris domini sui Vituperatur Ruben quod incestuoso concubitu polluisset thorum paternū. Irascitur non immerito Iacob Labano socero, quod ipsum furti suspectum habuisset. Mendaces & falsos testes damnauerunt omnes patres, quæ admodum & cupiditates prauas. Proinde non caruerunt ipsis Decalogi præceptis patres ab ipso mundi exordio, ad usq; Mosis tempora: interim non habuerunt illa tabulis incisæ aut membranis inscripta. Inscripta quidem illa dominus digito suo in corda ipsorum, eademque excolebat uia parum traditio uel doctrina. Eadem tamen est lex utrobique, eadem semper Dei uoluntas, quia unus modo Deus est, qui non mutatur. Sub Mose primum tamen illa sunt relata auctore & scriptore ipso Deo in tabulas, & scripta in libros per Mosen.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI I. ET II.

*Veteres ha  
buerunt ce  
remonas  
& iudicia.* Similiter nō caruerunt veteres & sancti ante Moſen patres cere  
monijs & iudicialibus. Habuerunt enim ſuos ſacerdotes, ipſos in  
quam patres familias, habuerunt ſua ſacra, ſuas aras & hoſtias, ha  
buerunt ſuos cœtus ſacros & ſuas purificationes. Habuerunt leges  
de hæreditatibus rerum, de diuiſione & poſſeſſione, de contracti  
bus, de puniendis ſontibus. Cæterum Moſes illa omnia in cer  
tas redegit leges: multa etiam diligentius expoſuit: multa inſi  
tuit quibus veteres uel caruerunt, uel paulò diuerſa ratione uſi  
ſunt. Cuius quidem generis ſunt Tabernaculum, Vaſa ſacra,  
Arca fœderis, Menſa, Candelabrum, Ara holocauſti & thymia  
matis, Sacerdotium Leuiticum, Veſtes ſacræ, Feriæ & Feſta: & ſi quid  
aliud eſt huius generis: quæ quidem omnia abrogantur per Chri  
ſtum, ſicuti ſuo loco dicemus. Mores quoniam conſtare nō poſſunt  
niſi ſaluo decalogo, ideo Moralis lex ut proprie legis nomen obti  
nuit, ita nunquam abrogatur. Eſt enim Decalogus uera & abſolu  
ta æternæq; ueræ iuſtitix & omnium uirtuū regula, omnibus præ  
ſcripta locis hominibus temporibus. Summa enim Decalogi eſt  
ut Deum diligamus & nos muruo: id quod ſemper ab omnibus u  
biq; hominib; requirit dñs. Porrò Decalogus ſignificat librū ſeu ex  
poſitionem & uolumen decem capitū præceptorum uel articuloꝝ

*Moralis  
lex perpe  
tua.*

*Decalogus*

*Maieſtas  
& dignitas  
Decalogi.*

Illud uero ſingulare habet Decalogus legis, quod Ceremonialia  
& Iudicialia omnia à Deo per angelos Moſi & per hunc populo  
Dei reuelata, & quod à Moſe, Deo iubente, conſcripta ſunt: decalo  
gus uero non ab homine neq; per hominem, ſed ab ipſo Deo opus  
mo maximo ad montem Sina inter prodigia maxima & ſtupenda  
in concione publica & maxima hominum & angelorum recitatur  
eſt. Idem nō manu Moſis, ſed digito Dei ſcriptus eſt in tabulas non  
cæreas ſed lapideas durabilesq;. Seruatæ ſunt illæ tabulæ tanquam  
theſaurus præſtantiffimus in Arca, quæ à tabulis fœderis (fœderis e  
nim æterni capita continebant) nomen indepta ac appellata eſt Ar  
ca fœderis. Repoſita eſt hæc in ipſum ſanctum ſanctorum. Quæ or  
mnia modis omnibus commendant nobis Decalogi præſtantiam,  
admonentq; ut illum Deum reueremur qui legem promulgauit,  
quippe qui dominus ſit cœli & terræ, elementisq; omnibus utatur  
pro ſua uoluntate contra rebelles ſuos: admonent præterea ut Deca  
logum uel hodie loco theſauri in mundo omnium præſtantiffimi  
habeamus. Diuinæ enim in eccleſia Chriſti reliquix ſunt Decalo  
gus, Symbolum apoſtolorum & Oratio dominica, adeoq; tota Bi  
blia De Decalogi promulgatione mirifica & copioſiora habemus  
apud Moſen Exodi 19. & Deu. 4. & 5. cap.

Dux autem sunt tabulæ diuinæ, in quas digesta sunt decem diuinae legis capita. Prior tabula continet capita quatuor, posterior sex. *le diuinae legis.* Nam ultimum mandatum quod nonnulli diuidunt in duo, reuera unicum & indiuisum est. Nam in genere primum præcipit dominus, Ne concupiscas, deinde per specierum enumerationem recenset quid non concupiscamus, nempe uxorem proximi, ædes eius, agros, iumenta & opes. Præterea unus est duntaxat uersus in Hebraica ueritate non duo diuisi. Cum nostra diuisione faciunt Iosephus lib. Antiq. 6. cap. 3. Origenes in Exodum Homelia 8. Ambrosius in 6. cap. epistolæ ad Ephesios, Porro Magister in sententijs ultimi mundatum dissecuit in duos, iccirco in primam tabulam tria duntaxat præcepta collocat. Sequutus est fortassis S. Augustinum qui quæstio. in Exodum 71. & epistola ad Ianuarium 119. etiam tria tantum primæ tabulæ præcepta numerat, idq; propter mysterium trinitatis. Idem tamen non omitit mandatum de non habendis colendisq; idolis, memor haud dubie illorum in euangelio uerborum domini, Amen dico uobis donec prætereat cæli & terra, iota unum aut apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis igitur soluerit unum ex mandatis illis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorum. Idem rursus in quæstionibus ueteris & noui testamenti libro primo cap. 7. ponit primæ tabulæ præcepta 4. secundæ sex. Nec multum ab ea sententia abluat lib. 3. ad Bonifacium, &c.

Diuisit autem dominus præcepta illa sua in duos ordines uel in duas tabulas propter rerum quæ tractantur differentiam. Prima enim *Quid con-* *ineat due* tabula pertinet ad Deum, secunda ad homines. Prima docet quid de Deo & cultu eius sentiamus, id est tradit pietatem, quomodo uidelicet pie uiuamus. Secunda docet quid debeamus proximo, id est tradit humanitatem, quomodo uidelicet tranquille humaniterq; uiuamus. In his autem continentur omnia officia uitæ, ut nihil omnino dici possit ab ullis totius mundi sapientibus de pietate & humanitate, quod non comprehendatur in Decalogo.

PRIMUM Decalogi præceptum hisce uerbis pronunciauit ipse *Præceptū* dominus, EGO DOMINVS DEVS TVVS, QUI EDV- *Dei 1.* XI. TE EX TERRA AEGYPTI, DE DOMO SERVI TVTIS: NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Duo habet membra hoc præceptum, Prius & ipsum uaria continet. Principio enim offert se nobis Deus et exponit nobis qualis sit erga homines imò qualis erga nos esse uelit. Vnde nos secundo loco colligimus quid uicissim a nobis requirat & quodnam sit offi-

cium nostrum. Tertio & ultimo loco appendit euentem demon-  
strationem eius quod dixit se esse Deum nostrum.

*Qualis De-  
us erga ho-  
mines.*

Ab initio pronunciat & dicit, Ego dominus deus tuus. Quibus  
uerbis exponit qualis sit qualisq; esse uelit erga omnes homines.  
Congruunt hæc uerba cum uerbis fœderis domini cum Abrahamo  
mo adeoq; omnibus credentibus isti, Ego, inquit dominus, sum  
Deus fortis & Schaddai, quasi tu dicas Saturnus à saurando. Est enim  
Deus copiarum cornu, qui exaturat omnes & omnia, fons inexhaus-  
tus & perennis bonorum omnium. Id quod & Ieremias copiosius  
enarrat in cap. 2. sermonum suorum. Et certè hæc omnia compre-  
hendit his paucis uocibus, Ego dominus Deus tuus. Ego inquam  
qui iam loquor tibi ex medio ignis. Ego & non alius. Significatur  
hic unitas Dei. Docemur hic unum agnoscere Deum, non plures,  
uni adherere, non corda pluribus diuidere. Ego dominus tuus, ego  
Deus tuus. Dominus est quia merum habet imperiū in omnes crea-  
turas, domino subiecta sunt omnia, domino obtemperant ad nu-  
tum omnia. Dominus omnia gubernat & sustinet. Est enim cœli &  
terræ & omniū quæ in eis sunt conditor, rector, conseruator, rex &  
princeps summus & maximus, Proinde in unica hac uoce compre-  
henditur Dei sapientia, uirtus, potestas, & maiestas immensa. Deus  
forte deriuatur à daij uoce Hebraica quæ sufficientiã significat. Solus  
enim Deus sufficit sibi ad beatitudinem et felicitatem plenissimã mo-  
disq; omnibus absolutissimã, præterea sufficit Deus omnibus requi-  
rētibus ipsum in ueritate, ditissimus in omnes inuocātes nomen ip-  
sius. Qua parte notatur dei omnisufficiētia, liberalitas, bonitas et mi-  
sericordia; maxime cū additur, Ego dominus deus tuus, Tuus inquam.  
Deus enim nõ sibi modo bonus est, sed nobis quoq;. Totū se cupit  
effundere cū omni sua bonitate cū omnibus suis dotibus in fideles.  
Nõ est parcus, nõ est malignus, gaudet distrahi & impartiri se nobis  
fruendū abūdantissime adq; facieratē iucundissimã, idq; omni tēpo-  
re, necessitatis maxime. Et significāter quidē T V V S ait, nõ uester, ut  
intelligamus singuli Deū æternū optimū beatissimū singulorū fore  
esseq; Deū & dominū, id est seruatorē, liberatorē, redemptorē, aceruū  
& mare bonorū omniū, animæ & corporis, presentii & futurorum.

*Quid exi-  
gat à nobis  
hoc præce-  
ptum.*

Ex istis colligimus secundo loco quid uicissim à nobis requi-  
rat dominus & quod nã sit nostrū officiū. Apertam relationem ero-  
nim habet Tuus. Si enim ille uult esse meus, ego uicissim debeo esse  
suus. Ille uult esse dominus, & est Deus meus, ego itaq; illū p̄ domi-  
no & Deo meo habere & uenerari debeo. Ideoq; requiritur hoc mōda-  
to à nobis ut non tantū Deū uerū p̄ Deo uero, sed pro Deo nostro p̄  
domino

dño, pro rege, pro conditore, pro seruatore & patre nostro agnosca-  
 mus, utq; illi suas tribuamus proprietates, quod unus est, solus bo-  
 norum omniũ fons & largitor, quod uiuus est, æternus, iustus, uerax,  
 beatus, felix, clemēs, potens, optimus max. Huic itaq; adhareamus,  
 huic obediamus in omnib. in illũ credamus, illũ inuocemus solum,  
 oia ad ipsum bona referentes, omnia bona ab ipso petentes, & pro  
 omnib. beneficijs gratias agētes, hũc adoremus, hũc colamus timo-  
 re sincero & dilectione ardētissima spe pertinacissima. Huc enĩ per-  
 tinent illa ex sancto Mose & euāgelio sentētiæ, Dñm Deũ tuũ adora-  
 bis & illi soli seruiēs. Et iterũ, Dñm Deũ uestrũ sequimini, illũ time-  
 te, illius præcepta custodite, illius uocē audite, illi seruite, & illi adha-  
 rete. Quid q; ipse dñs in Psal. clamat, Sacrifica Deo laudē, & persol-  
 ue altissimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, &c.

Deut. 10.

Psal. 50.

Iam uero demonstratio qua ostendit se fuisse esse & fore Deum et  
 dominũ omnium nostrũ & parum nostrorũ liberorumq; nos inle-  
 quentium, euidētissima est, nimirum liberatio ex Aegypto. Conti-  
 ner ea omnes uirtutes diuinas, sapientiam, bonitatem, iustitiam, ueri-  
 tatem, potentiam, & quid non? Declarat se esse dominum in celo et  
 in terra, in omnibus elementis, in omnibus creaturis. Liberat beni-  
 gne suos Israelitas, uetur, ornat uarijs muneribus, & seruat uel inui-  
 to & fremente toto regno Aegypti. Aegyptios autem uarie, horribi-  
 liter, sed iuste tamen punit, tandem & cum rege suo submergit in  
 mari rubro. Potuerunt Israelitæ ex hoc unico Dei factõ colligere  
 Deum, ut potentissimum esse, ita futurum ipsorum Deum, sicuti fu-  
 erat Deus patrum ipsorum. Facto enim declarauit qualis fuerit &  
 quantæ potentæ & bonitatis sit uel hodie omnibusq; in finem us-  
 que seculis. Nobis quidem recentior est liberatio quæ obtigit per Ie-  
 sum Christum dominũ nostrum, qui nos non ex Aegypto aliqua,  
 aut ex manibus Pharaonis asseruit, sed ex potestate tenebrarum pec-  
 cati mortis & diaboli liberauit. Vnde colligimus Deũ æternũ uerum  
 optimũ maximũ beatissimumq; ut potentissimũ, sic nostrũ esse Deũ,  
 & hunc nobis bene uelle, nos curare & amare. Iuxta illud apostoli,  
 Qui proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit il-  
 lũ, qui fieri posset ut non cum eodē omnia nobis donet. Equidē my-  
 steriũ redemptionis nostræ per Christũ dominũ nostrũ, comprehen-  
 sum est manifestissime in primo Decalogi præcepto. Nam clarũ est  
 liberationē populi Israelitici ex Aegypto, typum fuisse futuræ libera-  
 tionis totius orbis terrarum & omnium regnorum mundi per Chri-  
 stum dominum, qui totum orbem liberauit ex seruitute peccati &  
 diaboli. Quod si quis dubitãt, inspiciat ceremoniã siue sacramentũ

Demonstratio quod deus uerus deus noster est.

Mysterium Christi comprehensum est in primo præcepto.

huius corporalis liberationis, ipsum inquam Pascha. Quis uero nesciat agnum illum typum prætulisse Christo liberatori? An obscura est hæc Pauli uox, Pascha nostrum immolatus est Christus? An non omnes apostoli cum Ioanne baptista appellarunt dominū nostrum Dei agnum qui tollat peccata mundi? Præterea clara sunt Isaïæ propheta uerba in capite scilicet ubi diserte inter se confert liberationem Israelis ex Aegypto, & liberationem totius orbis ex seruitute peccati per Christum. Proinde continetur mysterium Christi domini & redemptionis nostræ in primo decalogi præcepto: ut iam recitantibus nobis uerba Dei, non tam uetus illa liberatio Israelis ex Aegypto, quam noua illa quæ obtigit per Christum, oculis & animis nostris obuersari debeat, excitareq; spem nostram, ne quid diffidamus Deū illum optimum maximum & fore & esse Deum nostrum.

*Prohibetur dij alieni.*

Posterius membrum primi præcepti uerat nobis ne quis nostrū habeat deos alienos, id est excludit extra Deum omnia præsidia uitæ, quæcunq; tandem præter Deum uel fingi uel eligi possunt. Ac utitur dominus uehementissimo loquendi genere. Nam dicit, Non habebis deos alienos coram me, En non habebis, & non habebis quidem coram me, uel ante faciem meā, uel mecum, uel apud me. Germanice, *Sü mir/oder nâhend mir. Oder sah michs nitt sâhen vor minen ougen.* Ita enim loquuntur irati patres, quando prohibent rem uehementer turpē & abominandā, Vide ne ante oculos meos, & me quidem spectante hoc facias. Atqui ubiq; adest Deus, omnia inspicit Deus, etiam corda & cordium abscondita. Proinde nullo pacto uel palam uel occulte habendi sunt nobis dij alieni: id est nemo nostrū habeat ullam creaturā siue ea in cælis siue terris sit pro Deo nostrū nemo nostrum tribuat creaturis proprietates Dei, eaq; quæ ex officio debemus Deo. Proprietates Dei sunt ubiq; esse, omnia uidere, omniscium & omnipotentem esse, uiuificare, liberare, à peccatis purgare, seruare uel saluare, iustificare, sanctificare, & si quæ alia huius generis sunt. Officia nostra sunt Deum adorare, inuocare, timere, colere, sperare in Deum, adherere Deo, audire Deum, credere Deo, obedire Deo.

*Alieni dij qui?*

Ideoq; alienus Deus erit quod proprie & naturaliter non est Deus, imò quicquid nobis præter Deum hunc uerum uiuum & æternum confingimus, cui confidimus, in quod speramus, quod inuocamus, quod amamus & metuimus, in quod animum nostrū intendentes defigimus, à quo dependemus, quod pro thesauro auxilio et præsidio nostro in prosperis & aduersis habemus agnoscimusq;. Dum Rahel à Iacobo sobolem postularet, audit, Num pro Deo tibi sum,

sum, qui reddidi te sterilem? Rursus cum Ioram rex Israeliticus à rege Syrorum Benhadad, per Naamanum accepisset literas, in quibus postulabatur purgatio lepræ, scidir uestes suas iratus atque exclamauit, Ego ne Deus sum, ut interficiam & rursus uitæ restituam? Solus ergo Deus sit Deus noster id est uita & salus nostra, auxilium, refugium, protectio, liberatio, spes, amor, terror & tremor noster. Si hæc tribuamus alijs & non soli Deo, alienos constituemus deos. Et alienum non raro dicitur quod non est institutum à Deo. Sic alienus ignis dicitur illatus esse tabernaculo, diuersus nimirum ab eo quem accendere iusserat dominus. Aliena dicitur mulier in Prouerbis, quam non concessit dominus. Alieni ergo dii sunt quos nobis ipsi fingimus, quos Deus nobis non constituit tutelares, à quibus pendentes auxilia poscimus. Proinde erūt alieni dii, diui ipsi, nunc quidem triumphantes cum rege Christo in cœlis, non ipsi quidem per se, sed nobis erunt dii alieni, qui perperam de ipsis iudicamus & honorem Deo debitum ipsis impendimus, colentes eos pro tutelariibus inuocantes. Erunt dii alieni ipsi diaboli & homines diabolici, si ipsis timorem Deo debitum, ita impendamus, ut hos præferamus Deo. Diu alieni erunt astra, planetæ signaq; cœlestia, si à mathematicis decepti, ab ipsis pependerit, respicientes in omnibus ad signa cœli, & totam uitam nostram dirigentes ad astrorum cursum. Ita si pecuniam, si homines diuino honore & amore prosequamur, erunt pecuniæ & homines nostri nobis dii alieni. Ad eundem modum damnatur in rege Asa 2. Paralip. 17. nimia fiducia in medicos. Herbarum ergo & medicum fiunt dii alieni. Damnantur Isaiæ 30. cap. Iudæi quod Aegyptijs confederatis nimium fiderent: fiunt ergo confederati dii alieni. Multo magis damnatur hic fœdera & pacta propter magicam cum dæmonibus facta. Damnantur benedictiones illæ quæ rectius dicerentur maledictiones, superstitiosi inquam exorcismi, in quibus præterea accusandus est abusus diuini nominis. Verum quis exacte omnia recenset, quæ fiunt contra hoc primum mandatum, quo uera traditur pietas, internus Dei cultus, ut agnoscamus Deum, credamus ei, recte sentiamus de eo, ipsum inuocemus, ipsi adhæreamus, ei in omnibus obediamus.

Secundū decalogi præceptum hoc est, **NON FACIES TIBI** *Præceptū*  
**SCULPTILE, NEQVE SIMILITVDINEM VLLAM** *Dei 2.*  
**EORVM QVAE IN COELIS SVNT SVRSVM, VEL**  
**IN TERRA DEORSVM, VEL IN AQVIS QVAE**  
**SVB TERRA SVNT: NON ADORABIS, NEQVE**  
**COLES. EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS FOR-**



TIS, ZELOTES, VISITANS INIQUITATEM PATRUM IN FILIIS IN TERTIAM ET QUARTAM GENERATIONEM, EORUM QUI ODERUNT ME, ET FACIENS MISERICORDIAM IN MILLIA HIS QUI DILIGUNT ME ET CVSTODIUNT PRÆCEPTA MEA. Primo præcepto internam religionem formavit tradiditq; dominus: secundo corrigit externā, Si recte iudicaremus de Deo seruiremusq; rite ac religiose præceptū primū, nihil opus fuerat præcepto secundo: sed quia nouit ingenia nostra dominus, ideo prohibet quod alioqui fueramus facturi. Videtur enim plerisq; Deū ex primendū esse imagine aliqua, & uenerandū corporali uisibilitq; cultu aliquo, oblati ipsi auro argento gemmis ebore ac rebus preciosis. Proinde finis generalis huius præcepti est retrahere nos à carnalibus imaginationibus & cultibus Dei, qui ut potentia est immensa & spiritus æternus, ita non potest ulla exprimi imagine corruptibili: spiritu & sanctitate uultu coli. Idolum uero seu simulachrum continet omnē externum cultū: ergo cum idola prohibentur, simul prohibetur omnis cultus Dei externus & peregrinus. Nam ubi idolum est, ibi basim ei oportet statuere, sedem collocare, aram exiungere, templum ædificare. Hæc protinus custodes, curatores, ministros seu sacerdores requirunt, hostias & oblationes, anathemata, ornamenta, ferias & sumptus atq; labores nunquam exantlandos & finiendos. Eo nomine prophetæ appellarunt simulachra labores & dolores. Nam semel receptis idolis, nullus est neque finis neq; modus sumptuum atq; laborum, Experientia id uerum esse docet.

*Finis huius  
præcepti  
retrahere à  
peregrinis  
cultibus.*

*Deus prohibet sculptile.*

Porro præceptū hoc secundum habet partes tres. Principio enim prohibet Deus facere sculptile uel simulachrum: hoc est Deus uetat sibi ullam cuiuscunq; tandem formæ aut materiæ sit, imaginem ponere aut consecrare. Nam ut Deus non uult, ita non potest representari ulla imagine. Species uero omnes ferè enumerat quibus solemus effigiare res. Non affinges Deo, ait, speciem aut formam earum rerum quæ supra nos sunt, in ipso cælo. Sunt autem in cælo corpora cælestia, ueluti sol, luna, planetæ, astra, ipsæ deniq; aues uariæ speciei. Sub quibus quidem speciebus ferè omnibus non pauci apud gentes Deum adorarunt & coluerūt. Nec affinges Deo speciem aut formā earum rerū, quæ sunt in terra. In terra sunt homines, animalia, herbæ, fructices, arbores, &c. Ac constat Gentes Deum ueneratas esse sub imagine hominū & animalū. Corn. Tacius de Germanis, Cæterū nec deos colibere parietibus, ait, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium arbitrantur, lucos ac nemora

nemora consecrant deorumq; nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia uident. En coluerūt maiores nostri Deum sub specie arborum uel syluarū. Quod tamen hic prohibetur hominibus, quemadmodum ne sub specie earum rerum, quæ in aquis aut sub aquis sunt effigiantes Deum nostrum ueneremur. Colucrunt Palæstini Deum sub imagine piscis. Dagon deus Palæstinus præ se ferebat piscis figurā. Aegyptus coluit serpentes. Imò Paulus hæc omnia cōprehendens ad Rom. 1. cap. contra Gentiles disputans, Obte-  
nerebratū est, inquit, insciens cor eorū: cum se crederēt sapientes, stulti facti sunt mutauerūtq; gloriā immortalis Dei, in imaginē non solum mortalis hominis, uerū etiā uolatilium & quadrupedum & reptilium. Contra hanc insaniam pugnat prima legis pars.

Cur autem Deus nolit ulla exprimi imagine sensibili aut uisibili, in promptu causa est. Deus spiritus est, Deus immensus est, incircumscriptibilis, ineffabilis, ubiq; præsens, cælum & terram implēs, æternus, uiuus & minificans atq; conseruans omnia, gloriæ & maiestatis supra cælos exaltatæ. Quis autem exprimat ulla uel imagine uel materia spiritum? Deus est immensa potentia omnia uiuificans atque conseruans. Sed imagines Dauid describit ac dicit, Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominū. Aures habent & non audiunt, nares habent & non odorantur. Manus habent nec palpant, pedes habent nec ambulant, neq; sonus ullus est in gutture eorū. Quid obsecro hæc cū Deo collata similitudinibus habent? Proinde uelle Deū exprimere simulachro uisibili est deū probro exponere facereq; cōtempibile. Dei oculus omnia uidet, idoli nihil uidet. Dei aures omnia audiūt, idoli nihil audiūt. Per Deū uiuunt & mouētur conseruanturq; omnia, Idola nec uiuunt nec mouentur, & nisi retineantur ab hominibus fabricantibus, concidunt & pereunt. Simulachrū non spirat. Deus dat omnibus haliū spiritū. Vbi ergo & in quo est similitudo? In materia ne an in forma? Si in materia, ergo Deus aureus argenteus ligneus? Si in forma, ergo inuisibilis uirtus caduca habet membra? Quid ergo peccarunt Anthropomorphitæ? Quod si nulla est similitudo, cur quæso dicuntur imagines aut simulachra Dei similitudines ac icones? Si quis nostrum alterum appellitet idolum aut simulachrum, uideatur magna affectisse contumelia. Scimus enim idola speciem falsam hominis referre, non hominem: proinde idolum appellamus hominem ineptū, fungū, torpidum, inertem & in quo nihil cerebri, qui nihil minus sit quam quod audit. Cur ergo posthac appellaremus simulachra, Dei similitudines? Deus uiuus est, simula-

Cur Deus  
nolit exprī  
mi imagine

chra sunt hominum mortuorum signa, sicut dicit author libri Sapientie. Deus gloriosus est, ac pleni sunt cœli & terra gloria maiestatis eius: simulachra uero carent omni gloria, & exposita sunt hominum probri & ludibrio. Simulachra absentium signa sunt. Deus autem semper & ubiq; præsens est. Ac signa quæ quondam instituit & dedit populo suo Deus, nō fuerunt simpliciter signa uel imagines dei, sed signa præsentie Dei, significantia Deum qui natura spiritus & inuisibilis est, incomprehensibilis & immensus, præsentem esse. Tale signum fuit nubes, fumus, ignis, ipsa deniq; arca fœderis, quam interim adoperiebant alis suis Cherubin, significantes in ipsam dei faciem neminem mortalium posse aspicere, animas ergo mentes & spiritum esse eleuandum contemplatione in cœlos. Nam Moses, qui tamen dicitur Deum à facie ad faciem aspexisse, audit, Nemo uidebit me ac uiuet. Vbi hinc soluerimus uidebimus eum sicuti est, ut ait beatus Ioannes. Hæc inquam causæ sunt cur nolit ulla materia ullæ forma se exprimi & effigiari dominus.

Huciam pertinent loca scripturæ & testimonia maximorum in religione ac pietate uera uirorum, Mosis, Isaïæ & Pauli. Moses in Deutero. Loquutus est uobis dominus, ait, de medio ignis: & quidē uocem uerborum audistis, at simulachrum nullum uidebatis; ultra uocem. Cauete ergo accurate quam chara uobis est anima uestra (quandoquidem nullum omnino eodem die simulachrū uidistis) ne forte corrupatis uos faciēdo scilicet uobis sculptile simulachrū cuiuscunq; figuræ, formam maris aut fœminæ, formam cuiuscunq; que animantis quod est in terra, formam cuiuscunq; uolucris uolantis sub cœlo, formam cuiuscunq; reptantis super terram, formam cuiuscunq; piscis qui est in aquis sub terra. Et ne forte attollas oculos tuos in cœlos, & uisis sole & luna stellisq; & exercitu cœlorū prostratis & adores colasq; ea quæ distribuit dominus Deus tuus omnibus populis sub uniuerso cœlo. Cauete ergo ne quando obliuiscamini fœderis domini Dei uestri, quod pepigit uobiscum, ita ut faciatis uobis sculptile aut simulachrum cuiuscunq; rei, quod prohibuit tibi dominus Deus tuus. Hæc Moses hæctenus.

Isaias uero in cap. 40 dicit, Ecce gentes (nimirum collatæ Deo) tanquam gutta sirulæ, & ut puluis adhærens bilanci reputantur. Ecce insulæ quasi puluis exiguus. Libanus non satis esset excirando igni, neq; feræ eius sufficerent holocausto. Omnes Gentes corā deo quasi nihil sunt, & res inanes atque friuolæ reputantur erga ipsum. Cui ergo similem facietis Deum? aut quodnam simulachrum adorabitis ei? simulachrum sudit artifex, & auri fusor diducit illud, & la-  
minis

minis argēis obducit. Qui opibus destitutus est, ut & ipse offerat, eligit imputrescibile lignum, & querit sibi artificem peritum, qui sculpsibile præparat, ne moueatur loco. An hæc ignoratis? an non illa audistis? Et mox, Qui sedet super globum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ. Qui extendit cælos ut cortinam ac uelut tentorium ad habitandum. Qui redigit potentes in nihilum, & redigit iudices terræ ad nihilum. Cui ergo me assimilabitis, aut cui similis ero, ait sanctus? Attollite in sublime oculos uestros & contemplamini quis creauerit ista, producens in numero exercitum eorum, singula suis nominibus uocans. Et cætera. Tantum enim Isaias.

Paulus uero apostolus Christi apud Athenienses disserens de uera religione dicit, Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit dominus, non in manufactis templis habitata, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo: cum ipse det omnibus uitam & halitum per omnia, fecitq; ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ, præfinitq; præstituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorum, ut quærerēt Deum, si forte palpent eum & inueniant, quamuis non longe absit ab unoquoque nostrum. Per ipsum enim uiuimus mouemur & sumus: sicut & quidam uestratum poetarum dixerunt, Nam huius progenies etiam sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi arte sculpro & inuento hominis numen esse simile. Hæc testimonia tam sunt illustra & simplicia illustrantia institutum nostrum, ut nihil necesse sit expositionis gratia quicquam adijcere amplius. Proinde maximis ex causis iudicauit beatus Augustinus magnum esse sacrilegium si quis in templo ponat Dei patris imaginem flexis poplitibus in solio sedentem. Nepharium enim esse si quis tale in animo suo concipiat. Verba authoris recensui sermone 8. Decadis primæ ubi disserui de Dextera patris, docens quid sit sedere ad dexteram patris.

Iam uero quod alias attinet imagines, quas homines erigunt creaturis siue dijs, nõ minus hæc, quam Dei icones prohibita sunt. Si enim Deo uero non licet consecrare statuam, minus licebit alieno deo statuere imaginem. Animus hominis deligit sibi Deum, mox imaginatione affigit ei speciem aliquã, postremo manibus perficit: ut uere dictum sit mentem concipere idolum, manum uero parere. Atqui prohibuit primo præcepto dominus ne habeamus deos alienos. Qui uero deos alienos non habet aut sibi deligit, nullas certe ijs affigit imagines, nullas itaq; ponit statuas. Nam nephas esse ducit Deo uero constituere imaginem, impium esse credit sibi deligere

Acto. 17.

Prohibita  
& aliæ ima-  
gines ad  
cultum.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI I. ET II.

deum alienum, ergo & dei alieni figuram in templo Dei erigere. Ea de causa non legis in ueteri ecclesia ullas imagines ullis diuis, quorum tum magna erat copia (patriarcharum, iudicum, regum, sacerdotum, prophetarum & martyrum, matronarū & uiduarum agmina puto) esse positas. Ecclesia item Christi apostolorum primitiua nullas habuit imagines uel Christi uel duorum in oratorijs uel templis suis. Nouissimum est S. Epiphaniij factum in Syria designatum Anablachæ, descriptum Græce in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum episcopum, & in Latinum sermonem conuersum à S. Hieronymo. Scidit ille uelum pendens in templo imaginem Christi uel sancti alicuius exhibens, testificatus contra Christianam religionem in templo Dei hominis pendere imaginem. Nam D. Augustinus in Catalogo hæreseōrum commemorat etiam Marcellam quandam fuisse sociam sectæ Carpocratianæ, quæ imagines Iesu, Pauli, Homeri & Pythagoræ coluerit, adorādo incensumq; ponendo. Verre ergo & prudēter in ueterū ecclesiasticorū scriptorum lucubrationibus probe uersatus Eras Rotero. ubi multa de Usu imaginū in templis disseruissere acute, tandem subiiciens dixit, *Ve imagines sint in templis, nulla præcipit uel humana constituitio.* Et ut facilius ita uis ut nec modus præteratur nec admisceatur superstitio. Iam ut animus sit ab omni superstitutione purus, tamen non caret superstitiosis specie, orantem ad ligneum simulachrum procumbere, in hoc intentos habere oculos, ad hoc uerba facere, huic oscula figere, nec orare profus nisi coram imagine illud addam, *Quicumq; sibi aliud modi fingunt Deum quā est, contra præceptum hoc colunt scilicet ptilia.* Et idem in eadem sua Catechesi, Usq; ad ætatem Hieronymi erant probatæ religionis uiri, qui in templis nullam ferebāt imaginem, neq; pictā, neq; sculptam, nec textam, ac ne Christi quidem, ut opinor propter Anthropomorphitas. Paulatim autē imaginum usus irrepfit in templa. Hæc ille.

*Christo domino & Deo uero nostro propter assumptam naturam humanam non ponendum est simulachrum. Nam non in hunc finem assumpsit hominem. Præterea humanam naturam subuexit in cælum, iubens orantes in cælum & animi & corporis oculos atollere, Spiritum suum uim uicariam misit ecclesiæ, ac regnum in hac habet spirituale, non egens ullis rebus corporalibus. Iussit enim pauperibus non imaginibus suis conferre si quid in ipsam eramus collaturi. Iam cum citra contrarietatem Christus noster sit Deus uerus: & Deus uerus prohibeat sibi consecrare hominis imaginem ad est*

*Christo domino  
natura nulla  
ponenda  
imago.*

Id est Deum repræsentare humana specie, cōsequēs est quod Christo nulla sit consecranda imago, quia est Deus uerus & uita æterna.

Secunda parte huius præcepti docetur quatenus non liceat face- *Quatenus*  
re imagines Dei & deorum, & si quis fecerit quomodo nos gera- *nō liceat fa*  
mus. Simulachra non sunt facienda ad cultum aut ut sint religionis *bricarcima*  
instrumenta. Quod si quis illa fecerit & religioni miscuerit, pijs Dei *gines.*

cultoribus contemnenda & negligenda, neq; adoranda neq; colen- *Adorare.*  
da sunt, nulloq; modo ijs seruiendum est. Duo autem in præcepto  
ponuntur obseruanda, Prius, Non adorabis. Adorare est caput nu-

dare, geniculari seu flectere aut inclinare caput uel corpus, procum-  
bere, honorem exhibere, & uenerari reuereriq;. Adorarunt (id est  
genu flexerunt, caput nudarūt, & procubuerūt sancti) magistratus  
& prophetas principes & doctores populi uirosq; uenerabiles.  
Quia Deus hoc præcepit, qui & operatur per illos saluem homi-  
num: & homines sunt uiua Dei imago. At idola muta, cæca, surda,  
lignum & lapides sunt, quæ adorare prohibemur, etiam cum spe- *Seruire.*  
ciem Dei præ se ferunt. Posterius est, Neq; coles, siue Non seruias eis.

Et membro prohibetur omnis externus & illegitimus cultus, qui  
exhibetur Deo uel dijs religione id est superstitione & cultu templo-  
rum sacrorum feriarum omniumq; rerum similium. Seruire enim  
est colere, uenerari, maiestatem aliquam & diuinum aliquid ei quod  
colimus tribuere, magni pendere, incensum ponere, donaria affer-  
re, præstareq; seruitia. Notum est omnibus quid sit seruire, & seruire  
in negotio religionis. Prohibemur ergo cursitare ad idola etiam dei.

Prohibemur illis seruire, donando eis munera aut tribuendo eis ali-  
quid diuini, unde eis obstringamur quo retineamus dignemurue  
ullo honore, miscentes ea rebus religionis nostræ sanctissimæ. Er-  
go non uideo cum cultum latræ imaginibus minime tribuamus, *Simula-*  
quomodo his quod spiritus Dei ac uerbi Dei officium ac benefici- *chra nō de*  
um est, tribuere possimus, munus docendi admonendi adhortan- *cent.*

diq; cum clarissimus & apostolico testimonio commendatissimus  
propheta Abacuk scriptum nobis reliquerit hæc diuinissima cerre  
uerba, Quid prodest sculpsile, quia sculpsit illud fictor suus, fufile  
quod annunciat mendacium: & tamen fiduciam habet in eo, fictor  
scilicet in figmento suo, ut faceret simulachra muta. Væ qui dicit li-  
gno, euigila: & lapidi insensibili, excitare. Ipse ne doceret? Ecce oper-  
tus est auro & argento, & nō est ullus spiritus in eo. At dominus in  
templo sanctitatis suæ: taceat à conspectu eius uniuersa terra. Quid  
poterat dici clarius simul & uerius? simulachra sunt mendacia.  
Quomodo autem doceat ueritatem quod manifeste est mendaciū?

DE PRÆCEPTIS DECALOGI I. ET II.

Nullus est motus, nulla uita, nullus spiritus in pictura & in imaginibus. Dominus autem sedet in templo sanctitatis suæ regnans & docens spiritu & uerbo suo omnem pietatem uiuentis in cordibus sanctorum suorum. Taceant ergo omnes omnium in orbe terrarum linguæ uolentium tueri idololatriam.

*Nulla causa ob quam deos alios nos nobis deligamus*

Tertia parte præcepti rursus agit dominus uaria. Principio enim ostendit homines non habere causam iustam ullam, ob quam auerſi à Deo alienos sibi deos deligant aut Deum illegitimo cultu uenerentur. Ego, inquit, sum dominus Deus tuus fortis. Si dominus sum merito mihi seruis, me colis, mihi obedis, & ita me colis sicuti colis uelle & delectari intelligis. Si Deus sum, omnisufficientia sum: ergo quid desideres quod in me non inuenias? Cur ergo ad alienos diuertas? Nullam certe causam diuertendi habes. Præterea fortis sum, potentis, imò omnipotens. Non est quod tibi quæras potentiorum & opulentiorum principem, cuius manu libereris ex meis manibus, aut cuius munificentia abundantius locupleteris, quam ex meis opibus facultatibusque. Ego enim sum uerus ille æternus inuictus omnipotens princeps orbis, uerus & unicus auxiliator & liberator, liberalis & munificus omnium bonorum largitor. Sum autem tuus dominus, tuus Deus. Mea illa bona, tua sunt. Nam ego tuus sum: ergo et contra omnia mala auxiliator & liberator tuus sum. Meus es. Ego te creauit. In te uiuo, te conseruo. Quid ergo diuerteres ad alienum, quid tibi opus erit posthac ullis idolis? Templum Dei es. An non sentis me inhabitare cor tuum? Quid oro templo Dei negotij cum simulacris?

*Deus eos fortis impatientis.*

Deinde addit minas ut iustissimas ita squissimas, Ego, inquit, sum Deus Zelotes. Id quod duplici, sed non contrario sibi sensu, exponere licet. Vel enim tale quid dicit, Nolo alios tibi quæras deos, aut illegitimos cultus recipias. Causa, Sum Deus zelotes, æmulator inquam, consortis impatientissimus, imò qui corrualem nullo modo ferat. Solus diligi & coli uolo, nec alio modo, quam eo, quem ipse præscripsi. Nam nemo ignorat Deum in sacris literis coniunctione & uinculum quo fide religamur Deo (unde & religionis nomen est) adumbrare per parabolam humani cõiugij. Deus enim est maritus & sponsus noster: nos sumus eius uxor uel sponsa. Casta uxor & fidelis, solius mariti uocem audit, solum amat, soli obedit, post maritum non desiderat ullos alios uiros. Impudica autem & perfida, adultera & meretrix potius quam uxor, adhæret quidem uiro suo, sed sui copiam etiam alijs facit, alios quoque amat, & ferè ardentius quam maritum proprium. Atqui Deus est zelotypus, qui uult solus & circa

*confortis*

confortem amari & coli. Adulterium & scortatio spiritualis est, quod  
 ties homines diligunt quidem & colunt Deum, sed simul etiam ue-  
 nerantur deos alienos. Contra hoc perfidum nephas impatientissimis  
 & plane tragicis uocibus conclamant omnes prophetae. Est enim  
 scelus longe nephandissimum, Vnam uero non habeatur hodie  
 a multis pro cultu Dei gratissimo. Vel certe tale quid dixit dominus, *Deus ultor*  
 lo alios tibi queras deos: nolo ipse tibi comminiscaris cultum. *& uindex.*  
 Sum Deus Zelotes, nimirum irritabilis, qui non patior impune praeteri-  
 ri me meaque legitima. Atque ad hunc sensum porro exponit multis  
 quomodo sit zelotes, uisitans utique iniquitatem patrum in filiis, in ter-  
 tiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me. Deus ergo  
 uindex est severissimus & ultor iustissimus contra eos primum qui ali-  
 enos sequuntur deos, prohibitisque cultibus Deo seruiunt, deinde con-  
 tra omnes qui praeruaricantur legem Dei. Nam praecipue quidem  
 minatur idololatriae poenam grauissimam, simul autem & illis mi-  
 natur, qui uiolant leges Dei alias quoque. Generale est enim quod hic  
 profert dominus ualens contra omnem impietatem & contra omnem  
 iniustitiam hominum. Quia tamen humanis diuina longe praestant,  
 grauius peccant, qui contra primam tabulam, quam qui contra se-  
 cundam peccant: sed & grauioribus sese poenis aut suppliciis subiiciunt.

Ceterum dicit dominus iniquitatem patrum se uisitaturum aut  
 inquisitionem in filiis in tertiam & quartam generationem: non quod  
 iniustus sit Deus & puniat alienum peccatum in innocentibus, hoc  
 est in iis qui peccatum non commiserunt: sicuti impie calumniabatur  
 Deum in Ezechiele Iudaei, hoc proferentes dixerunt, Patres comederunt  
 uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Non ita ha-  
 beret. Quisque enim suum portabit peccatum, nec filius patris, nec  
 pater filij iniquitatem feret dependetque. Ita sane constanter docet apud  
 Ezechielem & in tota scriptura ueracissimus Deus. Proinde si  
 liberi aut nepotes uestigijs patrum obliquis insistant, ac ipsi sicuti &  
 patres eorum idolis seruiant: iccirco autem se securos impunesque  
 futuros arbitrentur, quod idololatriam acceperunt a maioribus,  
 quod maiores licet fuerint idololatrae, bona tamen usi sint fortuna:  
 tunc inquam iniquitatem patrum in filiis castigabo, id est peccatum  
 hoc quod a patribus didicerunt filij & iam pertinaciter propter ex-  
 emplum & bonam fortunam patrum exercent, puniam grauissimam  
 me, etiam si in patribus non puniuerim. Ideoque significanter appen-  
 ditur, Eorum qui oderunt me. Exempla plurima eaque pulcherrima  
 suppeditabunt libri Regum. Ieroboam enim domus funditus est  
 excisa, eo quod Ieroboam & idololatriam & peregrinos cultus cre-

*Quomodo  
 patrum pec-  
 cata uisitet  
 Deus in se-  
 culis.*

*Ezech. 28.*

*Ierem. 44.*



DE PRAECEPTIS DECALOGI I. ET II.

xit in Israele. Mox interit etiam tota familia Baasa regis: ita radicitus euellitur domus Achab. Tandem captiui abducuntur Israelitae in Assyriorum regna, Solomon rex Iuda potentissimus opulentissimus & sapientissimus felicissimusque, propter idololatriam & peregrinos cultus repente fit miserimus. Quid acciderit filio eius Roboam, Ioram quoque filio Iosaphat, Ahas, Manassi Iehoiachimo & Zedechiae propter idololatriam & peregrinos cultus, nemo ignorat, nisi qui sacras historias nescit. Teneamus ergo firmiter minas Dei esse ueras, Deum esse uindicem & ultorem in idololatrias & impios supersticiososque homines, denique contra scelera hominum uniuersa, ut fauerissimum, ita iustissimum, Licet uideatur Deus aliquando dormire hominibus impijs, euigilat tamen iusto tempore, & respondit impijs semper pro sua impietate. Longanimis non negligit pios & oppressos, non fauet impietati & fouet impios iustus dominus: sed spacium concedit poenitentiae, quod quicumque negligunt, grauiore tandem sentiunt poenitentiam: iuxta illud apostoli, An diuitias bonitatis tolerantiae & lenitatis Dei contemnis, ignorans quod bonitas Dei te inuitat ad poenitentiam: Sed iuxta duritiam tuam & cor poenitere nesciunt colligis tibi ipsi iram in die irae, quo patebit iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuique iuxta facta sua, &c.

*Longanimitas Dei.*

*Amplissima promissio fit pijs Dei cultoribus.*

Rursus promittit maximam quaeque suis cultoribus & perseverantibus in uera pietate religionemque munificus dominus, Deus sum, inquit, faciens misericordiam, seu beneficentiam praestans in millia. Qua parte excellere uideretur. Animaduertit enim iratus in tertiam & quartam generationem: sed beneficus est in multa millia. Bonitatis enim beneficiorumque eius nullus modus, nullus finis: & misericordia domini super omnia opera eius. Hic tamen rursus duo appendit. His qui diligunt me & custodiunt praeccepta mea. Duo inquam requirit a suis. Primum ut diligant Deum & hunc habeant pro Deo suo: quod cum fit, nullus erit in pijs deus alienus. Secundum ut obediant Deo, ambulent in praecceptis Dei: quod cum fit, conciderunt omnia idola cum cultibus peregrinis, & regnat solus Deus per uerbum suum in animo religiosi hominis, quem omni benedictione impiguar benignus dominus. Et hoc quidem membrum pertinet praecipue ad praesens mandatū, sed simul etiam ad alia omnia, ut ex ipsis uerbis Dei colligere licet. Teneamus ergo ambulantes in lege domini parata esse immensa Dei praemia.

Hæc habui in duo illa Decalogi seu primæ tabulae mandata: quæ iam non licet recolligere, cum & sesquihora lapsa sit, ac sperem me singula in eum redegisse ordinem, & tam perspicue ac simpliciter iræ

ter tradidisse, ut omnia sint uobis & perspectissima & presentissima in animis uestris. Laudemus iam dominum, & agamus gratias bonitati eius, qua ostendit nobis uias suas, orantes ut in his recta incedentes, perueniamus ad cœlestia gaudia, Amen.

De tertio primæ tabulæ seu decalogi præcepto: de Iururando.

## SERMO III.



**I**ERTIVM mandatum primæ tabulæ siue decalogi ad uerbum sic habet, NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI TVI IN VANVM. QVONI-  
 AM NEVTIQVAM IMPVNITVM DIMIT-  
 TET DOMINVS EVM, QVI ASSVMPSERIT NO-  
 MEN DOMINI DEI SVI FRVSTRA. Exposuit dominus  
 mandato secundo quem nolit auerferur ac prohibeat cultum, mun-  
 danum uidelicet carnalem & terrenum, protritum & uulgarem il-  
 lum cum spiritu & diuina natura atq; maiestate pugnantem per o-  
 mnia & ex diametro, nempe Deum uelle assimilare specie hominis  
 aut alterius creaturæ, ex materia terrena & corruptibili, & eundem  
 deinceps sub illis speciebus colere rebus corruptibilibus usui & con-  
 seruationi hominū institutis. Deus enim spiritus est æternus omnia  
 permeans atq; omnia conseruās, quæ totius mundi creaturæ, & præ-  
 stantissimæ quidem illæ, simul coniuncte, non possunt referre, imò  
 ne minimū quidē in Deo assimilare atq; exprimere. Non eget Deus  
 ullis rebus corruptibilibus: nobis potius sufficit omnia. Stultum est  
 ergo datori luminis uelle lumen & cœrēū quidem illud aut fuman-  
 tem rēdam incendere. Stultū est pecuinas carnes offerre spiritui æter-  
 no, qui in Psalmis dicit, Meæ sunt omnes feræ sylvarum, pecudes in  
 mille montibus. Noui cūctas in montibus uolucres, penes me sunt  
 animantes agrestes. Si esuriero non est ut tibi indicem, cum meus sit  
 orbis & quicquid ille continet. Iam itaq; præcepto tertio diligentissi-  
 me describit dominus, licet utatur paucis uerbis, quomodo coli ue-  
 lit, nimirum sanctificatione nominis diuini. Nomen Dei ipse Deus  
 est, Dei maiestas, ueritas, potentia, iustitia. Præcipitur ne nomine di-  
 uino abutatur, ne usurpemus hoc ad res inanes & leues: sed sen-  
 tiamus loquamur & iudicemus de Deo & rebus diuinis magnifice  
 reuerenter sancte & pure. Pondus autem habet quod dicit, Nomen  
 domini Dei tui, supremi uidelicet boni crea- oris, assertoris & patris  
 tui. Cæterū non uetat simpliciter Dominus usurpare nomē suū, sed  
 ne utatur ipso in uanū uane uel frustra, id est circa usum salutarē ac

Præceptū  
Dei 3.

Nomē dei.

Frustra.

DE PRÆCEPTO DECALOGI III.

necessarium, citra honorem & gloriam Dei. Videamus ergo quomodo sanctificemus nomen domini, & quomodo religiose usurpemus nomen Dei, adeoque legitime ipsum Deum colamus.

Quomodo  
sanctificemus  
nomen  
domini.

Principio sentiendum est de Deo ueluti de summo bono & thesauro bonorum inexhausto, cuius uoluntas erga nos bona fit & plane paterna, utpote qui uelit & cupiat homines saluos fieri & ad cognitionem ueritatis uenire: cuius iudicia omnia æqua sunt & iusta, cuius opera præstantissima, cuius uerba ueracissima. Deinde inuocandum est hoc nomen domini sanctum in omnibus uocis & necessitatibus. Petenda ab ipso solo quæcunque animæ & corpori necessaria sunt. Agendæ semper gratiæ pro exhibitis beneficijs. Quicquid enim bonorum homines accipiunt & habent, nõ ex alio fonte quam diuino hauriunt. Hæc gloria semper Deo danda est. Si premitur aduersis, ne obmurmuremus bonæ Dei uoluntati & iustissimis eius iudicijs, patientes potius & humiliati sub manu potenti & paterna, cum Dauide clamemus, Bonum est mihi domine quod humiliaueris me. Neque præscribamus hic Deo quicquam, sed subiiciamus nos totos & semper bonæ sanctæ & iustæ eius uoluntati. Demus item Deo gloriam in omnibus, confitentes nomen & doctrinam eius coram regibus & principibus imò coram omnibus mundi hominibus, quouies uidelicet res & gloria Dei exposcit. Ne pudeat nos Dei patris nostri ueritatis eius & ueræ religionis. Ne pudeat nos Christi redemptoris & crucis eius. Pudeat errorum idololatricæ, mundi, uanitatis, mendaciorum & iniquitatis. Loquamur item & sentiamus de operibus & uerbis Dei sancte honorifice & religiose. Sancta sit nobis lex Dei, sacrosanctum sit nobis euangelium, sanctissima sit nobis doctrina patriarcharum prophetarum & apostolorum. Nunquam accipiamus nomen domini Dei nostri in os nostrum, nisi magna sit causa: ne blasphememus, ne excremur aut mentiamur sub nomine Dei: ne abutamur nomine & uerbo Dei ad res magicas ad circulatoriam ad incantamentam. His enim maxime prophanatur nomen Dei. Seruemus etiam sanctissime quæ iurauimus per nomen æterni Dei. Simus ueraces & fideles in omnibus, ut hic cæcus mundus uidens in nobis tantam nominis Dei reuerentiam & sanctificationem, glorificet patrem nostrum qui est in cælis. Atque hic erit religiosus usus diuini nominis, & beneplacens Deo

Quomodo  
abutamur  
nomine di-  
uino.

cultus. Abutimur uero nomine Dei uarie, & initio quidem dum corda nostra nulla imbuta sunt reuerentia erga ipsum Deum, quando de Deo de iudicijs Dei de uerbis & legibus Dei irreuerenter petulantur im-

ter impie & blasphemè loquimur: quando uerba domini rebus leuibus & nihili scurriliter applicamus, scripturas in prophanū et impudicum sensum conuertimus abripiimusq;. Deinde prophanamus nomen domini Dei nostri, quando non inuocamus nomen domini, sed conuertimur potius ad deos, nescio quos, ad hominum artes & præsidia, ad res prohibitas, ad idola, ad magicas artes. Id quod tunc maxime fieri solet quando malis, propter peccata nostra uel ut probemur à domino, inuoluti, obmurmuramus Deo accusamusq; eius iudicia, impatientissime nec sine blasphemia perferentes quod merito nostro maximo patimur. Huc pertinet quod impuri homines sanctissimo Dei nomine utuntur ad conciliandos amores turpes, item ad res perditas furtiue sublatas rursus recuperandas & indagandas. Prophanamus nomen domini Dei nostri quando non omnem gloriam Deo tribuimus. Perfectum est per nos aliquid boni operis, est in nobis aliquid laude dignum: id si nobis arrogemus uel saltem decidamus nobis partem aliquam, reliquum Deo conferentes, non autem in solidum omnia bona referētes ad authorem omnis boni Deum, polluimus nomen Dei: quod solum consistendum & laudandum est in secula. Præterea si negemus dominum & pudeat nos doctrinæ euangelicæ, idq; propter scelestissimum hunc mundum & immundissimos huius sæculi homines: si turpi aut impura uita polluamur, quod cedit in ignominiam nominis Dei & scandalum proximi, certe usurpauimus nomen domini in uanum imò ad dedecus & opprobrium. Abutimur præterea nomine Dei eiam in solenni iuramento, uel cum iuramus ob res leues, uel iurata non præstamus seruamusq;. In colloquijs quotidianis frequenter & quaslibet fere ob res prophanas uocamus & obtestamur tremendum nomen Dei, uel assuetudine mala sic docti, uel animi commotione excitati: addimus deierationes alias innumeras, uulnera, crucem, passionem domini, ipsum cælum terramq;, sacramenta, diuos, superos & inferos uocantes. Porro mentiendo uarie prophanatur nomen domini. Mentitur in negotio religionis concionator & doctor ecclesiæ, quando clamat, Sic dixit dominus, cum dominus nihil tale loquutus sit. Prætexit hic suæ imposturæ nomen Dei, & sub nomine Dei decipit simplices. Clamat magistratus, omnis potestas est à Deo, & prætextu diuini nominis uim facit subditis, tyrannum agens non magistratum. Populus sub nomine domini decipit in contractibus & stipulationibus. Quid quod mendicus ualidus & beneficiæ indignus nomen Dei habet in quæstu? Sed quis omnes prophanationis diuini nominis species enumeret? Cauendum no

DE PRAECEPTO DECALOGI III.

bis omnibus ne prophanemus nomen Dei, sed sanctificemus potius & sancte colamus.

*Pœna ab utentium nomine Dei* Sequitur enim in uerbis domini quænam pœna maneat prophetares diuini nominis, Quoniam neutiquam, inquit, impunitum dimittet dominus eum, qui assumpserit nomē Dei sui frustra. Et quamquam hæc comminatio Dei certe horribilis & per se satis efficax sit deterrendi pios à prophanatione diuini nominis, adijciam tamē his unum & alterum exemplum supplicij sumpti per Deum à temerariis diuini nominis. Clamat Dauid, Non persistent iniusti ante oculos tuos domine: odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendaciū. Quanto uero similis est dominū perditurum omnes qui loquuntur blasphemiam, & abutuntur sanctissimo Dei nomine? Saul certe quia in extrema sua necessitate dominū non inuocauit, sed pythoniſſam conſuluit, propria manu conſciuit ſibi ipſi necē, ubi prius uidiſſet populū ſuū cædi à Paſtiniſ, atq; in populo quoq; proprios occumbere filios. Merritur Ananias ſpiritu ſancto prophanatq; nomen domini ac repentina morte colapſus, ſumma cū ignominia migrat ad inferos. Sanherib ante mœnia Hieroſolymorum blaſphemat nomen Dei æterni, ſed mox impenſo exiit exercitu, deinde ſagittis conſigitur in templo Dei ſui à proprijs ſuis filijs. Jehoiachim cum Zedechia reges Iuda nomen domini prophanant, unde capiuntur & cæduntur à Nabuchodonofore rege Babylonio. Achab Ieſebel & ſacerdotes Baalis funditus extirpantur à Iehu rege, quia ſub prætextu Dei & religionis ueræ nomen Dei blaſphemarunt & perſequuti ſunt. Leuit. 24. lapidibus obruitur qui blaſphemauerat nomen domini.

*Pœna ab imperatore contra blaſphemos detenta.* Ideoq; Iuſtinianus imperator in Nouellis Conſtit. 77. Conſtantinopolitanis ciuibus ſcribens, Inſuper, inquit, quia ſupra infandas libidines quidam execrabilia etiam uerba & iuramenta de Deo proferunt, Deum prouocantes ad iracundiam, adhortamur hos ut tam execrabilibus uerbis, & item per capillum & caput adiurationibus, & id genus uerbis alijs abſtineant. Nam ſi conuicia hominibus inſeſta ſaltem inulta nō relinquuntur, multo magis qui diuinum nomen conuictis inceſſit, dignus eſt qui ſupplicium ſuſtineat. Et propter huiusmodi delicta & fames & terræmotus & peſtilentiæ oboriuntur. Admonemus ergo ut abſtineant à ſcleribus illis: quod ſi poſt hanc noſtram admonitionem in illis deprehendantur ſcleribus, principio quidem indignos ſeſe præbunt Dei erga homines amore, deinde legitimas etiam ſuſtinebunt pœnas. Dedimus enim glorioſiſſimo regiæ urbis Præfecto negotium ut reos comprehenderet.

at, & ultimo submitat supplicio: ne quando ex talium peccatorum contemptu, per tam impia facinora tam hæc urbs quam tota respublica à diuina opprimatur uindicta. Hæc ille. Colligimus ex his non minimam calamitatum nostri seculi portionem deberi nephandis execrationibus & blasphemijs quas pauci aut nulli ferè magistratus cohercent ac pro merito puniunt. Blasphematur nomen Dei benedictum secula, omnium ordinum sexuum & ætatum exquisitis & execrandis detestationibus, adeo ut putem nullum à mundi exordio tam blasphemum fuisse populum quam est seculum hoc nostrum maledictum. Ideoq; infandis & nunquam terminandis premimur calamitatibus. Nam uerax est Deus, qui dicit non impune laturos si qui nomen domini in uanum usurpauerint. Isti non modo frustra assumunt, sed maliciose & blaspheme conspurcant. Vniã uero synacerius promoueant cultum Dei in populo magistratus: aut si hoc ab eis impetrari non potest, saltem Caiapha ne peiores & impietiores sint, qui cum audisset, uti ipse putabat, diuini nominis blasphemiam, dirupit uestem & clamabat blasphemum commeruisse mortem. Nisi enim seueriores fuerint contra blasphemos Christiani magistratus, non uideo quomodo non sint sceleratiores ipso impio nebulone Caiapha. Certe uerax est dominus (id quod singuli uestrum altissimis reponetis animis) qui certo puniet in omnibus hominibus sui nominis prophanationem, magis autem blasphemiam.

Exigit hic locus ut non nihil dicamus de Iuramento siue Iureiurando. *De Iureiurando.* quod fit sub inuocatione & obtestatione diuini nominis. Multa uero in tractatione huius negotij ueniunt consideranda & expendenda. Video enim primum dubitari à quibusdam iurare licet, *An iurare liceat.* at an non liceat: eò quod apud Mathæum dixerit dominus, Audistis dictum antiquis, Non peierabis, sed persolues domino iuramenta tua: at ego dico uobis ne iuretis omnino, &c. Cæterum dominus apud Mathæum non uult è medio auferre ueram & antiquam legem, sed interpretari & ad sensum sanum reducere, corruptam prius uarijs & adulterinis glossis pharisæorum. Horum doctrina infirmitus cauebat sibi populus à periurijs, de superuacaneis & inutilibus aut frustraneis iuramentis alijs non erat admodum sollicitus, non dedecere arbitrans si iuraret per cælum & per terram: proinde dominus legem patris sui exponens dicit, Iuramenta in uniuersum omnia esse prohibita, nimirum quibus nomen domini in uanum assumitur, & quibus superuacue iuratur. Interea solenne iuramentum nec damnauit nec sustulit. Multum uero interest inter Iuramentum

*Iuramentū  
solemne &  
quodidianū*

solemne, & inter iuramenta quodidiana, quæ nihil aliud sunt quàm deierationes, non tantum superuacaneæ, sed noxiæ quoq;. Solemne uero iuramentum utile est & necessarium. Atqui lex Dei & sermo Christi non prohibet res utiles & necessarias, ergo non damnatur iuramentum solenne. Imò in lege permittitur iusiurandum, prohibetur duntaxat inuitis usurpatio diuini nominis. Ac Christus dominus non uenit legem soluere, sed adimplere, proinde iusiurandum in Mathæo non damnauit, nisi quis contendat filium doctrina sua impugnare doctrinam patris sui cœlestis: quæ quidem esset blasphemia in patrem & filium intolleranda. Quid quod ipse Deus iurat, quod non faceret si iusiurandum fieri non posset sine scelere. Dicit enim, post longam legis expositionem, Sãcti estote, nam & ego sanctus sum. Sitis perfecti, quemadmodum pater uester cœlestis perfectus est. Vnde legimus præstantissimos utriusq; testamenti uiros sub inuocatione & obtestatione diuini nominis in rebus grauibus iurasse, & sine peccato quidem iurasse: iuramentum itaq; lege Christi minime est prohibitum, licetq; hominibus Christianis iuramenta & exigere & præstare. Imò non uideo quomodo Christiano dignus sit nomine quisquis legitime requisitus iurare detrectauerit. Sed de hac re alibi contra Anabaptistas plenus disputauimus.

*Quas ob  
res iuran-  
dum sit.*

Secundo loco cõsiderandum est quas ob res iurandum sit. Apud multas respub. receptum est quamlibet leuem ob causam interponere religionem iurandi, atq; ea de causa uidemus ualde uilescere iuramentum. Quid enim hoc aliud est quàm nomen Dei assumere in uanum? Discant ergo & sciant magistratus iuramentum non esse requirendum quàm in rebus serijs, dum agitur de gloria Dei de proximi incolumitate, & uilitate publica. Obseruandum ergo quando & quas ob res iurauerit populus domini in scripturis sanctis. Iurat beatus Abraham in fœdere sanctiando cum rege Abimelech. Iurat populus domini per frequenter sub regibus, fœdere sese constrin- gens cum Deo ad obseruationem puræ religionis. Purgarunt sese iuramentis ueteres à grauibus suspicionibus. In Exodo legimus, Si quis dederit proximo suo iumentum ad custodiendum, atq; illud fuerit mortuum, aut ui abactum, nemine uidente, iuramentum domini inter utrosq; intercedat, quod non extenderit manum in rem proximi sui: quod recipiet dominus eius, & aliter nihil restituet. Nam Paulus quoq; ad Hebræos 6 cap. Homines quidem, ait, per eum iurant qui sit maior; atq; ipsdem omnis controuerfiæ finis ad confirmationem est iusiurandum. In hunc ergo finem applicet magistratus iusiurandum: ac curet per cœtera quoq; ut religiose uerseur in iuramentis

mentis dandis & recipiendis: sancte quoque seruent iurata proceres  
populi, neque admittant unquam ut uel leuibus hominibus credant  
iurifurandi religionem, uel quicquam conferant cum iureiurando  
aut æquent iuramento, sed magna cum obseruatione ultimo sem-  
per loco tanquam ad supremum recurrant remedium, periurosque  
grauiter puniant. Ita minus uilescet in popularium animis iuramen-  
ti religio. Væ autem populi proceribus si propter ipsorum impiam  
negligentiam uilipendatur ius iurandū. Supplicium graue de his ac-  
cipiet proculdubio, qui dixit, Quoniam neutriquam impunitum di-  
mitram eum, qui assumpserit nomen domini in uanum.

Tertio dicemus quid sit iuramentum seu ius iurandum. Est inuo-  
catio & attestatio diuini nominis ad ueritatem sermonis nostri con-  
firmandam. Separatur ergo iuramentum à deprecationibus, probra  
Dei continentibus. Separatur item ab execrationibus mala precan-  
tibus proximis nostris. Hæ prorsus indignæ sunt quæ appellantur  
iuramenta. Quoniam uero uocabulum iuramenti late patet, nõ im-  
prudenter legitima & diuina iuramenta, denotata sunt uocabulo  
iurifurandi. Apponitur enim ius, admonens iuramentum hoc iu-  
ris esse ac iustitiae. Cæterum attestatio diuini nominis mixtam ha-  
bet deuotionem & inuocationem. Forma enim iurifurandi est, Di-  
cam aut faciam hoc uere sancte & sine dolo malo, Sic me Deus ad-  
iuuet. Obijcimus ergo capita nostra diuinæ iræ & uindictæ, nisi  
uere & sancte agamus & dicamus quod nos uel dicturos uel factu-  
ros promittimus. Grauis est ergo obtestatio illa qua non inueni-  
tur ulla in orbe grauior. Ad hanc considerationem pertinet & ritus  
iuramenti. Ab antiquo enim iurarunt patres nostri per nomen do-  
mini sublata manu in cælum. In cælis habitat dominus Deus no-  
ster. Testamur animis nos ascendere in cælum & inspiciente Deo  
acin conspectu Dei nos iurare, sicuti in oculis iudicum exaltamus  
manum ad cælos. Imò quasi data dextra fidem nostram obstringi-  
mus Deo, iurantes in nomine Dei. Ad hunc modum iurauit singu-  
laris Dei amicus Abraham pater fidei.

Quid sit  
Iuramentum

Ritus iura-  
menti.

Formula  
iuramenti.

Igitur non est quod porro dispuremus multis per nomen ne Dei  
soli, an & per nomina diuorum, an etiam ad sacrosanctum euan-  
gelium attestatio iurifurandi fieri debeat. Constat enim iurandum  
esse fidelibus per solius Dei æterni & altissimi nomen. Habemus ea  
de re manifesta præcepta iubentia iurare per nomen domini, & pro-  
hibentia rursus iurare per nomina deorum. Prioris generis sunt hæc,  
Timebis dominum Deum tuum, illi serues, iurabisque per nomen  
tuis. Deut. 6. & 10. cap. Dominus item ipse apud Isaiam, Mihi, ins-



DE PRÆCEPTO DECALOGI III.

quit, incuruabitur omne genu & iurabit omnis lingua. Nam & in 67. cap. idem propheta dicit, Qui benedicere se uolet, in Deo benedicet: & qui iurauerit, iurabit per Deum uerum. Posterioris generis sunt hæc sanctæ scripturæ testimonia, Exodi 23. Omnia quæ dixi seruate, & nomina aliorum deorum ne cogitens, neq; audiantur ex ore uestro. Iosue quoq; dicit capite 23. Cum ueneritis inter gentes istas, ne iuraueritis per nomen deorum earum, & ne colatis aut adoretis eos. Apud Ierem. in 7. cap. dicit dominus, Filij tui deseruerunt me, & iurauerunt per deos, qui dñj non sunt: saturauit eos, & mœchati sunt, &c. Iam & Sophonias inducit loquentem dominum & dicentem, Excindam eos qui adorant ac iurāt per dominum, iurantiq; per Malchom, id est regem uel patronū suum. Nec mirum est quod dominus excidium minatur iurantibus per nomina creaturarum. Est enim iuramentum præcipuus cultus qui debetur Deo, ideoq; alijs non potest communicari. Iuramus enim per supremum, quem uidelicet credimus summū esse bonū, largitorē omnis boni & uindictæ mali. Quod si per nomina deorū iurauerimus, certe Deo ipsi æquauerimus diuos, diuinisq; honores ipsis tribuerimus. Ideoq; maluit beatus Christi martyr Polycarpus flammam subire ignis, quā iurare fortunam Cæsaris. Historia extat apud Euseb. lib. 4. cap. 15.

*Iuramentū  
cultus Dei*

*Conditiones  
iuramenti  
sancti.*

Quarto loco inspicendum quomodo iurare conueniat, & quæ sint conditiones iusti æqui & boni iurifurandi. Ieremias ergo, iurabis, inquit, uiuit dominus, in ueritate, in iudicio, in iustitia. Et benedicent se gentes in eo atq; in eo gloriabuntur. Quatuor ponuntur iusti iuramenti conditiones. Prima est, iurabis uiuit dominus. Reperitur quod iam inculcatum est toties, iurandum esse per nomen uiuentis Dei. Formula autem iuramenti patribus nostris talis erat, Viuit dominus, ut claret ex scriptis prophetarū. Ne ergo iuremus per alium, quam per Deum. Secunda conditio est, iurabis in ueritate. Requiritur itaq; ut non lingua solum, sed & mens iuret, ne postea dicamus iurauit lingua, mens est iniurata. Fideles ergo simus, sine dolo malo, ne mentiamur neue deludamus iuramentū artibus. Id exprimunt Germani, *One alle gesârd.* Vel *Onâfârd*, id est non utar ullo dolo malo, sed simpliciter & uere hoc præstabo. Exemplum mendacis & dolosi iuramenti egregium habes apud Aul. Gell. lib. noct. Att. 7. cap. 18. Tertia conditio est, iurabis in iudicio: cum discretionē utiq; non temere, nō leuiter, sed expensis rebus omnibus: sed in magna necessitate & utilitate. Quarta conditio est, iurabis in iustitia, ne uidelicet sit iuramentū nostrū contra ius & fas, hoc est, ne peccemus contra iustitiam, quæ Deo & hominibus sua tribuit: ne tendat recta

*contra*

contra dilectionem Dei proximitatis. Habet C. V. paucis hisce uerbis comprehensum, & à Deo nobis iraditum, quomodo iuremus, qualia esse debeant sancta iuramenta, quibus circumscripta conditionibus. Porro si iurauerimus contra has à Deo nobis præscriptas conditiones, illegitima erunt nostra sacramenta uel iuramenta: quæ si præterea præstare perrexerimus, incurremus grauem iram domini.

Proinde interrogari solet in præsentia, an iuramenta & uota impia uel iniqua iniusta & mala seruare uel præstare oporteat, nempe si iuramentum aut uotum tuum tendat contra Deum, contra ueram religionem, contra uerbum Dei & contra salutem proximi? *An iuramta impia sint præstada.*

Adducã & recitabo hic responsionem uulgarem, sed ueram & exemplis sanctæ scripturæ subnixam ueritatibus per omnia consentaneam. Sic ergo respondetur, Si quis aliquid iurauerit contra fidem & charitatem, quod obseruatum peiorẽ uergat in exitum, iuramentum potius est mutandum quam adimplendũ. Vnde Ambrosius, Est contra officium aliquando promissum soluere iuramentum, ut Herodes fecit. Item Isidorus, In malis promissis rescinde fidem: in turpi uoto muta decretum. Quod incaute uouisti, ne feceris. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Idem, Non est obseruandum sacramentum, quo malum incaute promittitur. Vt si quis adulteræ perperuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupro. Item Beda, Si quid nos incauti iurare contigerit, quod obseruatum peiorem uergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quam pro uitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Deum occidere Nabal uirum stultum: sed ad primam intercessionem Abigail femine prudentis, remisit minas, reuocauit ensẽ in uaginam, nec aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Item Augustinus ait, Quod Dauid iuramentum per sanguinis effusionem non adimpleuit, maior pietas fuit. Iurauit Dauid temere, sed nõ impleuit iuramentũ maiori pietate. Ex his alijsq; multis ostenditur quædã iuramenta nõ obseruanda esse. Qui autẽ sic iurat peccat. Cum autem mutat benefacit. Qui non mutat, dupliciter peccat, & quia iniuste iurauit, & quia facit quod non debet. Hæc hactenus aliorum uerbis recensui, quæ nemo non recipit proculdubio pro ueris & iustis. Ex ijs uero facile intelligitur charitas uestra quid præterea sentiendũ sit de uotis illis monasticis, & iuramento sacerdotum castitatem quantum uidelicet humana permittit fragilitas promittentiũ. Nam melius est nubere, inquit apost. quã uis-

*Soluere præstare.*

*Vota monastica.*

DE PRAECEPTO DECALOGI III.

Et satius est promissa stulta & noxia atq; impura, id est quæ ad immunditiam perpellunt non præstare, quam sub prætextu sacramenti ueritasq; & mentiri & parum pudice uiuere.

*Quanta religione oporteat seruare iuramenta.* Quinto & ultimo loco paucis admonendi estis ut magna religione iuramentum seruare modis omnibus cõrendatis: indicandum præterea paucis quod premium paratum sit sanctis iuramentũ sanctum sancte colentibus obseruantibusq;. Si Deum diligimus, & nomen eius sanctificare cupimus, si Deum uerum habemus pro Deo uero, & pro Deo nostro, si uolumus ut is nobis sit clemens propitiuſ & auxiliator præsentissimus & perpetuus, euam atq; etiam curasimus & religiose iurare & quod religiose iurauimus sanctissime seruare atq; præstare, Nisi uero hoc faciamus, minæ cœlitus & iudicia seuerissima sed iustissima contra nos sunt pronuntiata. Gentiles in die iudicij condemnabunt nos. Nam Saguntini Numantini & Perilini maluerunt flamma & fame interire, quam fidem sacramento confirmatam infringere dissolueretq;. Ac leges quidem sapientissimorum & iustissimorum quorumuis principum & populorum periuros damnant capitis. Quanta uero scandala, quantæ corruptio nes & quanta quæso damna existunt ex periurijs: Implicant illa asfigunt uexant conficiunt & subuertunt res ecclesiasticas & policas. Quisquis ergo amauerit rempublicã & incolumitatem patriæ: quisquis amauerit ecclesiam & incolumitatem ecclesiæ, curabit atq;

*Premium amplius uanibus iuramenta promissum* te omnia ut religiose custodiat iurandi sacramentum. Porro amplissimum uberrimumq; premium sancte colentibus iuramentum a Deo promissum est, Ieremias enim, Et benedicent se gentes in eo, inquit, atq; gloriabuntur. Tanta, inquit, fœlicitas & ubertas optimarum rerum a domino effundetur in populum Iudaicum sancte iurantem, ut quicumq; posthac uoluerit alteri bene precari, dicturus sit, Benedicat tibi dominus quemadmodum olim benedixit Iudeis. Quisquis uoluerit aliquem laudare, dicet esse similem Israelitis. Relinquitur ergo certissimũ, omnigenis locupletandos bonis, deniq; omni laude dignissimos fore quosquor sacramentum iurandi sancte coluerint.

Studeamus oro fratres nomen domini sanctificare, & huic præcepto tertio coniungere ardentibus perperuasq; preces, iuxta domini Iesu doctrinam orantes, O pater cœlestis sanctificetur seu sancte colatur nomen tuum. Cui gloria in secula seculorum, Amen,

De quarto

De quarto prima tabula seu decalogi præcepto, nempe de ratio-  
ne & obseruatione sabbati.

SERMO IIII.



VARTVM primæ tabulæ præceptum de uerbo ad  
uerbū sic habet, MEMENTO VT DIEM SAB-  
BATI SANCTIFICES, SEX DIEBUS OPE-  
RABERIS ET FACIES OMNIA OPERA  
TVA. SEPTIMO AVTEM DIE EST SABBATVM  
DOMINI DEI TVI, IN QVO NON FACIES VLLVM  
OPVS, NEQVE TV, NEQVE FILIVS TVVS, NE-  
QVE FILIA TVA, NEQVE SERVVS TVVS, NE-  
QVE ANCILLA TVA, NEQVE IUMENTVM TVVM  
NEQVE ADVENA TVVS, QUI EST INTRA POR-  
TAS TVAS. QVONIAM SEX DIEBUS FECIT DO-  
MINVS COELVM ET TERRAM MARE ET OM-  
NIA QVÆ IN EIS SVNT, SEPTIMO AVTEM DIE  
QVIEVIT, IDEO BENEDIXIT DOMINVS DIEI  
SABBATI ET SANCTIFICAVIT EVM.

Præceptū  
Dei 4.

Naturalis & ualde elegans est ordo præceptorum domini. Pri-  
mo mandato docuit dominus fidem & amorem erga Deum. Secun-  
do remouit idola & omnem peregrinum cultum. Tertio præcepto  
cepit de uero & legitimo cultu Dei homines instruere. Constat is  
in sanctificatione nominis diuini, ut hoc inuocemus & sancte ac in-  
genue confiteamur, deq; ipso iudicemus & loquamur religioſissi-  
me. Quartum præceptum instruit & ipsum Dei cultum nominisq;  
diuini sanctificationem, sed desestitur iam nonnihil etiam ad ex-  
ternum cultum, licet quartum hoc mandatum & internum formet.  
Sabbatum enim uersatur & in interno & externo Dei cultu. Inqui-  
ramus ergo quid sentiamus de sabbato, & quàm late sabbati usus  
pateat, ac quomodo in obseruatione sabbati colamus Deum no-  
strum. Sabbatum significat requiem & uacationem ab opere ser-  
uili. Ac obseruandum censeo quod dominus non ait sanctifica sab-  
batum, sed Memento ut diem sabbati sanctifices. Significat autem  
ueterustissimam esse sabbati institutionem, iam olim paribus tradi-  
tam, nūc uero per dominum esse in populo Israelis repetitam & re-  
nouatam. Cæterum summa totius mādātī est, sanctifica sabbatum.  
Hanc summam mox fufius exponit ipsis etiam diebus annu-  
eratis, recensita item uniuersa familia, cui imponitur sabbati religio. Po-  
stremo adijcitur exemplum quoq; ipsius Dei quiescentis & sanctifi-  
cantis sabbatum.

Ordo præ-  
ceptorum  
domini.

Sabbatum

DE PRÆCEPTO DECALOGI IIII.

**Sabbatum  
spirituale  
est.**

Sabbatum ipsum patet latissime. Nam principio meminit scriptura sabbati cuiusdam spiritualis & perpetui. Eo cessamus ab opere seruili, abstinentes utiq; à peccatis, curantes ne in nobis ipsi inueniatur nostra uoluntas, ne ipsi operemur opera nostra, sed cessantes ab his, sinamus Deum operari in nobis, subiiciamusq; gubernationi spiritus corpora nostra. Hoc sabbatum spirituale sequitur sabbatum siue requies æterna. De quibus plura Isaias in cap. 58. & 66. Paulus item ad Hebræ. 4. cap. Vere autem Deum colimus quando à malis quiescentes sanctoq; Dei spiritui obedientes, studio bonorum operum exercemur. Non uacat autem neq; admodum uile fore existimamus copiosius & subtilius de sabbati allegoria siue sabbato spirituali disputare. Conemur potius fratres in mortalibus hisce corporibus nostris Deo bene placens sabbatum indefesso sanctimonie studio sanctificare.

**Sabbatum  
ordinatio  
religionis  
externa.**

Deinde Sabbatum est ordinatio religionis externa. Voluit enim dominus hoc præcepto tradere externam religionem & cultum in quo exerceremur omnes. Ac Dei cultus nequit esse sine tempore. Instituit ergo tempus dominus, in quo ab externis uel corporalibus abstereremur operibus, sed interea uacaremus spiritualibus. Ideo enim externa quies precipitur, ut operatio spiritualis corporali opere non inturbetur. Porro uersabatur spiritualis illa operatio apud patres nostros circa quatuor, nempe circa lectionem & interpretationem scripturæ publicam adeoq; circa auscultationem, circa orationem & preces publicas, circa sacrificia siue celebrationem sacramentorum, & circa collectam ac beneficentiam. In his erat religio externa sabbati. Ferias enim agebat populus, coibat in cœtum sanctum. In hoc prælegebant prophete uerbum domini, interpretabantur hoc & instituebant auditores in uera pietate. Deinde orabant cœmunitibus uocis & precibus coniunctis fideles pro omnibus necessitatibus, Laudabant nomen domini, & agebant gratias pro beneficijs acceptis. Præterea sacrificabant secundum uerbum domini, mysteria & sacramenta redemptoris Christi celebrantes & fidem suam exercebant, consociabantur insuper sacris, sed & sui admonebant officij ut et semetipsos offerrent Deo hostiam uiuam. Postremo conferebant in cœtibus liberaliter munera sua ecclesie usibus. Munera cedebant necessarijs ecclesie usibus, ministris & egenis. Hæc autem erant sancta Dei opera, quæ dum fide & dilectione instructi perficiebant, sanctificabant certe sabbatum & nomen domini: id est in sabbato ea operabantur opera, quæ & nomen Dei sanctificant & cultores ornant, uereq; sancta et Deo placenua opera sunt. Exem-  
plum

plum si quis requirat apertum & elegans sabbati aut festi sancte celebrati, inueniet apud Nehemiam in cap. 8. Ibidem enim sacerdotes legunt & interpretantur uerbum Dei: laudant nomen Dei: precantur cum populo, sacrificant: liberalem munificentiam exercent, & per omnia sese gerunt sancte & religiose.

Iam ne quis obijceret, Otia dant uitia. Præterea laborandum est *Sat tempus laboribus concessum* manibus, ut suppetat uictus, ne peream fame & perdam meam familiam: respondet, *Sat temporis concessum est tibi à domino laboribus, quibus quisque uictum suæ parer familiæ. Nam sex dies operari licet, septimam demum diem Deus cupit sibi & sancto consecrari otio. Septimana quælibet septem compleitur diebus. Ex his autem septem diebus unam modo sibi postulat dari dominus. Quis iure quæso iniuriam sibi fieri clamiter? Plus certè temporis laboribus quam sacro tribuitur otio. Et qui hoc otium postulat Deus est hominis conditor parer & dominus.*

Præterea iubet dominus hoc sacrū otium, hanc disciplinā & hunc *Paterfamilias transferat religionē sabbati in domum suam.* cultum externum in totam transferre domum. Vnde etiam colligitur quodnam sit officium boni patrisfamilias, curare ut tota familia sabbatum sanctificet, id est opera sancta faciat in sabbato, quæ prius recensuimus. Ac quoniam nouit dominus ingenium hominis, quod euectum imperitat ferè in solentius, ideoque ne durius aut inclementius patres siue domini tractarent familiam aut impedirent eam in cultu sabbati, disertis uerbis & diligenti enumeratione præcipit ut familiæ & singulis in familia concedant otium ad negotium sanctum. Imò non liberat aut excipit uel aduenam. Non uult apud eos segnium quorundam ualere regulam, Fides & religio libera sit, nemo cōpellatur ad religionem. Nam aduenam, intra portas populi Dei, id est in iurisdictione, agentem, astringere iubet religioni sabbati. Otium uero præcipitur non propter se quidem. Otium enim semper fuit illaudabile, sed propter istas præcipue causas. Vult esse locum & tempus reseruatam religioni. Ea præclusa sunt externis laboribus addictis. Non coniungitur cœtui sacro, non audit sermonem Dei, non precatur cum ecclesia, non astat sacris, qui turbate hero suo uel proficiscitur peregrè, aut uendit res domini sui in foro, aut in area purgat frumentum, in agro exercet opera rustica, uel domi stat ad incudem, aut consuit calceos aut caligas. Fides ergo & pietas iubet te concedere otium seruis tuis & familiæ tuæ: imò præcipit segnes alioqui instigare & propellere ad negotium utile & sanctum. Vult præterea dominus laborantes respirare. Quod caret alterna requie, durable non est.

Ergo benignus dominus qui uult conseruare creaturas suas modis præcipit, & cauet ne auaritia & duritia dominorum nimis affligat creaturam Dei. In Deuteronomio addit Moses affectum commiserationis, dicens, Memēto quod & tu aliquando fueris seruus in Aegypto. Charitas ergo humanitasque requirunt modum, ne nimis laboribus atteramus familiam. Præterea constat patres familias plantatione pietatis in famulitio priuatâ & domesticam utilitatē promouere plurimum. Seruuli enim impij sunt ferè furaces & infideles, pij fidi & æconomici. Quid quod in enumeratione familiæ pecoris quoque uel iumentorum fit mentio: non tam quod iumentis Deus sit homo, ac iccirco benigne & moderate eo uti debeat, quam quod sine ministerio hominum iumenta exerceri non possunt. Abduntur ergo à religione sabbati per iumenta homines: unde ne abstrahantur, præcipitur diserte ut quietem concedamus iumentis.

*Sabbatum  
egre domi-  
nus.*

Postremo adhibet suum exemplum dominus eo ipso docens religiose colere sabbatum, Quoniam, ait, sex diebus fecit dominus cælum & terram mare & omnia quæ in eis sunt, septimo autē die quieuit. Ideo benedixit dominus diei sabbati & sanctificauit eum. Operatus est dominus Deus sex diebus creando cælum terram mare & omnia quæ in eis sunt, septimo autem die quieuit & consecrauit certam diem quieti. Cōsideranda sunt septimo die opera Dei quæ contulit sex diebus, recolligendum est filiis Dei quæ & quanta beneficia tota illa septimana acceperint, deinde agendæ gratias, laudandus est Deus & ex operibus eius discendus. Consecrandum illi totū corpus cum anima: consecranda sunt ipsi dicta & facta nostra omnia. Quieuit quidem dominus à creando, sed non quieuit à conseruando. Quiescendum ergo à manuarijs & corporalibus operibus, sed non cessandum ab ijs quæ beneficentiæ sunt & cultus diuini. Pro-

*Benedixit  
sabbato do-  
minus.*

inde non nocuit rebus conditis quies diuina. Non damno afficiet & affliget res & negotia nostra, feriata & rebus diuinis impensa dies. Nam dominus benedixit sabbato, benedicet ergo & tibi & domui rebus & negociationibus tuis omnibus, si curaueris sanctificare sabbatum domini, id est ea facere opera quæ præcepit fieri in sabbato. Errant ergo toto cælo quicunque religionem & sanctam sabbati quietem contemnunt, iners ocium appellant, ac sabbatis perinde ut prophanis diebus laborant, prætexentes curam familiæ ac necessitatem.

*Sabbatum  
Christiano  
rum.*

Hæc enim omnia nobis quoque & nostris ecclesijs applicare oportet. Certissimum est spirituale sabbatum Christianis ante omnia & per omnia esse mandatum. Nec dubium est quin bonus dominus uelit

uelit in nostris quoq; ut quondam in Iudæorum ecclesijs, iustum seruari ordinem, in exercenda religione externa maxime. Scimus sabbatum esse ceremoniale quatenus coniunctum est cum sacrificijs et reliquis Iudaicis ceremonijs, & quatenus alligatum est tempori: cæterum quatenus sabbato religio & pietas propagatur & iustus ordo retinetur in ecclesia ipsaq; charitas proximi seruatur, perpetuum & non ceremoniale est. Oportet certè & hodie parci familiæ, oportet & hodie familias institui in religione. Cæterus sacros nullibi dissipauit Christus dominus, sed recollegit maxime. Oportet autem ut locum certum ita definitum tempus consecratum esse exercitio religionis, ergo & otium sanctum. Vetus ergo ecclesia diem mutauit *Dies domus sabbati*, ne uideretur Iudaizare & ceremonijs affixa hæere: & cæterus *nicæ*, oriaq; sacra celebravit prima sabbati, quam Ioannes appellat dominicam, haud dubie propter gloriosam domini resurrectionem. Et quamuis nullibi legatur præcepta in apostolicis literis Dominica dies, quia tamen quarto hoc præcepto primæ tabulæ præcipitur cura religionis & exercitium externi cultus diligenter, alienum à pietate & charitate Christiana foret nolle dominicam sanctificare: præsertim cum sine tempore stato & circa otium sanctum cultus ille externus constare non possit. Idem sentiendum arbitror de pauculis quibusdam Christi domini ferijs aut festis, quibus peragimus memoriam natiuitatis, incarnationis, circuncisionis, passionis, resurrectionis, ascensionis in cælum, & missionis sancti spiritus in discipulos domini nostri Iesu Christi. Libertas enim Christiana non est licentia & dissolutio ecclesiasticæ piæq; obseruationis, iuuenis & prouehentis gloriam Dei & charitatem proximi. Quoniam uero dominus uult sibi soli festa celebrari, non probo festa creaturis instituta. Hæc gloria, hic cultus est solius Dei. Clamauit Paulus, Nolo quiscum uos iudicet in parte diei festi aut sabbatorum: quæ sunt umbra rerum futurarum. Item, Dies obseruatis & menses tempora & annos, metuo ne frustra in uobis laborauerim. Et proinde nihil nobis hodie cum obseruatione Iudaica in ecclesia Christi, Christianam modo uolumus obseruationem seu exercitium religionis Christianæ custodiri libere.

Verfabitur tamen sanctificatio & exercitium dominicæ diei *Sanctificatio sabbati Christianorum.* etiam circa quatuor, quæ in sancto Christianorum cætu inueniantur oportet, siquidem fuerit uere sancta. Principio ingrediantur in cætu sanctorum pij omnes. In cætu exponatur uerbum Dei annuncieturq; sermo euangelicus, ex quo discant auditores quid sentiant de Deo, quod nam sit officium cultorum Dei, quomodo san-



DE PRÆCEPTO DECALOGI III.

Stiffcent nomen domini. Deinde fiant in cœtu orationes & obsecra-  
tiones pro omnibus omnium necessitatibus: laudetur bonitas domi-  
ni, & agantur gratiæ pro beneficijs Dei quotidianis & inextimabilibus.  
Si uero tempus occasio & consuetudo ecclesiæ poscat, religio-  
se celebrentur sacramenta ecclesiæ. Requiritur enim potissimū hoc  
præcepto quarto ut sacramenta & ritus ecclesiæ sanctos legimos  
& utiles ac necessarios, & obseruemus sancte & exerceamus religi-  
ose. Postremo habeat in cœtu sanctorum summa locum humani-  
tas & beneficentia, discant omnes priuatim largiri eleemosynam  
& benefacere quotidie, liberalissime autem ac publice quouies tem-  
poris necessitas & rerum opportunitas poposcerit. His autem offi-  
cijs sanctificabitur sabbatum domini etiam in ecclesia Christiano-  
rum, maxime si accedat his tota die studium innocentie diligens.

*Officium  
patrumfa-  
milias.*

*Num. 15.*

Est autem hæc disciplina in singulas domos nostras transferen-  
da ab omnibus patribus familias, nõ minus quam in domos Iudaie  
cas. De qua re non est quod plura dicamus cum hoc caput superius  
ita tractauerim, ut ecclesiæ Christiane etiam congruat. Hoc adhiçiam  
in præfenti, Christiani magistratus aut saltem boni patris officium  
esse uiolatores & contemptores sabbati aut cultus diuini redigere in  
ordinem. Principes populi Iudaici ac totus populus Dei hominem  
contumaciter colligentem ligna in die sabbati, lapidibus, Deo man-  
dante, obruerunt. Cur ergo non liceret Christiano magistratui pu-  
nire in corpore fortune & uita contemptores religionis, ueri & le-  
gitimi cultus sabbati? Certè si cesset corrupto hoc seculo des-  
pens & ebrius magistratus, cuiq; patrifamilias opera danda ne im-  
pia sit familia. Puniat suos sibi licitis puniendi modis. Potest  
enim quilibet paterfamilias si habiter inter idololatrias, qui nec ha-  
bent nec habere cupiunt legitimos & Christianos cœtus, in ædi-  
bus proprijs cœtum sanctum colligere: sicuti fecisse constat Lo-  
thum in Sodomis, Abrahamum Isaacum & Iacobum in terra  
Chanaan & Aegypti. Grande uero peccatum & schisma est de-  
testandum si celebrentur in ciuitatibus & pagis legitimi cœtus, tu ue-  
ro quæras diuerticula & spernas ecclesiam Dei siue cœtum sanctorum.  
Id quod solent Anabaptistæ.

*Abusus  
sabbati.*

Veniunt ergo hic quoq; paucis recensendi abusus sabbati siue pec-  
cata contra hoc mandatum commissa. Peccant qui non quiescunt à  
malis operibus, imò ocio sancto abutuntur ad irritamentum carnis  
& uoluptatum. Nam hi sabbatum agunt Deo, operantur autem dia-  
bolo, alea ludendo, potando, choros ducendo & alijs mundi uani-  
tatis indulgendo, quibus non tã adducimur à cœtu sancto, quam  
polluimus

polluimus corpora nostra, quæ sanctificare debueramus. Peccant qui uel operas manuaris exercent in sabbato, uel lectis implicati dormiunt in multam lucem, negligentes ceterum Dei. Peccant qui urgent seruos & negotijs eis impositis abstrahunt à cultu diuino, qui alias res putidas præferunt cultui Dei. Peccant præ alijs quicunq; sabbatum non modo non sanctificant sed etiam alijs sacra contemnēdi suis impuris dīcterijs & malo exemplo authores sunt: qui ritus sacros, ministerium, ministros, scholas sacras, & studia pia & fastidiunt & suggillant. Peccant hic maxime patres & mares familias si negligant sanctificationem sabbati in domibus suis urgere & obtinere. Quicunq; spernunt religionem sabbati, apertum de se præbent testimonium impietatis uel contemptus numinis. Proinde magnas habet promissiones & minas obseruatio & con- *Promissio* temptus uel neglectus sabbati. Ad quam rem demonstrandam reci- *nes & mi-* *ne addit* *sabbato,* tabo charitati uestræ Ieremiæ uerba ex cap. 17. Sic dixit dominus ad me, inquit, Vade & sta in porta filiorum populi per quam ingrediuntur & egrediuntur reges Iuda, atq; in omnibus portis Ierusalem, & dices ad eos, Cauete quam charæ sunt uobis animæ uestræ ne tollatis onus die sabbati ut inferatis per portas Ierusalem, neq; efferatis onus è domibus uestris in die sabbati, imò nihil operis faciatis, sed sanctificate diem sabbati, quemadmodum præcepi patribus uestris. At illi non audierunt neq; inclinarunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem ne reciperent disciplinam: uos autem si me diligenter audieritis, ait dominus, nulla inferetis onera die sabbati, sed sanctificabitis sabbatum neq; quicquam operis in eo facietis. Tunc enim transibunt per portas huius urbis reges & principes sedentes in folio Dauidis uestri curribus & equis, sedebitq; ciuitas ista in perpetuum: & ferent de ciuitatibus Iuda & Benjamin sacrificia thus & laudem in domum domini. Si uero me non audieritis sanctificando diem sabbati, sed tuleritis onus ieritisq; per portas in die sabbati, incendam ignem in portis eius qui deuorabit magnificas eedes eius, neq; extinguetur. Hæc Ieremias.

Proinde iustis de causis religiosi principes Leo & Anthemius A. *Lex imper-* *ratoria de* *do sabbato* A. Armasio P.P. scribentes mandant in hæc uerba, Dies festos maioratiora de iestati altissimæ dedicatos nullis uoluptatibus occupari neq; ullis obseruantiæ exactationum uexationibus prophanari. Dominicum itaq; diem semper honorabilem decernimus uenerandum ut à cunctis exequutionibus excusetur, nulla quenquã urgeat admonitio, nulla fidei infisionis flagiretur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus &c. Et mox, Nec huius tamen religiosi

DE PRÆCEPTO DECALOGI IIII.

diei otia relaxantes obscœnis quibuslibet patimur uolupratibus detineri. Nihil eodem die uindicer sibi scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarũ lachrymosa spectacula: etiamsi in nostro ortu aut narali celebranda solennitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ prosc̄riptionemq; patrimonij sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse, uel cuiuscunq; iudicis apparitor prætextu negotij publici seu priuati hæc, quæ lege hæc statuta sunt crediderit temeranda.

*Sabbatum propter hominẽ, nõ homo propter sabbatum.* Interea uero non obliuiscuntur Christiani horum in euangelio uerborum Christi, Sabbatum propter hominem conditum est, non homo propter sabbatũ: proinde filius hominis est dominus etiam sabbati. Intelligunt piij sabbatum institutum esse diuinitus ad conseruandum non perdendum hominem, ideoq; sabbatum admittere dispensationem quorũ uel necessitas ineuitabilis aut salus hominis requirit. De qua re disputatum est ab ipso saluatore nostro Christo apud Matthæũ in 12, & apud Lucam in 6. & 13, cap. Certe in his uersatur libertas Christiana. Cumq; excusantur sacerdotes & Leuitæ in templo propalam mastantes, excoriantes, incendentes & coquentes, hoc est sacrificia perficientes, ita ut minime teneantur rei sabbati uiolati, licet utiq; sabbatis ea parare citra peccatum quæ eterno cultui deseruiunt. Pari ratione licebit præparare cibum & pro necessitate curare corpus. Licebit & medicari æ grotis, inuisere decubentes, iuuare inopes, ut creaturam Dei conseruemus. Instruit nos in his exemplum saluatoris nostri sabbato operantis opera charitatis & humanitatis. Exemplum non unum extat in historia euangelica, præsertim Lucæ 6. 13. Ioan. 7. cap. Quod si licet demersum pecus aut iumentum sabbato extrahere ex fouea, cur non liceat domũ ruinofam & iam iam in lapsum propendentem sabbato fulcris sustentare? Cur non liceat sabbato fœnum aut frumentũ iniuria cœli ære quo diutius per agros dispersum & imbribus expositum, recolligere & ab interitu ne in uniuersum computrescat, uindicare? Diuus Constantinus Imperator in legibus suis Elpidio scribens, Omnes iudices, inquit, urbanæq; plebes & cunctarum artium officia uenerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum cultura libere licenterq; inseruiant. Quoniam frequenter uenit ut non alio die apertius frumenta sulcis & uinæ serobibus commendentur: & ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa. Hæc Imp. A. Non concedit rusticis omnimodam & perennem sabbati prophanationem, Requiritur enim à rusticis quoq; perinde ut ab oppidanis cultus Dei & quarti præcepti cultus, sed libertas per-

mittitur

*Arare in sabbato.*

minitur in necessitate. Cæterū pietas & charitas in his erit optima dispensatrix & magistra, ne uidelicet sub prætextu libertatis aut necessitatis exerceamus impietatem & agamus auarorum non religiosorum opera. Hæc hæctenus de alio sabbati usu.

Tertio sabbatum significationē habet augustissimam. Signum *Sanctificat* enim perpetuum est quod Deus solus is est qui sanctificat suos cultores. *dominus.* Sic enim loquitur dominus Mosi, Obseruabitis sabbata mea: quoniam signum est inter me & inter uos in posteritates uestras ut sciauis quia ego dominus qui sanctifico uos. Et reliqua quæ habentur Exodi 31. cap. & reperuntur Ezech. 20. cap. Ad hūc autem usum mutuam operam confert quod modo præcessit in declaratione secundū usus. Deus enim sanctificat homines suos fideles per spiritum sanctum: id quod annunciat ecclesiæ per uerbum euangelij, testatur autem & obsignat sacramentis, sed & iugibus precibus ab ipso sanctificationem nos postulare iubet. Quæ quidem omnia maxime in sabbatis exercentur, in hoc ut sanctificationem à Deo unice sancto consequamur.

Hæctenus enarraui charitati uestræ breui compendio primā præceptorum Dei tabulam, quæ nobis cultum diuini nominis describit diligentissime. Quoniā uero filij Dei sunt non illi quidem qui uoluntatem Dei intelligunt, sed faciunt etiam, oremus patrem nostrum qui in cælis est animos nostros illuminet ut opere fideli ac Deo grato colamus benedictum in sæcula.

*De primo secundæ tabulæ præcepto, quod ordine in decalogo quintum est, de honorandis parentibus. SERMO V.*



**S**EQVITVR tabula legis diuinæ secunda, quam Deo inspirante & iuuante ea exponam breuitate, qua enarraui primam. Et ut prima docuit dilectionem Dei, ita secunda tradit dilectionem proximi, erudiens omnes homines quæ nam sint officia proximo debita, & quomodo uiuamus in hoc sæculo honeste humaniter & tranquille. Bonus enim dominus uult nos uiuere commode & suauiter. Nos quoniam id nolumus agnoscere neque mandatis eius bonis obtemperare, nostris uitij & malis aceruamus in capita nostra cumulum malorum. *Præceptū Dei 5.* Continet tabula hæc sex præcepta, quorum primum est tale, **HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM, UT SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM, QVAM DOMINVS DEVS TVVS DABIT TIBI. Recte orditur**

DE PRÆCEPTO DECALOGI V.

secundam tabulam ab honorandis parentibus. Nam post pietatem in Deum, proxima est pietas in parentes, à quibus post Deum habemus uitam, & qui inestimandis uigilijs & laboribus immensis nos educarunt ab infantia. Ac naturalis quidem ordo requirit ut semper præcedant præstantiora.

Distinguemus hoc mandatum perspicuitatis gratia in tres partes. Primo explicabimus qui gradus & quæ genera hominum comprehendantur sub uocabulo parentum. Secundo inuestigabimus quis nam sit ille honor & quam late pateat, quem iubet dominus impendere parentibus. Postremo attingemus & promissionem pijs factam liberis, & inde colligemus pœnam impijs destinatam.

*Quid parentum nomine intelligendum.* Parentes qui sint nemo ignorat. Dedit hos nobis dominus Deus noster ut ab ipsis acciperemus initium uitæ, qui nutrent & educarent nos, qui deniq; ex barbaris & semibrutis uere homines facerent. Maius est beneficium quod liberis conferunt parentes, maior labor & sumptus quem faciunt, maior cura dolor & ærumna, quàm quisquam uel eloquentissimus enumerauerit. Significanter autem non patris tantum, sed & matris nomen exprimitur in lege, ne propter sexus imbecillitatem uideretur circa grauem noxam contemni. Plus laboris dolorisq; sustinent & sentiunt piæ matres in partu educatione et nutritione liberorũ quàm patres. Magna ergo de causa & matris nomen in præcepto diserte est expressum. Comprehendimus autem hic quoq; auum & auiam abauum & abauiam, omniaq; huius generis alia. Comprehendimus secundo loco patriam cuiusq; in qua natus est quisq;, quæ aluit, fouit, ornavit atq; defendit. Comprehendimus tertio loco principes seu magistratus. Senatores enim seu principes & patres & pastores populi in sacris nuncupantur. Xenophon putauit bonum principem nihil distare à bono patre. Quarto loco recensentur parentum nomine Tuores, quos appellant ad uocatos pupillorum aut orphanorum. Succedunt enim in locum demortuorum parentum, sumptis cura & tutela liberorum, quos ueluti proprios & ex se genitos (hic enim affectus in eis sit oportet) educant tuentur & prouehunt. Quibus accensendi sunt magistri artium, opifices. Hi enim docent iuuenes seu adolecētes honestum aliquod artificium, quo quisq; sibi honeste uictum parat, erudiant in bonis moribus, & quodammodo hominem adhuc rudem exponunt perficiuntq;. Quinto reputantur pro parentibus ministri doctores & pastores ecclesiarum, quos ipse Paulus patres uocauit, non tam propter curam & amorem quibus affecti sunt erga discipulos ac ouiculas, quam quod per euangelium generamur Christo.

Sexto loco ueniunt numerandi consanguinei & affines, frater & soror, nepotes & neptes, socrus & nurus, socer & gener: qui inter se necessitudine ceu neruis membra connectuntur & conseruantur. Ultimo uero loco senes uiduæ pupilli imbecilles & infirmi parentibus nostris coniunguntur: quorum causam non uno loco commendauit nobis scriptura diuina. Habetis fratres quos intelligamus in hoc primo mandato secundæ tabulæ esse parentes & parentum nomine cõprehensos & cõmendatos: iam audire quæ his debeamus honorem, & quis uel quid sit honor ille quem debemus parentibus.

*Consanguinei & affines.*

*Senes.*

*Honorare quidē*

*Præcedit semper honor Dei.*

Honorare significat in scripturis uaria, & in presentū quidem significare, reuereri, plurimi facere, ceu rem à Deo institutam uenerari & pro diuino beneficio, pro re diuina, sancta, utili & necessaria agnoscere, amare & laudare. Honorare est morem gerere aut obedire & obedire quidem, tanquam ipsi Deo, à quo præceptam ac cui acceptam esse nouimus nostram obedientiam. Alioqui parentibus non est aut imitatione aut obedientia obtemperandum. Nam posteriora præcepta referuntur ad priora. At in secundo didicimus Deū iniquitatē patrū requirere in filijs, iccirco minime parendū parentibus præcipientibus contra Deū & contra legem Dei. Non obediebat Ionathan patri suo Saulo persecutionē mandanti contra Dauidem: ac laudē inde adeptus est in sacris literis maximā. Tres Danielis socij Nabuchodonosori obtemperabant per omnia, & amabant ipsum ac obseruabant ceu maximū & potentiss. imò & munificentiss. regem, cæterū præcipientē idololatriam tantum non contempserūt. Et S. Petr. qui docuit obedientiā & honorē quē debemus parentibus, & magistratui exhibere, præcipientibus principib. & patribus populi ne porro annunciaret populo Christū crucifixū, respondit, Oportere Deo plus obedire quā hominib. Sed quid multis hæc enumerō, cum dñs hæc & alia similia in hanc breuem cõcluserit sententiā: Si quis uenit ad me, nec odit patrē suū, aut matrē suam, & uxorē, & filios, & frares, & sorores, præterea autē & animā suam, non potest meus esse discipulus. Præterea honoras parentes cū nō contēnis, non negligis, cū te ipsorū nec piget nec pudet propter afflictā fortunā. Honoras parentes cum iuuas consilio & auxilio, cõfectos uidelicet diurna ætate, uel leuas inopia oppressos, uel iuuas alioqui laborantes. Hoc em̄ uere & proprie est parētes honorare teste & interprete ipso domino apud Mat̄ in cap. 15. consulere inquam parentibus & opitulari, eos tueri uel defendere, imò te totum adeoq; ipsam uitam eis impendere.

Iam quo plus lucis & euidentiæ habeant ista omnia, conferemus

DE PRÆCEPTO DECALOGI V.

De honore  
parentum.

aut applicabimus hunc honorem septem illis gradibus uel membris, ex quibus intelligat quisque quomodo debitum honorem parentibus patriæ magistratui & alijs supra memoratis impendat. Parentibus quia honorem debemus, certe magnifice de eis est sentiendum, quod à Deo nobis dati sunt, ut eos reueremur amemus & modis omnibus suspiciamus, idque propter dominum: qui certo contemnetur si pergamus parentes aspernari, & de ipsis sentire uulgariter. Nec interest digni ne an indigni sint, quibus honorem deferre iubet dominus. Nam qualescunque tandem sint, non tamen sine Dei prouidentia hunc locum assecuti sunt, cuius ratione ipse legislator eos honorari uoluit. Reuerentiam itaque & affectum filialem sonet quicquid lingua liberorum dixerit. Ex affectu & reuerentia tali obediant parentibus liberi. Si morosiores aut iniquiores uideantur, dissimulemus prudenter, & declinemus interim à malo in quod nos uidebantur impulsuri, & ita rem temperemus, ut quam minimū fieri potest offendamus parentes. Ionathas filius Saulis religiosissimus & piissimus sit nobis exemplum. Vidit is magno cum dolore & molestia furores contra Dauidem & iniuriam patris contra seipsum, tolerauit tamen dissimulauitque prudenter, alicubi etiam & in loco reprehendit, nullibi iniquitatem patris adiuuit, semper iusto & bonis adhæsit, pertinaciam patris deplorauit, uim uero inferre paranti patri, audacius non restitit, sed fuga sibi consuluit, interea nihilo minus dilexit patrem, orauit pro eius salute, ac in reliquis filium præstitit obsequentissimum. Hoc scilicet officium est pijs filijs. Hoc exemplū quilibet nostrum in obseruandis parentibus etiam duris & iniquis studiose imitari conabitur. Nemo asperius responderet, imò prorsus nullo modo responderet parentibus: nemo maledicat patri aut matri: nisi supremi & iustissimi Dei maledictionem certo reportare cupiat. Si pauperes sunt parentes, si deformes, si laborent uicijs, ne illuserit his quisquam, nemo nostrum contemnat. Ne simus ingrati erga optime meritos. Nutriamus, foueamus, iuueamus eos in omnibus, imò impendamus illis & nos ipsos & nostra omnia. Omnia enim nostra illorum sunt: omnia nostra ab illis habemus, sine quibus non uiueremus. Meminerimus quantopere hanc legem commendarit nobis apud Marth. dominus. Inspiciatur cap. 15. Meminerimus quid Gentibus fuerit *ἀντιμαρτυρία*, nimirum mutuam officij uicem rependere, maxime nutricandi fouendique eos à quibus aliquando fueris enutritus: ut cum liberi parentes ætate fessos uicissim alunt fouentque. Et extat lex apud Gentes pietatis magistra quæ edicit ut liberi parentes alant, aut uinciantur. Hanc legem quam multi mortales negligunt,

gligunt, sola Ciconia inter omnia animantium genera exprimit.

Siquidem reliqua tantisper amant agnoscūtq; parentes, dum egent illorum ad nutritionem opera: una ciconia parentes senecta defestos, uicissim alit, & uolandi impotentes, humeris gestat.

*Ciconia p̄is  
etatis sym-  
bolum.*

Extant apud Gentiles piæ & elegantes sententiæ de honorandis parentibus. Isocrates, Talem erga parentes te præsta, ait, quales se tibi tuos liberos exhibere optares. Anaximenes dixit, Ille sui genitoris apprimè amator est, qui operam dat ut parem sine ulla molestia plurimum exhilaret. Plato quoq; in Legibus putat eum ingentem

*Gentilium  
sententiæ de  
honorandis  
parentibus*

domi tenere thesaurum, quicumq; patrem uel matrem aut horum parentes senio confectos domi alit, nec alio simulachro in ædibus opus esse existimat, cum omne studium conuertere iubeat ad rite colendos parentes. Idem, Parentibus, inquit, uiuentibus debita omnium antiquissima prima & maxima persoluamus. Putare enim quisque debet omnia quæ possidet eorum esse, qui genuerunt & educarunt, ita ut hæc illis omnia pro uiribus ministrare debeat: primum quidem externa bona: deinde corporis: postremo quæ ad animum pertinent, hæc omnia uidelicet mutuo data persoluens, & pro curis doloribusq; præcis parentum in senecta recentes reddens, quando maxime indigent. In uerbis quin etiam per totam uitam parentes uenerari maxime decet. Leuium enim uolatiliumq; uerborum grauiissima imminet pœna. Nam omnibus proposita est Nemesis iudicij angelus horum omnium consideratrix. Oportet ergo iratis animumq; explentibus cedere, seu uerbis siue rebus id faciant, nō ignorantes patrem iure admodum filio succensere, si quando iniuriam sibi ab eo fieri arbitretur: Mortuis uero parentibus monumenta decentissima, sed temperanter tamē construamus. Hæc si seruabimus, præmia à dijs reportabimus maxima. Hæc Plato. Sanctus Hieronymus dicit, Matribus debitam impendite reuerentiam, quæ uobis utri labore seruientes, pondus uestri corporis tolerant, atq; ignotā portantes infantiam, famularum quendam exhibent nascituris. Illo tempore non sibi tantum mater esurit, nec acceptos sola digerit cibos. Materno uictu alitur & ille qui latet, eiusq; membra alterius comestione pascuntur ut homo futurus alienis morsibus saturetur. Quid ipsa memorem nutrimenta, & teneræ infantix dulces iniurias, quas nutritoris affectus de suis paruulis sumit: Quid cibos in matre confectos, qui femineis manantes ex membris lacteum soluuntur in succum, & fauces inualidas liquido sapore perfundunt: Cogente natura sumunt infantes de matre quod bibant, & dente non nato hoc sibi currentibus labris eliciunt quod non sit necesse mordere,

*Matris la-  
bores.*



DE PRÆCEPTO DECALOGI V.

Seruiunt materna posteris pectora, seruiūt ipsi incunabilis, manus & terga membris deuota lactentiū gratos artus accipiūt. Optat mater paruulum crescere, optat cito uidere maiorē. His tot tantisq; præcedentibus factis, matri debet tota alacritate serui. Reddatur naturæ debitum, reddatur & posteris quod debetur. Exolue fili quod debes, & officia debita qualicunq; exhibe famulari. Quia parentibus nemo potest reddere quod debetur. Hæc ille.

*De honorā da patria.* Porro patriam quisq; suam merito magnificat, amat, prouehere cupit, ornatq; suis uirtutibus, iuuat omnigenis beneficijs, defendit ipsam strenue & pugnat pro ea fortissime, siquidem necesse sit ipsam asserere à latronibus. Quid est obsecro ciuitatis forma, ut ille dicebat, iucundius, in qua recte constituta est ecclesia, in qua legitime colitur Deus & obeditur (fide & dilectione, quantum scilicet gratiæ cōcesserit Deus) uerbo Dei in qua magistratus tuetur disciplinam & bonas & æquas leges, ciues obtemperant, sunt concordēs, habent suos cœtus ueræ religionis & iudiciorum causa, habent congressus honestissimos, in templis, in curia, in scholis, colunt uirtutem & literarum studia, quærunt uictum honestis artibus, quibus uita opus habet, cultura agrorū, mercatura, opificijs, educant liberos, beneficijs prosequuntur parentes, pauperes, peregrinos. Sunt ergo in hac repub.

*Pugnandū pro patria.* uirgines, nuptæ, pueri, senes, matronæ, uiduæ, pupilli. Si qui pro ingenio humano peccant contra leges, puniuntur, defenduntur innoxii, floret pax iustitia & humanitas. Quis aut̄ æquis & parientib. oculis uideat talem rēpub. patriā scilicet suā, uel à se ditio sis ciuibus, uel ab extrinsecis milite turbari, uexari, subuerti atq; discerpī? Seditio nibus uel bellis subuertuntur cum studijs omnes uirtutes, constuprantur uirgines & matronæ, afficiuntur contumelia senes, perit religio & omnis pietas. Ergo fortissimus militiæ imperator loab contra Syros pugnaturus pro patria, ad Abyssai fratrem suum dixit, Si fuerint Syri me ualidiores, opem mihi ferēs: sin filij Ammon tibi præualuerint, adero tibi auxilium laturus. Sis ergo fortis & pugnemus fortiter pro populo nostro & pro ciuitatibus Dei nostri. Dominus autē faciat quod bonū est in oculis suis. Iudas quoq; Machabæus uir in Israelitica gente clariss. bellator & in patriā suam piissimus, milites seu ciues suos ad pugnā contra hostes animans, Illi nos aggrediuntur, ait, copia, per iniuriā, ut nos cum uxoribus & liberis nostris delectant & deprædentur, nos autē pugnamus pro uita legibusq; nostris: ac Deus illos in conspectu nostro conficiet. Sed & ipsi ciues se mutuo adhortātes, clamāt, Submoueamus à populo nostro afflictionē hanc, & pro gente sacrisq; nostris dimicemus. Nec est quod quisquā nostrum

nostrū dicat hæc esse opera legalia, quæ nihil ad nos qui in ecclesia Christi sumus, pertineant. Nam apost. Paulus de fide Christiana loquens ad Hebr. Isti per fidem, inquit, expugnaverunt regna, operati sunt iustitiam, effecti sunt robusti in bello, incursiones auerterunt exterrorū. Proinde cum eadem uiriscq; sit fides, licet nobis quoq; iusto bello ueri patriam, religionē, uirgines, senes, uxores, liberos, libertatem & facultates. Impij sunt in patriā & peccant contra hoc præceptum qui prætextu fidei deserunt bello afflictā patriā, nec asserunt à barbaris exterisq; nationibus aut militibus, uita in ipsum mortis præsentissimū periculum profusa. Beatus Ioānes, Per hoc cognouimus charitatem, ait, quoniā ille animam suā pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Milites mercenarij qui iniquam pro stipendio militiam sequuntur, uenalia habentes corpora sua, iudicabunt ciues desertores patriæ. Nam animas suas deponūt propter pauculos aliquot coronatos: quas ciues molliculi & effæminati uel periclitari nolunt pro religione magistratu uxoribus liberis & uniuersa facultate sua. Quid oro dicent patriæ desertores in die illa, qua rependet dominus & pijs & impijs in patriam, cum uiderint se longe uinci à Gentilibus uirtute? Currius Romanus adolescens nobilissimus, in hiato fori ingentem sese præcipitē dedit, ut sua morte spontanea seruaret patriam. P. Decius pater & P. Decius filius deuouerunt capita sua pro salute reipubl, ac fortiter occubuerunt amore patriæ. Codrus rex Atheniensium pijsissimus, cū ex oraculo Apollinis intellexisset Athenas non posse seruari, nisi morte regis, ac hostes ea de causa præcepissent, ne quis corpus regis uulneret, deposuit Codrus cultum regium & uulgariter uestitus irruit in hostes, atque quendam ex ijs in cædem suam compulit. Phileni fratres patriæ quam uitæ suæ longiores terminos esse maluerūt, ideoq; uiuos se terra obrui passi sunt. Quid uero nos pro salute & incolumitate patriæ sustinemus? Hierocles, Est patria, ait, uelut alter quidam Deus & primus maximusq; parens. Quare qui nomen ei imposuit, à re ipsa non temere patriam appellauit, uocabulo quidem à patre deducto, pronunciato tamen scæminina terminatione, ut ex utroque parente mixtum esset. Atque hæc ratio insinuat patriam unam ex æquo duobus parentibus colendam esse: & cum præferat honorem patriæ ne simul quidem parentes ambos maioris fieri concedit, sed æquali honore dignatur.

Orandum est præterea sedulo pro incolumitate patriæ. Babylon non erat Iudæorum patria, sed quia ad spaciū septuaginta annos

Hebr. 12.

2. Cor. 4.

1. Ioan. 4.

Pijs in patriam.

Orandum pro patria.

DE PRAECEPTO DECALOGI V.

rum, propter peccata, à Deo, in Babylonem relegati erant Iudæi, Ba-  
bylon reparabatur iam pro patria. Ideoq; Ieremias, Aedificate do-  
mos, ait, & inhabitate, plantate hortos & comedite fructus eorum.  
Ducite uxores & generate filios & filias, ac ipsis filijs & filiabus da-  
bitis coniuges, ut generent liberos. Quærite pacem eius ciuitatis, ad  
quam ego uos transtuli, & orate dominum pro ea, quoniam uestra  
pax & incolumitas coniuncta est cum illius pace. Cap. 29. Grauis-  
sime ergo peccant patriæ proditores, quos leges propter sceleris atro-  
cem enormitatem in partes dissecant.

De honorã  
do magi-  
stratu.

De Magistratu dicemus aliàs : quantum uero præfenti loco satis  
fuerit, dicit sanctus Petrus, Deum timere, regem honorate. Agnosca-  
mus ergo magistratum à Deo ad utilitatem hominum esse ordina-  
tum, ac Deum per magistratum nobis conferre maxima beneficia.  
Vigilant pro repub. principes, si functioni suæ uerè respondent ac  
non sint tyranni, iudicant populum, dirimunt lites, iustitiam cog-  
seruant, plectunt noxtios, uentur innocentes, pugnant pro populo.  
Et propter excellentiam sui muneris & summi & maxime necessa-  
rij, Deus ipse suum nomen magistratui cõmunicat, appellans prin-  
cipes aut senatores deos, ut uel ipsa appellatione ipsi admoneantur  
sui officij, & subditi discant ipsos reuereri. Deus bonus est, iustus, æ-  
quus, personam non accipit nec munera, Talis sit oportet & bonus  
iudex aut magistratus Anachoretæ & Monachi laudarunt instituo-  
rum suum, ac tantum non supra astra hoc extulerunt: ego uero iudico  
plus esse uerarum uirtutum in uno uiro politico magistratum  
gerente ac rite suo defungente officio, quam in multis chiliadibus  
& optimorũ anachoretarum, qui præterea suæ uocationis & institu-  
ti nullum habent expressum Dei uerbum: ut pigeat me sanctissimũ  
magistratum contulisse cum his qui nihil habent cum illis conferen-  
dum: imò labores & ordinationem Dei utilem fugiunt. Certe si  
princeps ex fide suum faciat officium in repub. ingentem sibi coar-  
ceruat uere honorum operum cumulum, & laudem sempiternam.  
Ergo obediendum est magistratui & legibus eius æquis & bonis.  
Nulla est commouenda contra ipsum seditio. Magistratui non ma-  
ledicendum: uel ipso Deo in lege sua mandante & dicente, Dijs nõ  
maledices, & principem populi tui non execraberis. Sicubi peccau-  
erit, geramus nos erga ipsum tanquam erga patrem. De quo super-  
ius dixi.

Contra se-  
ditiosos.

Fit per frequentem ut Senatores bene uelint religioni, iustitiã pro-  
moueant publicam, leges defendant, honestati faueant, interim la-  
lorent suis uitijs imo sceleribus. Propter hæc autem non erunt à po-  
pulo

pulo contemnendi aut è gradu deſcendi. Habuit David ſua uitia, alioqui optimus princeps. Suo adulterio plurimum incommoda- uit regno. Peccauit tamè grauitè Abſolon qui ipſum ſolio deturba- re uoluit. Ita ſunt in alijs principibus non pauca ſcelera, quæ tamen ad ſeditionem nõ commouent neq; commouere debent populum religioſum, modo ualeat nihilominus iuſtitia, bonæq; leges & pax publica defendantur. Orandum eſt ſedulo & ardentè pro magi- ſtratu. Iuuantus eſt à nobis conſilio & auxilio, quoties ipſa popo- ſcrit res. Non parcendum uel facultatibus uel noſtrorum ipſorum corporibus. Contulerunt in commune ſancti opes ſuas, magiſtras tum iuuantes, quoties incolumitas publica popoſcit. Pugnauerunt om- nibus ſæculis pro iudicibus & regibus atq; magiſtratus ſuis Iſ- raelitæ & omnes populi ſano uentis ſenſu ac iudicio. Pugnauerunt & principes pro populo uiciſſim. Illa itaq; pietatis officia ualeant et uigeant etiam hodie in omnibus regnis ciuitatibus & rebus publi- cis. Tribuat quæq; gens ſuo magiſtratu quod uel lege uel ex con- ſuetudine aut propter neceſſitatem debet. Paulus enim apoſtolus, Reddite, inquit, omnibus quod debetis, cui tributum tributum, cui ueſtigal ueſtigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, Roma, 13.

Tutores quoniam ſucceſſerunt in locum parentum, & officia pa- De honorã  
rentum defunctorum præſtant liberis, merentur certe debitam pa- dis Tutori-  
rentibus gratiam, uidelicet amorem, reuerentiam, gratitudinem bus ac ma-  
& obedientiam. Ita ferè iudico de opificibus & artiſiciorum magi- giſtris ar-  
ſtris, qui ut patris animum, amorem, ſtudium, fidem & diligentiam tium.  
erga diſcipulum ſuſcipere debent, ita hic merito magiſtrum ſuſcipit  
ueneratur metuit & audit ut patrem. Cæterum eſt hic deteſtanda in Officium  
magiſtris negligentia, ſed & non ferenda in diſcipulis proteruita & magiſtrorũ  
barbaries. Diſcant ergo in præſentiarum magiſtri patres eſſe, nec ali- et diſcipu-  
ter erga diſcipulos affecti, quàm erga ſuos ipſorum filios. Doceant lorum.  
artiſicium, inſtruant in moribus & omnibus uitæ partibus, diſcipu-  
los, ea diligentia & fide, qua uterentur erga filios proprios. Rur-  
ſus diſcant iuuenes infringere ingenitam barbariem, ac frenum inij-  
cere iuuenilibus cupiditatibus: diſcant humiliari, ſubefſe, ſilere, reue-  
reri, timere, amare & obedire. Agnoſcant ſibi magiſtros à Deo eſſe  
datos, ideoq; Deum contemni in magiſtris. Sint ergo diligentes ſe-  
duli & fideles in opere. Experiatur magiſter ſtudium & propenſam  
uoluntatem erga ipſum, erga artiſicium & erga præcepta artis. Me-  
ditetur quiſq; & exerceat opere diligenter, quod ore traditum eſt à  
magiſtro. Non parcatur uigilijs & laboribus. Si gratus fideliter do-

DE PRÆCEPTO DECALOGI V.

centi magistro, ut sapius roganti de modo agendi, dignetur fideliter indicare omnia. Ingratitudo & indiligentia discipuli, reddidit nunquam segnem magistrum. Per cetera time Deum, & sis religiosus. Foris ne misceare blasphemorum & luxuriosorum consortio, honeste te gerito, neminem laeseris, neminem contemneris, nulli maledicito, paci studeto, omnes honorato, omnibus prodesse contendito. Domi promoueto domini tui utilitatem, nihil damni uel ipsi uel rebus ipsius infero, si quis uel intulit uel inferre uoluerit, matre admoneto: occasiones rixarum aut malorum pro tua facultate sopito: quod domi audieris ne efferto, rursus quod foris audieris ne in domum importato. Sis taciturnus, pacificus, iustus, castus, abstinentis, temperans, uerax, & facilis ad quaelibet honesta & domestica seruitia. Caue tibi ab ijs ex quibus exoriuntur suspiciones malæ & noxiæ. Ne audacius contrectaueris magistri uel uxorem uel filias, aut etiam ancillas, ne colloquaris uel liberius uel secretò. Arbitrari, uti reuera res est, uxorem magistri tui matrem esse tuam, filias sorores. Has polluere est scelus grande & enorme. Sit iuuenum quisque mundus non sordidus, facilis, iustus ac cibi uulgaris, non palato delicato & moroso. Sed quid mulus? Imo pectore quisque adolescentum recondat retineatque iuuenum officium esse, castum se seruare ab omni immundicia, subesse non dominari, seruire omnibus, semper disscere, pauca loqui, nunquam quicquam insolentius iactare, non respiciere, multa uero pati & dissimulare.

*De honorandis ministris ecclesiarum.*

De honorandis ecclesiarum ministris qui sunt pastores doctores & patres populi Christiani, multa solent ab illis adferri, quibus gratius est dominium quam ministerium. Nos agnoscere debemus illos nobis esse datos à domino, & per illos nobis loqui dominum. De ijs loquor, qui non sua nobis adferunt somnia, sed uerbum ueritatis. De his enim dixit in euangelio dominus, Qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit. Proinde ministeriū quoque ipsum est à domino, per quod salutem nostram operatur dominus. Ideoque obediendum est ministris recte suo utentibus ministerio, bene de his sentiendum, amandi sunt, & pro eis assidue orandum est. Et cum ijs nobis seruiant spiritualia, iisdem non neganda est mensis corporea ac temporalis. Nam dignus est operarius mercede sua. Et si Romanorum præses apud Iudæos, apostolo Paulo non negauit auxilium contra Iudæorum atrocium conceptum & contra manifestam uim, certe Christianus magistratus nunquam negabit pijs Christi & ecclesiarum ministris defensionem. Huc iam pertinent S. Pauli testimonia. In 1. ad Thessal. cap. ult. Rogamus, inquit, uos fratres, ut agnoscatis

1. Cor. 9.

Math. 10.

Acto. 23.

24. 25.

agnoscatis eos qui laborant inter uos, & qui præsumunt uobis in domino & admonent uos, ut habeatis illos in summo pretio per charitatē, propter opus illorum, pacem habere cum illis. Idem ad Heb. Parete ijs qui præsumunt uobis, ait, & concedite: siquidem illi uigilant pro animabus uestris, tanquā rationē reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Nam id est inuile uobis, Etenim quanta calamitas & regnis & populis exoriatur ex cōtemptu uerbi Dei ac ministrorum, multa nos docere possunt exempla, illud in primis quod hisce uerbis describitur in ult. cap. 2. lib. Paralip. Misit dominus deus patrū eorū ad eos mane surgendo, & nuncios suos mittendo, quoniam parcere cupiebat populo suo atque habitaculo suo. At illi substantabant nuncios Dei, & contēnebant uerba eius, illudentes prophetis eius, donec ascenderet furor domini contra populū suū, & donec nullū esset remediū. His congruunt per omnia, uerba saluatoris nostri in euangelio dicentis, Mitto ad uos prophetas & sapientes, quorum aliquot flagellabitis & occidetis, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti usque ad sanguinē Zachariæ filij Barachiz, quem occidistis inter templum et altare. Et reliqua. Notus est enim charitati uestre locus, qui extat Matth. 23. Cauendū ergo modis omnibus ne contemnamus Deum loquentem nobis in uerbo suo per seruos suos prophetas.

Cōemptus  
ministrorū  
uerbi.

Consanguineis & affinis debemus iuxta hoc præceptū amorem, reuerentiam, auxilium, consolationem & omnem denique humanitatem. Damnantur hoc præcepto sicut & apostolicis scriptis *ἀσποστοί*, qui uidelicet nullo erga suos naturali affectu commouentur. Est naturalis quædam affectio, beneuolentia, amor & commiseratio (quæ scriptura uiscera uocat) in patre & matre erga liberos, in fratre erga fratrem, in consanguineo aut affine erga consanguineū & affinem. Egregia sunt nobis in scripturis exempla proposita in Abrahamo paternis uisceribus amante filium Isaac, in Iosepho item diligente patrem Iacob, & fratres suos, præsertim autem uterinum fratrem Benjamin. Habent egregium, quod socrus & nurus imitentur, exemplum in Noemi & Ruth. Ferè odiunt se mutuo socrus & nurus, unde multa mala deriuantur in familias. Discant ergo ex lepido illo exemplo, quomodo se gerant utraq; ex parte. Reputet socrus nurum esse filiam, uti reuera est: nurus socrum colat & reuereatur ueluti matrem. Vtrinque permulta dissimulanda, multa boni consulenda & benigne perferenda. Condonanda multa, nec cedendus locus garrulis obrectatoribus atque suspicionibus prauis. Eximius thesaurus est familiæ concordia: malū in explicabile

De honorā  
dis consan-  
guineis &  
affinis.

DE PRÆCEPTO DECALOGI V.

⁂ & perniciosissimum discordia domus. De beneficijs & honore exhibendo nepotibus notus est locus Pauli 1. Timoth. 5.

*De honorā  
dis senibus.* Postremo extat etiam peculiaris lex in uerbo Dei de senibus honorandis præcipiens surgere coram cano capite. Honorandi ergo sunt senes, quos merito magni facimus, agnoscetes in ipsis Dei beneficium non uulgare, longæuitatem, & quod diuturna omnium rerum experientia multam sibi sapientiam & prudentiam comparant, unde nos suis possunt iuuare consilijs. Laudandi sunt itaq; , ut omnes intelligant & prædicent canos esse coronam gloriæ. Præterea si desint senio confectis facultates, nostra copia ipsorum debet subleuare inopiam. Breuiter non negabimus ulla senibus officia humanitatis. Simili ratione cōmendantur hic nobis uiduæ, orphani, pupilli, pauperes, peregrini, ægrotantes & calamitosi. Ideo autem quondam contulere opes liberaliter homines pij & beneficii, ne quid rerum necessariorum deesset senibus, uiduis, pupillis & pauperibus. Appellantur ea bona hodie Facultates ecclesiasticæ: quæ haud dubie recte dispensantur, si cesserint his, quibus donatæ sunt. In legibus Cæsarum uidere licet quondam publicas ædes & opes, singulis hominum egentium generibus, fuisse extractas atq; destinatas. Nam mentio fit Orphanotrophiorum, Gerontocomiorum, Prochorotrophiorum, Nosocomiorum, & Brephotrophiorum. Hodie sunt persunt nobis Cænobia & Hospitalia, quorum pleraq; singulis illis, nempe orphanis, senibus, pauperibus languentibus seu ægrotantibus & infantibus peculiaria habent destinata loca. Inexpiable peccatum committit, quicumq; opes & loca senibus & pauperibus consecrata, alijs usibus dedicant, atq; alienis esurientibusq; senibus & pauperibus, luxu opes pauperum prodigunt. Et hæcenus quidem docuimus quomodo parentes, & illi qui sub patrum nomine comprehenduntur, honorandi sint.

*Promissio  
facta pijs  
parentum  
cultoribus,  
& minæ cō  
tra impios  
parentum  
contempto  
res.* Restat tertium & ultimum ut inspiciamus quid promittat dominus cultoribus pijs parentum, unde mox colligamus quid mali immineat impijs parentum contemptoribus. Dominus ergo in lege dicit, Ut sis longæuus super terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi. Sensus est, Honora patrem & matrem, quo per longum uitæ spacium frui tibi diu liceat ea terræ possessione, quæ tibi futura est in gratiæ meæ testimonium. Hæc proprie ad Iudæos pertinent. Cæterum optime & uerissime scribitur in hunc locum à pijsimo quodam Christi seruo, Quia tota terra fidelibus benedicta est, præsentem uirā inter Dei benedictiones merito reponimus: quare ad nos similiter spectat ista promissio, quatenus scilicet diuinę beneuolentiæ documentum

mentū nobis est presentis uitæ duratio. Certè promittit pijs parentū  
 cultoribus in quavis terra habitantibus omnimodam benedictionē  
 & felicitatem copiamq; rerum temporalium, cum uitæ iucunda dñi  
 turnitate. Apostolus enim Paulus hæc interpretans Ephes. 5. cap. Ut  
 bene tibi sit, inquit, & sis longæuus in terra: quamlibet uicq; signifi-  
 cans, & benedictionem domini temporalem promittens. Colligi-  
 mus ergo diuersa minari & irrogari impijs parentum contempto-  
 ribus. Exemplis & alijs scripturæ locis hæc reddentur illustriora.  
 Cham maledictionem accepit à patre Noe quod parum reuerenter  
 sese gessisset erga patrem ebrium licet. Ioseph fit princeps Aegypti,  
 quod à puero in Deum pius, magnificaret & magno honore pro-  
 sequeretur patrem suum Iacob. Solomon Prouerbiorum 17. clamat,  
 Non recedet malum à domo ingrati. Item, Contumelijs afficiēs pa-  
 trem & contemnens senectam matris suæ, confundetur & in oppro-  
 prijs erit. Filius derelinquens custodire disciplinam patris, medita-  
 bitur sermones malitiæ. Maledicenti patri & matri extinguetur lu-  
 men, & pupillæ oculorum eius uidebunt tenebras. Nam monstra  
 non homines sunt, qui impij sunt in parentes, præsertim illi qui nõ  
 modo negligunt aut contemnunt, sed etiam feriunt aut alioqui ma-  
 le tractant parentes. Hos trucidari iubet dominus, ut beneficio lucis  
 indignos qui non recognoscunt quorum opera in illam peruener-  
 rint. Qui maledixerit patri aut matri, ait dominus, morte moriatur.  
 Et iterum, Qui percusserit patrem suū aut matrem suam, morte mo-  
 riatur. Notissima est omnibus lex Pompeia lata contra parricidas.  
 Præstat hic quoq; audire Gentilium iudicia. **Homerus,**  
 Nec nuricandi officium genitoribus unquam  
 Perfoluit charis, breue at illi conigit æuum.  
 Et antiquissimus poeta Orpheus canit,  
 Iuppiter inspicit illos qui colunt iura parentum,  
 Et qui negligunt præ animi impudentia.  
 Ac illis quidem benignus & mitis bona largitur,  
 His uero infensus indignatur per furias.  
 Sunt enim uehementes in terra parentum furia.  
 Iam & Euripides tragicus dicit,  
 Quisquis in uita sua parentes colit,  
 Hic & uiuus & defunctus dijs charus est.  
 Sed & Menander Comicus dixit,  
 Cum parentibus causam agens aut litigans insanis o miser.  
 Parentes magnum sunt numen prudentibus.  
 Vergilius inier immania scelera quæ apud inferos horrendū pu



DE PRÆCEPTO DECALOGI V.

niuntur æternis & infandis pœnis, & hæc commemorat,  
 Hic quibus inuisi fratres, dum uita manebat,  
 Pulsatusue parens, Et mox,  
 Vendidit hic auro patriam dominumq; potentem  
 Imposuit, fixit leges precio atq; refixit, &c. Cecinit in Odis  
 Flaccus, Dulce & decorum est pro patria mori. Silius Italicus,  
 Iamq; hoc ne dubites longæ ui nate parentis  
 Accipe, & æterno fixum sub pectore serua,  
 Succensere nephas patriæ, nec fœdior ulla  
 Culpa sub extremas fertur mortalibus umbras.  
 Sic docuere senes, &c.

Hæc testimonia non frustra commemoro, ut ex his colligat C. V.  
 sceleris huius atrocitatem, quod usque adeo grauius ipsæ etiam Gen-  
 tes accusauerunt atq; condemnarunt. Occidit Caim fratrem suum  
 Abelum, sed perpetuam sibi ineluibilemq; ea re ignominiam contra-  
 xit adeoq; inuisit, Coniugia intoleranda coniecit in Dauidem ordi-  
 nariū suum magistratū Semei, sed commeritas pendit pœnas. Sedu-  
 tiosus & impius est Absolon in patrem Dauidem, sed crinibus im-  
 plicatus arbori, confoditur horribiliter pendens inter cælū & terram.  
 Occisores prophetarū nuncupauit dominus progeniem uiperarum  
 ac diaboli filios. Si qui uero unquam cōtumelia senes aufererunt &  
 conturbauerunt uiduas, non impune tulerunt. Clamat enim in lege  
 Exod. 22. dominus, Viduam & pupillum non affliges. Si uero affligere eos  
 pergatis, indubie ad me clamabunt & ego certissime exaudiam eos:  
 & indignabitur furor meus percutiamq; uos gladio, & erunt uxo-  
 res uestre uiduæ, & filij uestri pupilli, Sed hæc hæctenus.

S. Paulus hanc domini legem producens in epist. ad Ephes. pul-  
 chre accommodat nostræ eruditioni. Dicit enim, Filij obedite parenti-  
 bus uestris in domino. Nam id est iustū. Honora patrē tuum & ma-  
 trem: quod est præceptū primū in promissione, ut bene tibi sit & sis  
 longæuus in terra. Patres ne prouocetis ad iram liberos uestros, sed  
 educetis eos per eruditionem & correptionem domini. His præscri-  
 bit tam parentibus quam liberis suum officium. Tria requirit à pa-  
 rentibus, ut educant liberos, erudiant & corripiant. Parentum est e-  
 nim liberos nutrire & alere siue educare, ac ad iustam usq; prouche-  
 re ætatē, qua iam non sumptibus & cura parentū, sed absoluti iam  
 ex proprijs uiuant laboribus. Parentū est erudire & recte instituere  
 liberos. Eruditio seu institutio illa uersatur in tribus, in religione, in  
 moribus, & in artificio.

Iam quod religionem attinet, habet ipsa inita quædam rudimen-  
 ta in

ta inquam seu Catechesin, habet deinde scripturas tradentes uerbu *Institutio*  
 Dei, & pleniorē omnium rerum diuinaru expositionem: habet item *in religione*  
 mysteria signa sacra seu sacramenta. Si pater familias uersatur in po-  
 pulo, qui ueram religionē colit & cultum Dei legitimū & ueros fi-  
 deles & religiosos Christi ministros doctoresq; habet, curet ut liberi  
 eant in cœtus sacros, & discant ex doctore ecclesiastico religionem.  
 Nihilominus requirat domi à liberis quid didicerint in concione  
 sacra. Addant patres & matres domi priuatā suam operam, doceant  
 liberos præcepta Dei, doceant symbolum apostoloru, doceant ora-  
 tionem dominicā, tradant breuem & certam ex scripturis rationē de  
 sacramentis. Exerceant frequenter cum liberis catechismū, inserant  
 sententias maxime necessarias de fide & officijs uitæ. Cæteru si pa-  
 ter familias in populo uersetur, qui persequitur fidem & doctrinam *Consilium*  
 Christianam & cultus Dei legitimus odit, nec cœtus sacros, nec mi- *pro patrib.*  
 stros Christi ueros agnoscit: ut sit in captiuitatibus Turcicis ac perse *familias in*  
 cutionibus nostri seculi grauib, cauebit sibi ab idololatria, neq; ac *captiuitate*  
 cederet ipse ad prophanos cœtus neq; familiam suam accedere sinat, *detentis.*  
 sed domi suæ potius in uera religione instituat: primū quidē in Ca-  
 techesi, deinde in perfectiore theologia. Præter hæc quouies res & u-  
 sus postulauerit, palam et libere confiteatur Christum & euangeliū.  
 Tales enim ecclesias in domibus magnaru urbium tempore aposto-  
 loru & in grauib illis persecutionibus antiquis fuisse apparet ex  
 epistolis apost. Pauli & historijs. Nec uerisimile est Iudæos in capti-  
 uitate Babylonica, ut maxime externū sacrificiū non habuerint, om-  
 ni profus cultu caruisse. Daniel tamen nō sacrificauit, adorauit ta-  
 mē certis horis interdium in edib. suis proprijs. Domus Cornelij apud  
 Cæsareā ecclesia erat in qua Petrus prædicabat in cœtu uere ecclesia  
 stico: ac ipse dū Ioppe templū non haberet in quo oraret, ascendit  
 in superiora domus. Neq; dubiū est quin ecclesiā instituerit in Aethy-  
 opia princeps ille eunuchus Candaces reginæ, cuius mentio fit in  
 Actis apost. Meminerint qui usu publico legitimorū sacramentoru  
 carē, sibi nō esse fraudi aut reputari pro culpa, q; nō proprio, sed alie  
 no delicto cōmittitur. Quanq; & in hac causa possit dñs suis salubre  
 inspirare consiliū. Cæteru ubi per domini gratiā licet publicos cœtus  
 sacros celebrare, & liberam apertā & ueram prædicationē euangelij  
 audire, deniq; sacramētis Christi participare, tū desinūt priuatæ illæ  
 ac domesticæ ecclesiæ: nō q; domus pij patris familias nō sit ac mane-  
 at semp ecclesia, sed q; auscultatio uerbi Dei, preces, & celebratio sa-  
 cramentoru publica & omnib. sanctis cōmunis esse debeat. Merito  
 em̄ damnatur anabaptistarū & omnium sectariorū futiua cōuenticula.

*Præcepta  
Dei de eru  
diendis li  
beris.*

Audiamus nunc etiam scripturarum testimonia, quæ præcipiunt omnibus patribus familias, familiam suam sancte instituunt in uera religione, adde & explanent liberis sacramentorum rationem. Deut. 6. dicit Moses, Audi Israel dominus Deus noster Deus unus est. Diliges itaque dominum Deum tuum toto corde tuo & tota anima tua & tota uirtute tua, Sintque uerba ista quæ ego tibi hodie præcipio in corde tuo. Et inculcabis ea filiis tuis: & loqueris de eis cum dormit & cum uigilat, & cum in uia incedis, cum cubitum uadis & cum surgis. Ligabis denique ea in signum ad manum tuam, eruntque monumenta inter oculos tuos. Scribes quoque ea super postes domus tuæ & in portis tuis. Et iterum, Cum interrogauerit te posterioribus temporibus filius tuus, & dixerit, Quid sibi uolunt hæc testimonia ritus & iudicia quæ præcepit nobis dominus Deus noster? respondebis filio tuo, Serui fuimus Pharaonis in Aegypto: & eduxit nos dominus ex Aegypto manu ualida ediditque signa & portenta magna, idque nobis spectantibus, nosque eduxit illinc, & dedit nobis omnia præcepta & statuta hæc ut faceremus, & timeremus dominum Deum nostrum. Huc pertinent multa Psal. 79. Exodi 13, iterum dicit dominus, Sanctifica mihi omne primogenitum. Cumque interrogarit te posteris seculis filius tuus dicens, Quid hoc? Dices ad eum, Dominus interfecit omne primogenitum Aegypti, & iccirco ego sacrifico domino omne primogenitum masculinum. Rursus in 12. cap. exponens dominus uel Moses domini nomine mysterium uel sacramentum Pasche inter alia dicit, Cum dixerint uobis filij uestri, quæ est ista religio? dicens, Victimam transitus domini est, quando transiit super domos filiorum Israel, &c. Testimonia hæc clara sunt, nec ulla indigent expositione ne operosiore. Addamus ergo his alia quæ parens doceat liberos.

*Erudiat pa  
ter in mori  
bus.*

Erudiat in moribus. Agrestes ferè nascimur, & barbaris siue incultis sunt moribus pueri omnes: quod malum conduplicatur assuetudine & consortio rustico. Mature itaque formet parens pueri mores, qui ipsum domi & foris ornent. Tradat quomodo se in cessu, corporis motu ac habitu, quomodo se in templo, in foro, ad mensam, in hominum frequentia omnibusque locis decenter gerat. Extant ea de re elegantes libelli, ut nihil uobis opus sit meis præceptionibus.

*Doceat pa  
ter artifices  
uum.*

Postremo tradat parens liberos fidiis & peritis artificibus aut operariis, qui ipsos doceant artem aliquam manuariam, qua sibi uisum aliquando quærant ac parent. Prius tamen exploranda sunt ingenia, quæ quibus idonea sint artibus ac delectentur. Nam inuita Minerua nihil feliciter profeceris. Si quos habeas literarum studijs idoneos, piissime facies consecrando tales ministerijs ecclesie seu scholæ.

seu scholæ. Illi uero uituperandi sunt parentes, qui liberos educant in ocio altissimo. Tamen enim auri aceruos ingentes ipsis relinquunt, perire tamen & diripi possunt opes amplissimæ pauculis horis. Quo tunc confugiet miser tellurisq; inutile pondus? Massilienses non recipiebant in ciuiam numerum, qui non didicisset artificium. Nam ciue perditio nihil est urbibus pestilentius. Quis autem magis perditus ciuis censeatur quam is qui otio assuetus delicijsq;, modo autem his per repentinum aut inopinatum casum aut per luxum destitutus, ac in summa constitutus inopia, iniustissimas planctus seditionosus animo suo rationes alias opes acquirendi uersat. Præterea usurpata est apud ueteres parcœmia omnibus parētibus obseruatu dignissima, Artem quæ uis alie terra. Ea sententia significatū est certissimum uaticum esse eruditionem aut artificium aliquod. Nam hæc nec eripi possunt à latronibus, & quocunq; terrarum ab eas, te comitantur, nihil adferentia sarcinæ. Ergo si fortuna auferat liberis tuis opes relictas, si docuisti eos artificium, tenent quo sibi uictum parent. Deiciuntur reges ex opibus maximis et dignitate regia, ut mirum non sit si inferiores regibus spolientur facultatibus suis, aut iubentur ire in exilium. Dionysius Syracusanus propter tyrānidem legitur exutus imperio. Sed qui rex fuerat Corinthum abiit, Corinthi ludum aperuit, ac pueros literas ac musicam docuit: qua re uictum sibi parauit. Miserrimus autem & deploratus fuisset, si nihil unquam didicisset, sed in regias duntaxat opes sperasset. Vana spes perdidisset illum. Nam periisset inedia. Hæc de eruditione.

Restat ut dicamus de Correctione. Consistit hæc partim in uerbis *De correptione.* partim in uerberibus. Vtraq; suum modum & rationem certam habeant, ne quid nimis. Admonitio quæ uerbis fit, non sit acerbior delicti merito. Sit grauis, sed non perpetua. Perpetua obiurgatio abit in contemptum. Inuenias item pueros apud quos plus efficias lenitate. Ac nisi laudem admisceas aliquando, bonitq; consulas res diligenter, etsi non plene aut feliciter expeditas, uidebis hos certo animos despondere. Neq; uero nimium oneris imponendum arbitror humeris iuuenum, et sponte onera ferentium. Verbera non infligantur nisi maximis de causis, neq; infligantur unquam ab irato patre, & infligantur moderate, ad emendationem non defectioem. Semper infideat animis parentum illud aureum Pauli dictum, Patres ne prouocetis ad iram liberos uestros. Sauiitia enim pereunt & optima ingenia. De moderata correctione loquens Solomon, Virga, inquit, & obiurgatio dat sapientiam, & puer sibi dimissus confundit matrem suam. Item, Castiga filium tuum & quietus eris, dabitq; delicias

*Indulgentia animæ tuæ.* Indulgentiam hæc uel paternam uel maternam condemnant: quæ multos corrumpit liberos. Non minus autem à patribus indulgentia peccatur quàm sæuitia. Heli in scripturis pessime audit propter indulgentiã nimiam, perit misere, & perdit secum perditos nebulones filios audacissimos atq; impijsimos. Quid quod Deut. 21. iubentur ipsi patres filios rebelles protrahere ad tribunal & ibi accusare capitaliter? Exemplo hoc aliàs sæuero uoluit Deus alios in officio retinere filios. Nã Deus est Deus salutis, non perditionis, adeo ut cum rebelles sua culpa pereunt, perditionẽ eam ipse conuertat ad salutem obedientium. Teneant ergo pectoribus suis patres hanc ex euangelio infixã sententiã, Non est uoluntas corã patre uestro celesti ut pereat unus de pusillis illis. Qui offenderit tales, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collũ eius ac demergatur in profundũ maris.

*De officio liberorum.* Porro de officio filiorum disputauimus iam ante ubi docuimus quomodo honorandi sint parentes. Paulus uno uerbo multa complexus, dicit, Filij obedite parentibus uestris in domino. Causam addit. Nam id iustum est. Rationem iterum subiungit. Nam Deus hoc præcepit. Agnoscant ergo liberi parentum uigiliã & labores educationi insumptos, ac grati rebusq; presentibus contenti sint. Cum erudiuntur à parentibus, discant sedulo, & sint religiosi Iacob, non prophani Esau. Discant asuescere bonis moribus. Discant artes libenter. Subijciant se correctioni. Ne irritent aut ad iram prouocent parentes. Eligant sua sponte magis quàm uerberibus & iurgijs adacti sapere & parere. Si paucula relinquunt liberis parentes decedentes, ne obloquantur defunctis. Docuit te artificium aut artem aliam quam parens, satis amplum reliquit patrimonium. Sed & frugalitas ac parsimonia magnum est uestigal. Instituit te sancte & pulchre in moribus in uera sapientia & religione pater, hæreditatem legauit longe opulentissimam. Quid enim sunt opes amplissimæ in manibus stulti & irreligiosi uiri relicte, quam gladius in manibus furiosi? Abunde opulentus es ex parentum hæreditate relicta, si pius es laboriosus diligens & probus. Diuturniores & beatiores sunt ferè opes nostro labore partæ quam ab alijs relicte.

Rursus sesquihoram in explicando hoc argumento de colendis parentibus insumpsimus, diutius quàm par erat charitatem uestram derinentes. Sed dabitur hoc studio & amor. Non nescio quàm necessariũ sit multis hoc argumentũ. Diutius ergo his inhæsi. Utilia enim et necessaria charitati uestræ nõ modo tradere sed etiam inculcare modis omnibus satago. Dominus cõcedat uobis omnibus uberrimã iacti feminis in corda uestra uerbi sui segetẽ. Oremus &c.

De secundo secundæ tabulæ præcepto quod ordine in Decalogo  
sexto est, Non occides. Item de Magistratu. SERMO VI.

**R**ECTE subiungitur authoritati & imperio iustitia & innocencia, muniturq; hac lege sexta pax & tranquillitas publica & priuata. Cumq; uita hominis excellentissimum illud sit in orbe, cui omnia alia, licet præstantissima, ancillantur, deniq; cum corpus hominis præcellat omnes alias dotes, naturali ordine sequitur præceptum sextum duabus duntaxat uocibus ab ipso deo sic proditum, **NON OCCIDES**. Hoc *Præceptum Dei s.* enim mandato præcipitur iustitia & innocencia, & cauetur ne quis alterius uel corpus uel uitam lædat, itaq; mandatur omnibus pax & tranquillitas.

Cæterum considerandi hic ueniunt gradus quibus peruenitur ad eadem, considerandæ & læssionis species atq; causæ. Dominus enim non prohibet duntaxat ipsam eadem, sed omnia ea ex quibus existit eades. Proinde prohibetur omnis prouocatio, prohibentur *Quæ prohibeantur hoc præcepto.* contumacia & iurgia, prohibetur contentio, ira & inuidia. Atq; hic habemus ipsum Christum dominum huius legis interpretem, dicentem apud Math. Audistis dictum esse antiquis, Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio. Quicumq; uero dixerit fratri suo Raca, obnoxius erit consilio. Quisquis autem dixerit Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Audis prohiberi iram, simul etiã contumacia & iurgia, imò omnes significationes animi commoti ad probra. Quid ergo faciendum? Redeundum cum eo quem offenderis in gratiam, ponendaq; simul omnis ira animi inuidiaq; nisi malis omnem tuum cultum quem Deo exhibes tibi in peccatum aut ad nihilum reputari, imò nisi malis condemnari. Sequitur enim in euangelio secundum Math. Itaq; si obtuleris munus tuum ad altare, & illuc recordatus fueris fratrem tuum habere aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum ante altare (loquitur illis quibus adhuc erat templum ara & holocaustum: nobis hodie alius est cultus) & abi priusq; reconciliare fratri tuo & tum ueniens offer munus tuum. Et iterum, Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcere conijciaris. Amen dico tibi, non exibis inde donec persolueris extremum quadrante. Quoniam uero huic sanæ domini doctrinæ paucim obtemperamus, ideo magnæ sunt inter homines turbæ. Minus quidem opum est obsequentibus, uerbo Dei, sed plus quietis & tranquillitatis.

Quid uero iucunditatis homini afferunt immensæ opes, cum quibus animi curas graues, turbas ingentes & impexas, nec quierem ullam unquam habeas? Proinde lex quæ suauem & tranquillam homini uitam tradere contendit, huiusmodi affectiones immodicas eius animo eximit, præsertim iram inuidiamque duo pestilentiissima in rebus humanis mala.

*De Ira.  
Seneca,*

De Ira non statui operosius in præsentî differere, sicuti ne de Inuidia quidem. De ira disputarunt multi uilissime. Est tamen ira, quæ non improbat scriptura sancta, adeo ut nisi quis irascatur, non sit futurus uir bonus. Bonus enim uir habet zelum Dei. Zelo diuino irascitur impietati & sceleribus hominum. Cuius quidem rei plurima habemus in sacris exempla. Et tendit hæc quidè ira magis in ipsum scelus, quam in personam scelus perpetrantem. Nihil enim in scelera sunt simul & odium & ira. Hæc damnatur cum ex corruptis oritur, a se festibus neque ulla habet causas iustas, sed iratus uel explet affectum, uel nocere aut nocere instituit ei cui iratus est. Grande est hoc malum & uberrima inexplicabilium malorum seges. Idcirco apostolus Christi suadet omnibus, ne ullum cedant iræ locum: quod si subierit animus & hæserit aliquantisper, ne adhærescere & radices agere sinamus. Irascimini & ne peccetis, ait, sol ne occidat super iram uestram, & ne cedatis locum diabolo. Hoc enim sentit apostolus, si contigerit irasci tamen ne peccetis, id est compefcite iram. Neque enim iubet apostolus nos irasci, sed iram non uult esse diurnam, neque ad iniuriam usque progredi. Ac *μαργαρως* (quo uocabulo usus est Paulus) iram quidem significat, sed magis commotionem & irritationem, ut intelligamus ei qui laceffitus est iniuria, etiamsi quid doleat, tamen eum dolorem breuem esse oportere: neque admittendum ullo modo ut pedem figat calumniator siue diabolus, qui hoc modo per iram sensum irrepit in animos, & ex ira diurna format inuidiam, per quam totum hominem omnes sensus & omnia dicta & facta occupat, & que peruerit.

*De Inuidia*

Inuidia enim est inueterata ira, quæ iam inuidentem ferè torquet urit & excarnificat magis quam eum cui inuidetur. Quamquam nunquam cesset ei cui inuidet machinare malum. Ingens est & implacabile malum. Ideoque Gentes id exagitarunt miris modis. Nec pigebit proferre quædam ex his, ut erubescant pseudochristiani tantum non inuidiæ addicti: si forte discant erubescere ab ipsis redarguitur ethnicis. Clamat Maro,  
Lauor tabificum malis uenenum

Inactis

Inactis uorat ossibus medullas,  
Et torum bibit artubus cruorem. Ergo Flaccus cecinit,

Inuidia Siculi non inuenere tyranni  
Maius tormentum. Exclamat Silius,

O dirum exitium mortalibus, o nihil unquam  
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes

Inuidia. Hanc describens Naso ait,

Videt intus edentem

Vipereas carnes uitiorum alimenta suorum.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,

Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno.

Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores.

Nec fruitur somno, uigilantibus excita curis:

Sed uidet ingratos intrabescitq; uidendo

Successus hominum carpitq; & carpitur una,

Suppliciumq; suum est.

Quacumq; progreditur florentia proterit arua

Exuritq; herbas, & summa papauera carpit.

Affiatq; suo populos urbesq; domosq;

Polluit.

Ergo cum tantum malum sit inuidia quam nobis prohibet do-  
minus, certe apparet ea in re, quam bonus sit dominus, quam bona  
& utilis sit lex eius, quæ cupit nos liberare à tantis malis. Videmus  
obiter & illud nostram esse culpam non Dei morositate, quod nul-  
li in hoc seculo nihil pacis aut quietis sentiunt, sed magis exercentur  
tormentis perpetuis. Nam ut inuidere alijs non desinunt, ita ira sua  
omnia conturbant scelerisq; sui commeritas luunt pœnas.

Prohibetur lege constringiturq; non tantum commotio animi *Omnis læ-*  
per indignationem iram & inuidiam, sed & lætio quæ ex illis ori- *sio prohibe-*  
tur. Lætio perficitur uarijs modis, uerberando, impellendo, proster- *tur.*  
nendo, trahendo diuexandoq;, tamen si ea afflictione proximo nul-  
lum inflixas uulnus. Grauius autem peccaueris si uulnus inflixeris  
quouis id modo instrumento ue inflixeris. Enormius adhuc pecca-  
ueris, si resecaris aut infregeris membrum aliquod corporis, si effo-  
deris oculos, si excusseris dentem. Ac increfcit quidem peccatum pro  
nobilitate membri amputati aut luxati. Vnde haud dubie Lex talio-  
nis originem trahit, præcipiens ei amputare manum qui alteri rese-  
cuit manum: ei eruere oculum, qui alteri effodit oculum.

Modus quoq; cædis non est omnino hic transeundus. Dicit do-



DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

*Quomodo occidere prohibeatur.*

minus, Ne occideris. Cædimus uel ipsimet uel per alios, palam uel occulte. Et huius quidem modi sunt uariæ rationes. Occidimus enim silentio, dissimulatione, consilio, approbatione seu consensu & auxilio, instigatione denique. Non faceret alius quod facit, nisi te haberet approbatorem, nisi sciret se facere rem tibi gratam, nisi tuo fulciretur auxilio. Tamen si ergo tua ipsius manu non occidas, perinde tamen alterius homicidium instigari à te reputabitur, ac si manu tua occidisses. Nec mirum cum Ioannes apostolus & euangelista odium appellauerit homicidium.

*Causæ cædicæ.*

Sed & causæ cædis uel damni dati perstringendæ sunt. Nam ex his increscit malum & sceleris enormitas. Homicidia fiunt, & datur malum proximo uel imprudentia quadam, uel malitia. Imprudentia fiunt, cum aliud instituenti fortuna quadam, aut potius diuina providentia, prouenit cædes. Veluti cum exonero in ceruicem, feram confecturus, bombardam, ac interim perfodio hominem quem ignorauit in eadem sylua ligna distindere: uel cum per errorem amico uenenum porrigo, cui statueram saluarem propinare medicinam.

*Asylum.*

Huiusmodi casibus parauit dominus asyla in lege & apud omnes gentes. Malitia proueniunt cædes, quando cupiditate priuata cæcatus alteri suas facultates eripere pergo ac remitentem occido. Eius generis sunt pleraque bella, præcipue autem latrocinia & parricidia. Vel certe cum propter acceptum ab altero damnum, cæde me uindico. Vel ira mihi ipsi ereptus, aut ebrietate captus cædo, quem aloqui & extra hunc affectum corruptissimum fore uerem atque amarem.

*Quantum scelus sit homicidium.*

Quantum uero scelus sit homicidium ex malitia profectum, præstat consequenter inspicere & expendere. Hæc enim consideratio rite pensculata efficiet proculdubio ut minus crebra sint homicidia & magis studeant singuli coherciti ira conseruare sanctam Dei imaginem. Pugnat recta & contumaciter cum ipso Deo æterno, qui salus & uita est mundi, ipsum homicidium. Homicidium enim ipsam Dei imaginem extinguit. Nam homo conditus est ad similitudinem & imaginem Dei. Quod si quis euerteret in foro statuam regis aut principis accusaretur læsæ maiestatis: quanto ergo crimine obnoxius fuerit, quisquis rationalem animale & uiuam Dei imaginem, ipsum hominem perdiderit? Legimus Theodosium Imperatorem statuisse ciuium Antiochenorum plurimos perimere, non aliam ob causam quam quod subuertissent Placillæ Augustæ statuam in foro. Cæterum Macedonium quendam heremitam Imperatoris accessisse legatos ac dixisse, O amici dicite imperatori

ratori, Non es imperator solummodo, sed etiam homo. Noli crudeliter Dei delere imaginem. Irritas creatorem cum illius deles imaginem. Considera illud etiam, quod tu æneæ duntaxat statuæ gratia contristaris. Quantum uero differat res inanimata ab animata uiuente & rationali, omnibus est apertissimum. Sed & facile erit pro una statua ærea plures reparare statuas æreas: impossibile autem fuerit unum peremptis capillum restituere. Deinde repugnat cædes naturæ humanæ. Homo enim sese fouet & caro se ipsam non destruit, sed conseruat potius & nutrit. Sumus autem unius massæ ac carnis, quotquot uiuimus homines: hominem ergo cedere repugnat naturæ humanæ. Præterea sunt omnes homines unius patris filij, eiusdem generis & propaginis, pugnat ergo cum ipsa humanitate homicidium, estq; pestis generis humani. Quid quod dominus & redemptor noster ab omnibus requirit charitatem & talem quæ sustineat mori pro proximo? Occidere itaq; proximum ex diametro pugnat cum religione Christiana. His accedit quod sanguis humanus per cædem effusus, ex terra in cælum clamat pro uindicta. Cain enim homicida audit, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Reuera enim sanguis effusus ipsam terram in quam effusus est polluit redditq; maledictam, nec repurgatur & placatur facile nisi prius noxium eorum bibat sanguinem qui effuderunt sanguinem innoxium. Postremo pariunt cædes inurantq; patroribus maculam aut ignominiam perpetuam, adde & perditionem sempiternam. Ideoq; Solomon in Prouerbijs suis, Fili mi, ait, si te lactauerint peccatores, ne consentias. Si dixerint, Veni nobiscum, insidias struemus sanguini; absconditi latitabimus contra infontem absq; causa. Deuorabimus eos uos instar inferorum, & integros quidem ut qui descendunt in fonteam. Omnis generis preciosas opes reperiemus, & implebimus præda domos nostras. Sortire tu nobiscum: unum erit omnibus nobis marsupium. Tu autem fili mi ne abeas cum eis in uiam: quin potius retrahito pedem tuum à semitis ipsorum. Pedes enim eorum ad malum currunt ac festinant ut effundant sanguinem. At Dauid, Virum sanguinarium, ait, & hypocritam abominatur dominus.

Excipitur ab hac lege magistratus à Deo ordinatus, quem ipse Deus occidere iubet, poenamq; intonat grauissimam, nisi occiderit quos iubet cædere. Lex ergo hæc sexta prohibet ne quis priuata autoritate cædat. Cæterum occidit magistratus Deo iubente uel cum iure damnatos propter maleficia cædit, uel cum professione suorum iustum & necessarium bellum suscipit.

Voces nū-  
lites.

Magistra-  
tus occidit

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

*Quomodo peccet occidendo magistratus.* Vtrobique tamen peccare possunt, idque modis duobus. Aut enim iure, id est iuris prætextu occidunt innoxios, nimirum ut libidini suæ, odio aut auaritiæ faciant satis: sicuti legitur Iesabel occidisse cum propheta domini iustissimum uirorum Naboth. Aut certe dimittunt peruersa quadam clementiæ, quos Deus cedere iusserat: sicuti peccasse leguntur Saul & Achab dimittendo sanguinarios reges, quos iusserat occidere dominus. Ac Solomon Prouer. 17. est iustus dominum ex æquo abominari tam eum qui scelestum absoluit, quam qui infontem damnat. In bellis uel inferendis uel depellendis peccant dupliciter hoc modo. Aut enim ipsi alijs inferunt bellum iniustum ac simul eidem suos implicant. Aut certe sinunt exteros hostes grassari in populum suæ fidei creditum: nec pro uirili sua aperta & iustissimam uim depellunt. Vtrunque peccatum est multijugum & inexpiabile. Legis itaque sanctos Israelis reges nullum bellum intulisse cuiquam, nisi iussisset dominus. Illi idem pugnaverunt pro suo populo, neque passi sunt abduci in captiuitatem miseris. Sic enim beatus pater Abraham persequitur quatuor illos reges imò deprædatores orientis, recuperans manu armata Lothum, res Lothi, & populum Sodomæ abductum. Ac suscipiuntur quidem huiusmodi bella propter pacem, uel recuperandam, uel confirmandam: ut huiusmodi magistratus hac de causa bellum gerentes reuera sint filij Dei, quia sunt pacifici. Omnes enim pacifici sunt filij Dei.

*De Magistratu.* Postulat autem hic locus & hoc argumentum ut dicamus de magistratu: id quod Deo iuuante faciemus, non omnia quidem quæ de ipso dici possunt proferentes, sed quæ uidebuntur proprie eius rationem explanare & maxime necessaria esse.

*Magistratus quid?* Vocabulum Magistratus inde est quod designat nobis magistrum populi, duces & imperatores. Potestas appellatur ob potestatem à Deo acceptam. Dominatio nuncupatur propter dominium concessum à domino in terra. Dominium exercentes dicuntur principes: præminent enim in populo: & Consules à consulendo: & reges ab imperando gubernando siue regendo. Officium est ergo magistratus & actio. Aristoteles finijit magistratum esse eundem legum. Plurarchus in eo libello quo ostendit in principe requiri doctrinam, inter alia, Principes ministri Dei sunt, inquit, ad curam & salutem hominum, uti bona quæ illis largitur partim distribuunt, partim seruent. Ex scripturis definiri potest Magistratus esse ordinatio seu actio diuina, qua procerum opera defensis bonis, coercitis autem malis, pietas, iustitia, honestas, pax & tranquillitas publica & priuata conseruatur. Vnde colligimus cultum esse Dei præesse reipublicæ & munia

munia exercere magistratus. Placet hoc Deo. Nam magistratus est res optima & feracissima multorum bonorum operum sicuti ostendi sermone proximo.

Species Magistratus tres sunt Monarchia, Aristocratia & Democra- *Species ma*  
 cratia. Monarchiam possumus appellare regnum in quo unus om- *gistratus.*  
 nia moderatur iustis & æquis legibus. Nā si neglecta iustitia & *Monarchia*  
 quitate pro sua libidine contra phas & ius omnia moderetur, Ty- *Tyrannis.*  
 rannus est, & potestas eius Tyrannis, uis inquam siue uolentia, re- *Aristocra-*  
 gni morbus ac uitium regno uelut oppositum. Aristocratia optima *tia.*  
 tum potentatus est, ubi optimi quicq; sanctissimi & iustissimi certo *tyrannide.*  
 numero electi, populo præsent. Nata est hæc ex tyrannide. Dum e- *tyrannide.*  
 nim homines uiderent non satis tutum esse uni uiro committere o- *tyrannide.*  
 mnia, pluribus & ijs quidem præstantissimis ea credidere. Cæterum *Olygar-*  
 dum optimates malis artibus emergunt ad imperium posthabitaq; *chia.*  
 repub. sua compendia sequuntur & quærunt, horum gubernatio *tyrannide.*  
 olygarchia non aristocratia dicenda est, nimirum paucorum uolen- *tyrannide.*  
 ta libido, non optimatum administratio æqua. Ita olygarchæ oppo- *tyrannide.*  
 nuntur optimatibus. Democratia respublica dici potest, cum impe- *Democra-*  
 rium siue potestas est apud uniuersum populum. Enata est hæc ex *tia.*  
 olygarchia. Cum enim uideret populus etiam optimates sua abuti *tyrannide.*  
 potestate ac degenerare in olygarchas, deiectis his, ipse sibi retinuit *tyrannide.*  
 imperium, per suffragia omnia moderaturus. Erumpit hæc in Sy- *Systemma*  
 stemma, hoc est in seditionem & conspirationem: dum uidelicet ne- *tyrannide.*  
 mo se patitur cogi in ordinem, quolibet sibi omnē potestatem uin- *tyrannide.*  
 dicante ex integro, eò quod sit portio populi, apud quem est sum- *tyrannide.*  
 ma potestas. Porro quæ nam ex illis speciebus uel generibus sit præ- *tyrannide.*  
 ferenda ut excellentissima, non est meum pronuntiare. Præulere *tyrannide.*  
 multi monarchiâ: sed addiderunt si princeps sit optimus. Id quod ra- *tyrannide.*  
 mē rarū est. Præterea qui sic pronunciarūt uixerunt sub principibus. *tyrannide.*  
 Atqui difficile est loqui contra louem. Certè paucos inuenies inter *tyrannide.*  
 multos Iudæ & Israelis reges bonos uel mediocres, ut appareat non *tyrannide.*  
 frustra suasisse dominum populo per Samuelem retineat aristocra- *tyrannide.*  
 tiam olim auctore Deo per Mosen & Iethro uiros in orbe sapien- *tyrannide.*  
 tissimos institutam. Interim nemo negauerit maxima cum pericu- *tyrannide.*  
 la tum incommoda esse ex aristocratia quoq; plura ex Democratia. *tyrannide.*  
 Sed tales sunt res hominum in hac corrupta carne, ut nihil sit omni *tyrannide.*  
 parte beatum, uideaturq; illud esse præstantissimum & optimum, *Obediendū*  
 quod etsi non alienum sit prorsus ab incommodis uitijq; , reliquis *magistras*  
 tamen collatum, minora pericula et pauciora mala habeat. Vt unq; *tyrannide.*  
 uero id habeat, apostoli Christi obtemperare nos iubent magistratui.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

tui, siue is rex sit siue senatus præstantissimorum uirorum. Paulus enim 3. cap. in epistola ad Titum, Admonero illos, inquit, ut principibus & potestatibus sint subditi, ut magistratibus pareant. Nam ad Romanos dicit, Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Rursus ad Timotheum, Adhortor, ait, ut deprecationes fiant pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis. Proinde si quis uiuat sub regno regi obediat, si sub republica cõsulis tribunis & magistris tribuum senatoribusq; pareat. Obediendum est enim magis ordinationi Dei, quàm curiosius disputandum de speciebus magistratus quæ nam ex his sit præstantior.

*Causæ  
origo magi  
stratus.*

Et necessarius est per omnia magistratus hominibus, atq; adeo necessarius, ut citra magistratus operam res mortalium feliciter subsistere nequeant. Nec legis res Israelitarum unquam æque malis fuisse obnoxias atq; cum ante Heli & post Samsonis gubernationem nullo regerentur magistratu, sed quisq; faceret quod sibi bonum esse uidebatur. Nascuntur enim omnes homines in philautia, ideo suas res quærunt, placent quæ ipsi faciunt, aliorum dicta & facta displicent, imò eo procedit cupiditas nostra praua & amor nostri pertinax, ut causis nostris licet pessimis ius prætexamus & iustitiam. Hoc qui negare pergat, hominis ingenium nunquam cognouit. Populus Israeliticus ex Aegypto liberatus uiderat prodigia stupenda, alebatur mirabiliter è cælo in deserto, uidebat in diem noua miracula, Sed audite fratres quid de populo sancto de populo hoc Dei, quem Deus appellat suum peculium, pronunciet mitissimus & patientissimus hominum Moses, Quomodo feram solus, ait ad populum, molestiam uestram & onus uestrum atq; lites uestras? Quid quod in sodalicio ueteris ac apostolicæ ecclesiæ coniunctissimo, inq; renatis ipsis sese carnis ingenium exeruit? Murmur enim Græcorum exortum est aduersus Hebræos, quod in ministerio quotidiano uiderentur negligentius curari ipsorum uiduæ. Corinthij etiam coram ethnicis iudicibus litigant, & eam ob rem acriter obiurgantur ab apostolo, iubente fideles deligere arbitros qui dirimant litigantes. Nemo ergo obijciat ueterem Israelis populum, populū fuisse se carnalem, nondum renatum. Videmus enim & in renatis remanere carnis reliquias, quæ se nunquam non, oblati occasionibus, exerunt & res pacatas implicant atq; conturbant. Non enim iam diuicam maiorem partem hominum carnem magis sectari quàm spiritum. Proinde Deus amator hominum & fautor conseruatorq; humanitatis & tranquillitatis societatisq; humanæ, medelam morbis illis

illis hominum grauibus adhibuit instituitq; ipsum inquam magi-  
 stratum, qui se medium iure & iustitia interponat inter litigantes,  
 qui iudicet dirimat litigantes, coherceat uim & affectiones, defen-  
 datq; innoxios. Quisquis hanc diuinam ordinationē, priusquā  
 homines angelicum recipiant ingeniu, e medio sustulerit, confusio-  
 nem rerum pariter omnium inducit, uolentisq; hominibus uires suffi-  
 cit opprimendi & extirpandi optimos quosq;. Certe ex his quæ has-  
 tetenus adduximus liquido claret magistratū à Deo esse institutū ad  
 tuitionem boni, & punitionē mali, id est ad bonū incolumitatemq; *Magistra-*  
 hominū. Quo iam illud pertinet quod ab initio rerū legitur magi- *tus à Deo*  
 stratus fuisse in orbe. Ad ea quoq; pertinent hæc scripturæ testimo- *ad bonū ho-*  
 nia. Moses in lege ipsos iudices appellat deos: & Iudicium hoc, in- *minum.*  
 quit, Dei est. Vnde & Iosaphat desumpsit quod iudicibus dicit, Dispi-  
 cite quid agatis: non enim homini iudicabitis, sed domino, qui uo-  
 biscum est in causis quas iudicatis: sit ergo metus domini in uobis,  
 &c. S. Petrus dicit obtemperandum esse magistratui propter domi-  
 num, à quo ille ordinatus sit ad laudem bonorū, metū uero malorū.  
 Sic & doctor Gentium Paulus, Non est potestas, inquit, nisi à Deo:  
 & quæ potestates sunt à Deo ordinatæ sunt. Et quisquis resisterit po-  
 testati, Dei ordinationi resistit: & qui resisterit, iudiciū sibi consciscit.  
 Nam principes non sunt terrori bene agentibus sed male. Dei enim  
 minister est tibi in bonum, ultor ad iram ei qui quod malum est se-  
 cerit. Ideoq; magistratus à Deo est, & actio eius bona, sancta, Deo be-  
 ne placens, iusta, utilis & necessaria hominibus, ipsi uero optima-  
 tes hoc munere recte fungentes sunt amici cultoresq; Dei & electa  
 organa Dei, per quæ Deus salutem hominum operatur. Exempla  
 sunt Adam, Patriarchæ omnes, ipse etiam pater noster Noe, Ioseph,  
 Moses, Iosue, Gedeon, Samuel, Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Da-  
 niel & multi alij post tēpora Christi magistratus munere fungētes.

Porro duplicis generis faciunt pleriq; magistratū, bonum uideli- *Magistra-*  
 cet & malum. Bonus est qui legitime ordinatus legitime suum fa- *tus bonus*  
 cit officium. Malus est qui malis artibus parauit sibi imperium idq; *& malus.*  
 pro sua libidine administrat. Interrogari autem solet, An magi- *An magi-*  
 stratus malus, hoc est tyrannicus sit à Deo? Respondeo Deum es- *stratus ma-*  
 se boni authorem non mali. Deus enim natura sua bonus est, & o- *lus à Deo.*  
 mnia Dei instituta sunt bona, ordinata ad incolumitatem et salutem  
 hominum, non ad perniciem. Ita magistratus bona & salutaris or-  
 dinatio haud dubie à Deo est, qui est author omnis boni.

Atqui hic oportet secernere ab officio & instituto Dei optimo  
 personam bono officio non respondentem. Ergo si in magistratu

reperitur malum, non bonum, propter quod institutus est, id alijs o-  
 ritur causis culpatis hæret in personis uel hominibus Deum negli-  
 gentibus & institutum bonum corruptentibus, non in Deo aut in  
 instituto Dei: uel enim princeps malus à diabolo seductus uias Dei  
 corrumpit, & suo uitio & malo præuariat ut mereatur nomen sa-  
 thanicæ non diuinæ potestatis. Videre hoc licet in magistratu Hiero-  
 solymitano. Quanquam enim principium suæ potestatis ad Mo-  
 sen usq; ascendendo, adeoq; ad ipsum Deum auctorem referre po-  
 tuisset, quia tamen saluatorem capit & uinculis in horto innodat,  
 audiunt ministri, Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus  
 cum quondam uobiscum fuerim in templo, nec extendistis manus  
 uestras in me. Sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarum. En  
 uocat ordinarium magistratum, sed potestate sua abuenientem, potes-  
 tatem diabolicam. Quid dici poterat clarius? Hæsit autem conuictum  
 in personis non in officio. Ita Romanum regnum ordinatum fuit  
 à Deo, sicut ex Danielis uisionibus manifeste apparet. Interim cum  
 in hoc regno non sine Deo regnaret Nero, non tamen ex Deo sed  
 ex diabolo facit quod rex & imperator, attamen contra boni regis  
 officium facit. Ex diabolo enim erat quod apostolos Christi suspen-  
 dit ac obruncauit & cruentam in ecclesiam Christi persecutionem  
 mouit. Ita sane nunquam oportet tyrannicam potestatem defendere  
 pro diuina. Nam tyrannica administratio diabolica est admi-  
 nistratio non diuina, & tyranni diaboli proprie non Dei serui sunt.  
 Vel certe populus aliquis meretur impijs suis factis habere non re-  
 gem, sed tyrannum. Sic iterum culpa reuoluitur in hominẽ peccan-  
 tem. Interim concedit regem dominus, ac facit regnare hypocritam.  
 Ita magistratus malus à Deo est, sicuti & seditiones & bella, pestes,  
 grando, pruina & aliæ hominum calamitates sunt à domino, uelut  
 pœnæ peccatorum scelerumq; irrogatæ à iusto domino, dicente, Da-  
 bo pueros principes eorum, & infantes imperitabunt eis. Quoniam  
 lingua & studium eorum contra dominum. Ad eum modum exci-  
 tauit dominus reges Assyriorum & Babyloniorum crudelissimos  
 contra urbem & gentem suam parum respondentem professioni  
 suæ.

*Consilium* Cæterum quali animo oporteat esse affectos subditos erga du-  
*pro oppres-* ros hosce & sæuos principes aut tyrannos discimus partim ex Da-  
*sis.* uidis, partim ex doctrina Ieremiæ & apostolorum. Dauid nõ igno-  
 rabat qualis erat Saul, impius & crudelis latro, fugit tamen: & cum  
 semel & iterum oblata esset occasio cædendi ipsum, non occidit, sed  
 pepercit tyranno imò coluit ut patrem. Ieremias orauit pro Ioakim  
 & Zede-

& Zedechia regibus nequam, & obtemperauit eis usq; ad religionem. Cum enim disseruimus de Honorandis parentibus per scripturas ostendimus impijs impiorum mandatis non oportere obedire. Neq; uero licet magistratibus quicquam statuere & facere contra legem naturæ ac diuinam. Iam quomodo apostoli se gesserint erga magistratum tyrannicum docent Acta apostolorum. Qui tyrannide premuntur, sed & opprimuntur à magistratu impio & scelera to contra ius & phas, hoc habeant pro se consilium. Cogitent primo qualia & quæta sint peccata idololatriæ & impuritatis quæ iram Dei punientem iam meruerunt. Deinde cogitent Deum flagella nõ retracturum nisi emendatis religionibus moribusq; corruptis. In primis est ergo instituenda & perficienda religionis iusta reformatio & morũ sancta emendatio. Præterea orandum est assidue ut oppressos dignetur dominus eripere & extrahere ex cæno malorum. Hoc enim consilij dedit oppressis ipse dominus apud Lucã in cap. 11. rs. promittens etiam certũ auxilium & liberationẽ præsentissimam. Quid autem & quomodo orent oppressi, exempla & formulæ extant Danielis 9. & Act. cap. 4. Inter hæc occurrat animis laborantibus quod apostolorum primarij Petrus & Paulus docuerunt. Ille dicit, 2. Pet. 2. Nouit dominus suos è tentatione eripere, sicuti & Lothum eripuit. Hic ait, Fidelis est Deus qui non sinet suos tentari supra id quod fer. 1. Cor. 10. re possunt, imò tentationibus etiam felicem concedet euentũ. Subrebat in animum captiuitas illa populi Dei, qua in Babylone detenti sunt annis septuaginta: & pulcherrima captiuorũ consolatio, quam contexit Isaias à cap. 40. usq; ad cap. 49. Cogitemus dominum esse & bonũ clementem & omnipotentẽ, unde facile nos liberare queat. Habet is uarias liberandi rationes. Curemus nos modo, ne impœnitens & turpis ac impia uita nostra uires addat tyrãnis. Dominus potest principum animos (sunt enim regum corda in manibus domini, ueluti riuus aquæ, quocũq; uoluerit inclinabit illa) derepente mutare, ut qui hætenus contra nos fuerunt crudelissimi, fiant protinus benigni & clementes: & qui ueram religionem persecuti sunt hætenus truculentissime, iam eandem amplectantur ardentissime & prouehant diligentissime. Aperta huius rei exempla habemus in historia Regum & Esdræ atq; Nehemiæ libris, item in prophetia Danielis. Nabuchodonosor qui igni fideles & constantes Dei martyres torcere delereq; statuerat propter ueram religionem, idem laudat mox Deum quod seruatos uideret martyres, ac ipse Deum & uerã religionem edictis promulgatis prædicat atq; propagat. Darius Afsueri filius sinit proijci Daniele in lacum leonum: sed protinus



extracto hoc, omnes Danielis hostes in eandem leonem caueam discerpandos concludit. Cyrus rex Persarum potentissimus iuuat ueram religionem: ita Darius Hystaspis, Artaxerxes cognominatus, modis omnibus populi Dei conatus religiosos in extruenda æde sacra & urbe adiuuat. Ne ergo dubitemus de Dei auxilio. Idem Deus tollit aut castigat aliquando tyrannos horribili & repentino aliquo morbo: quod Antiocho, Herodi magno & nepoti eius Herodi Agrippæ, Maxentio item & alijs hostibus Dei hominumque euernisse constat. Excitat aliquando heroes ac uiros fortes qui extinguant tyrannos & liberent Dei populum. Id quod frequens est in libris Iudicum & Regum. Porro ne quis ijs abutatur exemplis, obseruanda est in eis uocatio diuina. Eam si quis non habeat aut præuerat, plane nihil efficiet suo tyrannicidio, imo metuendum est ne malū con duplicet. Hæc hæctenus. Redimus iam ad intermissa.

*Tyrannicida.*

*De electione magistratus. Quorū sit deligere.*

*Quales eligendi: & forma boni magistratus.*

*Magistratus sit orthodoxus.*

Dicendum hic erit de Magistratus electione, principio quorū sit eligere & ordinare magistratū: deinde quos uel quales eligere conueniat: postremo quæ electos inaugurandi ratio. De eo autē quorū intersit eligere magistratū, nulla potest præscribi lex unica & certa. Alibi enim tota plebs eligit optimates. Alibi optimates deligunt optimates. Alibi etiam nascuntur principes. Neque hic censeo ullam esse turbā cōmouendā. Cuilibet enim regno & urbi merito relinquatur suus mos patrius, nisi omnino corruptissimus et intolerabilis sit. Vbi uero nascuntur principes, orādus est sedulo dominus, ut det optimos.

Cæterum quos uel quales eligere conueniat, ipse dominus hisce uerbis exposuit, Ex omni populo prospice & diligenter considerando delige uiros uirtutis, timentes Deum, uiros ueraces, odientes iniquitatem, & hos fac tribunos centuriones quinquagenarios & decuriones, qui iudicent populum omni tempore. Quatuor requirit dominus a senatore bono. Principio sit uir uirtutis roboris uel fortitudinis, id est qui facultates habeat ad efficiendum hoc, cuius rei gratia deligitur. Facultates illæ in animo potius quam corpore sitæ sunt. Requiritur enim ne sit fatuus, sed sapiens & rerum peritus. Ducis enim ædilis & aurigæ interest scire quomodo instruat aciem, quomodo extruat publica ædificia, aut regat curram. Deinde requiritur etiam animi fortitudo, ut quod nouit aufit. Vbi constantia & tolerantia opus est multa. Secundo loco ponitur quod reuera primum est omnium, Timeat Deum, sit religiosus, non superstitiosus. Nullus idololatra seruat rempublicam: perdit magis: & impij non propagant ueritatem & religionem, sed persequuntur & exterminant. Sit ergo noster ille uir orthodoxus, sanctæ fidei, qui credat uerbo Dei, ac

Dei, ac sciat Deum semper hominibus præsentem esse atq; adeo cui libet rependere pro meritis. Ideoq; Imperator Iustinianus in Nouelis Constit. 109, ingenue faterur omne suum præsidium esse à Deo, ideoq; conuenire ut legislationes ex eodem pendeant, Deinde subiungit, Omnes nouerunt quod qui ante nos imperium rexerunt, & maxime Leo piæ memoriæ & sacratissimus princeps Iustinus pater noster, in Constitutionibus suis in uniuersum omnibus hæreticis interdixerint, ne quã ipsi uel militiam capescerent, uel in publicis curis ullam cõmunionem haberent, quo minus occasione tum militiæ tum tractatione publicorũ negotiorum sanctæ catholicæ & apostolicæ Dei ecclesiæ partes uiderentur corrumpere. Et nos quoq; hoc ipsum fecimus. Hæc Imp. Aug. Certe qui pius est, Deum inuocat ac sapientiã accipit à domino. Et si amici Dei sint principes & frequenter colloquantur cum Deo, spes est fœlices fore respub. Ex aduerso metuenda infelicitas si præ sint hostes Dei. Tertio requiritur à deligendo accensendoq; magistratui, ut sit uerax, ne sit hypocrita, mendax, fallax, uersipellis, subdolanus aut qui ex eodem ore frigidum & calidum efflet: sed fidelis sit expositus simplex & candidus. Ne sit in promittendo liberalior quam in præstando. Ne sit irreligiosus erga iuramentum, ne sit perfidus & periurus. Quarto quoniam multi in magistratus functione quærunt opes & rei familiaris incrementum, remouet tales dominus & auaritiã prohibet bonis magistratibus: imò poscit ut auaritiã oderint. Sicuti alibi non tantum prohibet accipere munus, sed iubet præterea à muneribus excutere manus. Auariã & munerum cupiditas est ipsissima pestis boni magistratus. Auaris & munerum cupidis uenalia sunt iura sententiæ libertas iustitiã adeoq; patria ipsa. Ac nominauit quidem in præsentem pestilentissimum scelus, interea uero nihil dubium est, quin uitia & scelera alia quoq; eius generis proscribat ac à bono magistratu iubeat esse aliena. Ea sunt haud dubie, Superbia, Inuidia, Ira, Alesia, Crapula, Ebrietas, Scortatio, Adulterium, & si quid aliud est huius notæ.

Hunc locum illustrant alij ex lege Dei huic collati. In Deuter. Deut. 1. nomio ait Moses ad populum, Date ex uobis uiros sapientes & intelligentes, & spectatæ probitatis secundum tribus uestras. Tria iterum his uerbis requirit ab ordinandis Moses sapientiss. Primo sapientes sint ait. Cæterum initium sapientiæ est timor domini. Sint ergo ordinandi amici Dei & ueræ religionis, qui item sapiant nõ sint fami. Secundo sint intelligentes, prudentes nimirum, qui exercitiũ longo rerum usu, usum rerum sibi parauerint, ac possint res

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

præsentes applicare legibus. Præterea sint spectatæ probitatis uiri, quorum uita & integritas morum ex antea actis iam olim sit nobis perspecta atq; testificata: deniq; qui sint præditi auctoritate, non contemnuntur ceu leues & uiles nebulones.

*Num. 27.* In libro Numerorum iterum dicit Moses, Vtinã Deus spirituum uniuersæ carnis constituat uirum super synagogam, qui ingrediarur & egrediarur ante eos, & qui introducat & educat eos, ne sit cæcus dominus ueluti oues absq; pastore. Discimus ex his etiam uerbis diuini prophætæ, qui & quomodo in magistratû eligedi sint. Oravit Moses ad dominum pro idoneo uiro: orandus erit itaq; et nobis Deus cordium scrutator, ut det uiros omnibus numeris absolutos. Sæpe quidem fallit nos species externa, iudicamusq; uirum bonum & piuum esse, qui insignis est hypocrita. Deus solus nouit mentes, hic ergo orãdus est ne finat nos in delectu aberrare & impingere. Optimus fuerit, qui instructus erit spiritu Dei sancto. Præterea decet huc esse primum & ultimum in rebus gerendis & exequendis. Inertes agunt alios, ipsi sibi cauent post principia. Iniqui præscribunt alijs, ipsi nunquam quicquam faciunt & qui & boni, Pastor sit oportet uir delectus in magistratum, qui dies atq; noctes curet ne dissipetur aut periclitetur pereatq; grex domini. Tales autem sint qui populo domini præficiendi sunt.

*Ratio inaugurandi.* Postremo quod attinet ad rationem inaugurandi magistratum, dissimiles sunt urbibus & regionibus consuetudines. Liberum auctem sit cuiq; genti suis uti moribus. Eum ego ritum maxime probor, qui minimum habet pompæ, orationis uero plurimû. Utilissimum est autem certa & moderata cerimonia inaugurare delectos idq; eoram uniuersa plebe, ut quisq; non nesciat qui sint patres populi, & quibus debeat honorem, deniq; quibus obediat & pro quorum salute supplicet. Certa fuit populo Dei ceremonia qua usi leguntur in inaugurandis regibus & magistratibus: & certum est id à Deo uultu & certis ex causis esse inuentum atq; traditû. Reliqua quæ de magistratu dicenda restant differemus in crastinum. Iam uero laudate dominum, &c.

*De officio magistratus, quæ ordinet, an cura religionis ad ipsum pertineat: an de religione constituat, & de legibus eius. SERMO VII.*



QVOD primum & maximum est in magistratu perspicitur in explicatione officiorum eius. Diximus heri quid magistratus, quæ magistratus species, quo auctore profectus, & quas ob causas institutus sit, quomodo proce

res eligendi aut qui ad hanc functionem sint uocandi. Addamus illis quæ nam sint propria magistratus officia.

Omne magistratus officium uidetur redigi posse in tria capita. *Magistratus officia.* Ordinet enim Iudicet & Puniat De singulis ordine dicitur. Ordinatio magistratus est constitutio pro conseruatione religionis ac honestatis iustitiæ & pacis publicæ: uersaturq; in duobus capitibus, in re ste constituenda religione, & in recte constituenda publica honestate iustitia & pace. Priusquam uero dicamus de religionis constitutione seu ordinatione, tractabimus paucis quæstionem, An cura religionis ad magistratum pertineat? Video enim multos in ea esse sententia quod cura & ordinatione religionis ad solos pertineat episcopos, non etiam ad reges principes ac senatores.

Veritas autem catholica docet curam religionis maxime pertinere ad magistratum, & hunc non tantum posse sed debere etiam disponere & prouehere religionem. Nam apud ueteres, reges simul erant sacerdotes, religionis utiq; magistri. Laudatur in sacris ualde piissimus ille & sapientissimus princeps Chananaicæ gentis, qui & Christo domino typum prætulit, Melchizedek: is uero fuit rex pariter & sacerdos. Sed & in Numeris traduntur nuper ordinato & inaugurato Iosue leges ad religionem pertinentes. Ac reges Iuda & electi populi Dei ex ordinatione religionis, uti mox plurib. exemplis monstrabo, maximam indepti sunt laudem: ignominiam sustinent perpetuam, qui segnes fuerunt in curanda religione. Quis uero ignorat magistratus primam esse curam incolumem & felicem seruare rempublicam? Id uero nõ potest, nisi uerbum Dei curet annuñciari populo suo, ac cultum Dei uerum applicet eidem, adeoq; fiat ueluti minister ueræ religionis. In Leuitico & Deuteronomio multis exponit dominus bona uere religioſis parata hominibus, rursus enumerat mala contempторibus ueræ religionis irroganda. Arqui felicitatem in populo suo retinere, infelicitatem propellere iubetur bonus magistratus. Audiamus etiam sapientissimum Solomonem in Prouerbijs dicentem, Pietas & ueritas custodiunt regem & solium eius sustentatur in pietate. Quando multiplicatur iusti, gaudet populus, & quãdo impius dominatur ingemiscit populus. Rex per iudiciũ firmat regnũ, uir exactioñũ euerit eã. Quando multiplicatur impij multiplicatur iniquitas, & ruinã eorũ uidebũt iusti. Quando nõ est uisio dissoluitur populus: & qui obseruat legem, est beatus. Ex quibus & illud colligimus confusionem omnium rerum, principumq; & populi dissolutionem illos quærere aut inducere, deniq; pauperum neglectum & oppressionem, quicunq; contendunt reli

*An cura religionis ad magistratum pertineat.*

*Leuit. 26.  
Deut. 28.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

gionis curam nihil pertinere ad principes. Præterea præcipit Deus magistratui examen habeat doctrinarum, ac pertinaciter contra scripturas docentes & abstrahentes à Deo seriat. Locus extat Deut. 17. Venit item magistratui ne lucos plâter aut stauas erigat. Locus extat Deut. 17. Per species uero insinuauit genus, ne superstitionem aut idololatriam instituat, foueat, propaget, præcepit ergo ut ueram religionem prouehat: unde consequens est religionis curam pertinere ad magistratum. Quid quod Deo dilectissimi optimiq; in populo Dei principes curam religionis, ut maxime ad se pertinentem, in se susceperunt adeoq; & exercuerunt procuraruntq; ueluti sacrorum antistites? Iosue in monte Hebal exiui curauit aram totumq; cultum uiri à Deo per Mosen præceptus fuerat expleuit. Dauid in deducenda arca & collocanda, inq; ordinando Dei cultu fuit usq; ad miraculum diligens. Ita filius Dauidis Solomon. Nec obscurum cuiquam esse puto quid in reformanda religione corrupta & collapsa præstituerint Abia, Iosaphat, Ezechias & Iosias. Laudatur in ethnicis regibus & principibus quod post cognitam ueritatem edicta uulgatum pro uera religione contra blasphemias. Nabuchodonosor Chaldaeus potentissimus orbis monarcha, quo an unquam maior & potentior in mundo regnauerit, dubito, promulgat decretum ut in partes disseceret & domus eius redigatur in latinam quisquis conuiuium dixerit contra uerum Deum conditorem cœli & terræ. Locus extat Daniel. 3. Darius Medus Assueri filius, Cyri regis auunculus, A me positum est decretum, ait, ut omnes in omni imperio regni mei metuât Deum Danielis. Locus extat Danielis 6. Cyrus rex Persarum soluit Iudæos captiuitate, præcipitq; templum reparent & sacra restituant. Darius Persa Hystaspis filius, A me positum est decretum, ait, ut omnis uir qui mutauerit quicquam in sententiâ meâ de reparando templo & restituendo Dei cultu, excerpatur lignum de domo eius, erigatur, atq; is in eo suspendatur, ac domus eius fiat sterquilinum. Idem ille & Artaxerxes appellatus, Quicumq; noluerit, inquit, facere legem Dei tui (Esdra) & legem regis, absq; mora fiat iudiciu de eo, siue in mortem, siue in eradicationem, siue in multationem facultatum, siue in uincula. Leguntur hæc omnia in libro Esdræ.

*Responsio  
ad obiecta.*

Obijciunt quibus animo sedet curam & ordinationem religionis ad episcopos dicitur pertinere, ista exempla quæ adduximus nihil ad nos pertinere, qui sumus Christiani. Nâ illa esse Iudaica exempla. Respondemus. Isti probatẽ dominũ Iesum & apostolos eius curam religionis à magistratu transulisse ad solos episcopos. Id nunquam poterunt: nos autem ostenderamus paucis præcos illos populi Dei

Dei principes Iosue, Dauidem & alios reuera fuisse Christianos, i-  
circo ualere exempla quæ ab illis ducuntur & aptantur Christianis  
principibus. Adiciam & Isaia uaticinium, ex quo appareat idem  
esse adhuc in ecclesia regum officium, quod fuit priscorum regum  
in ecclesia quam appellant illi Iudaicam. Dubium non est quin  
illi censendi sint ueri Christiani qui uncti spiritu Christi, in Christum  
credunt & sacramentis participant Christi. Christus enim perinde  
sonat ac si tu dicas unctus. Christiani ergo uncti sunt. Vnde il-  
la, iuxta apostolicam interpretationem, est spiritus Dei uel donum  
sancti spiritus. Cæterum spiritum Christi fuisse in prophetis &  
regibus loquapletissimus est testis sanctus Petrus. Sanctus Paulus  
manifeste ait nos eundem fidei spiritum habere cum ueteribus. I-  
dem communicat illis sacramenta nostra, dum dicit illos baptisatos  
esse sub nube, omnesq; bibisse de spiritali & consequente eos pe-  
tra, Christo. Quæ cum ita habeant ualent certè exempla quæ pro  
fide & dilectione dictis & factis priscorum regum ducuntur. Scio  
interim non quodlibet consequi ex collectione exemplorum. Sed  
habemus hic præterea manifestum pro nostra causa uaticinium I-  
saiæ, uaticinantis reges & principes post tempora Christi & post  
reuelatum euangelium diligenter curaturos ecclesiam adeoq; fu-  
turos fidelium alumnos & nutrices. Atqui palam est quid sit ales  
re & nutrire: perinde enim est ac si dixisset illos pares & matres  
ecclesiæ futuros. Hoc autem non uere dicitur, si cura religionis ad  
principes non perinet, sed ad solos episcopos. Verba Isaia hæc  
sunt, Ecce tollam ad gentes manum meam, ait, & ad populos  
signum meum erigam, & afferent tibi filios in gremio & filia  
tuæ in humeris portabuntur. Et erunt reges nutricij uel alumni  
tui & regina eorum nutrices tuæ, uultu ad terram demisso ado-  
rabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, &c. An non ab-  
unde impleta hæc esse dicemus in quibusdam Christianis princi-  
pibus? Quorum primus beatus Constantinus Synodo indicta,  
ueram & sinceram Christi in ecclesia doctrinam instituere, fal-  
sam & hæreticam uoluit exterminare. Cumq; episcopi non re-  
cto pede incederent ad regulam euangelij charitatisq;, increpauit  
ipso, tyrannorum eis crudelitatem commemorans & quæ iam per ipsum  
diuinitus pax ecclesiis concessa sit exponens. Indignum esse adiciens  
si episcopi pergant Deo ingrati, sese muris lacerare cõiurijs & dena-  
tis libellis, ac eo modo impijs idololatris delectationem & risum  
præbere: cum potius ex scripturis diuinis res sacras tractarent, Euan-  
gelici enim libri sunt, ait, & apostolici antiquorumq; prophetarum

1. Ioan. 26

Isaia 49.

Constantinus  
Mag-  
nus.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

oracula, quæ nos erudiant quid de sacra lege sapiamus. Expellentes ergo hostile certamen, ex uerbis diuinitus inspiratis, solutionem quæstionum mente percipiamus.

*Gratianus, Valentini-  
anus &  
Theodo-  
sius.* Huc accedit quod sacri imperatores Gratianus Valentinianus & Theodosius sic & in hæc uerba decernunt, Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali uolumus religione uersari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio usq; ad hunc ab ipso insinuata, declarat. Et reliqua. Cernit charitas uestra quomodo reges & principes in populo noui testamenti alumni & nutrij ecclesiæ fuerint ac arbitrari sint curam religionis ad se in primis pertinere.

*Osiæ læ-  
profus.* Obijciunt rursus læpram Osiæ regis Iuda, ex eo contractâ quod sacerdotis munus sibi uendicans usurpare præsumpserit in adolendo suffitum in ara thymiamatis. Obijciunt præceptum domini iubentis Iosue stare ante Eleazarum sacerdotem: mandantis denique regi librum legis accipiat à Leuitis. Cæterum nostra disputatio non

*Officiama  
gistratus  
& ministro-  
rū non con-  
fundenda  
sunt.* huc tendit, ut munia siue officia magistratus atq; ministrorum ecclesiæ confundantur, ut rex cõcionetur baptiset & administret cœnam domini: sacerdos autem pro tribunali sedens pronũciat sententiam contra homicidam, litigantẽsue sententia lata dirimat. Habet & retinet Christi ecclesia officia distincta, & Deus est ordinis Deus, non confusionsis. Huc tendit nostrã demonstratio, ut omnibus probemus magistratum ex officio curare religionem, uel ut collapsa reparatur, uel ut integra conseruetur procedatq; iuxta regulam uerbi domini. Ideo enim lex Dei dabatur in manus regis per sacerdotes, ne

ignoraret uoluntatẽ Dei circa res ecclesiasticas atq; politicas, adeoq; iuxta hanc legem gubernaret uniuersa. Statuitur quidem ante Eleazarum dux populi Dei Iosue, sed hic uicissim præcipit sacerdotibus, coniungiturq; uelut in unum corpus uir politicus & ecclesiasticus. Iubetur uir politicus audire ecclesiasticum, & hic rursus obedire debet politico in omnibus quæ lege præcepta sunt. Iccirco magistratus non est subiectus sacerdotibus, à Deo, tanquã dominis, sed tanquam domini Dei ministris, & iccirco magis ipsi domino & legi eius, cui & sacerdotes perinde ut principes, subiecti sunt. Si sacerdotis labia non loquantur uerbum Dei, non est quod quisquã ex plebe nedum princeps audiat aut reuereatur titulotenus sacerdotẽ. Labia sacerdotis, inquit Malachias, custodiunt scientiam & legem requirunt ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Huiusmodi sacerdotes nolle audire est ipsum Deum repellere. Et tales sacerdotes adiuuarunt pij principes Israelis, pseudosacerdotes deiecerunt ex gradu,

gradu, negligentius facientes officiū suum increparunt, atq; de officijs obeundis & rite administrandis decreta tulere.

De Solomone scriptum legimus, Solomon eiecit Abiathar ne esset sacerdos domini, ut impleret uerbum domini quod dictum erat super Heli in Silo, & posuit Zadok sacerdotem pro Abiathar. Et in libro Paralip. 2. legis, Et constituit rex Solomon iuxta ordinationē Dauidis patris sui diuisiones sacerdotum super ministerijs suis & Leuitas in custodijs suis ad laudandum & ministrandum coram sacerdotibus iuxta exigentiam cuiusq; diei. In eodem libro inuēgit quidem Ioiada sacerdos regem Ioas, sed hic uicissim uocat sacerdotem & tradit mandatum de colligenda pecunia & reparando templo. Iam & Ezechias princeps religiosissimus & optimus uocat sacerdotes ac Leuitas & ait, Sanctificamini & sanctificate domum domini Dei nostri & efferte immunditiam e sanctuario. Filij mei ne sitis modo socordes, quia uos elegit dominus ut ministreis ei. Idē rex mox iubet sacerdotes sacrificare domino. Constituit item cantores in domo domini qui canerent in templo musicis instrumentis. Præterea constituit Ezechias rex diuersas turmas sacerdotum & Leuitarum, iuxta uaria officia eorum, unumquemq; secundum ministeriū suū. Quod quod ipsas quoq; portiones, ipsa stipendia sacerdotibus, per sacerdotes distribuit. Idem rex pascha toti populo celebrandum indicxit, adde & sacerdotales planē epistolas de religione & uera penitentiā agenda, ad omnē populum scripsit. Quibus omnibus tandem subiicitur, Et operatus est rex quod bonum & rectum atq; uerum erat coram domino Deo suo. Ergo cum principes ordinant religionem secundum uerbum Dei, rem placitam Deo faciunt. Hoc ipsum recolligitur & de Iosia principe pijsimo. Quis ergo dixerit posthac curam religionis ad solos pertinere episcopos?

Certē Imperatores Christiani principum prætorū ueluti patrum suorum exempla imitantes, diligentissime procurarunt res religionis ueræ in ecclesia Christi. Recte censent Arcadius & Honorius, Quorū de religione agitur, episcopos conuenit agitare. Atqui ante hos Gratianus Valentinianus & Theodosius legem tulere sacratissimam, qua orbi exposuerunt quam religionem & fidem uelint recipi teneriq; ab omnibus, nempe doctrinam & fidem S. Petri. Declararunt in eodem edicto omnes eos esse hæreticos qui diuersum sentiunt & docent: catholicos autem quicunq; in fide S. Petri perseuerant. Colligimus ex his sacerdotum proprium officium esse de religione ex uerbo Dei constituere, principum autem esse iuuare sacerdotes & prouehere uerū ueram religionem. Quod si cessent

*De religioe  
decreuerūt  
principes.*

*Præstuden  
ordinem.*

*Christiani  
principes  
ordinarunt  
religionem*



DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

sacerdotes, principum officium propriū est sacerdotes redigere in ordinem, & iuxta uerbum domini constituere de religione. Certe Iustinianus Imperator in Nouellis Constit. 3. ad Epiphaniū regiae urbis archiepiscopū, Cōmuni & generali lege, ait, ad beatitudinē tuā, o patriarcha, de ordinatione sanctissimorū episcoporū & reuerendissimorū clericorū disposuimus quæcūq; honesta & decora sacrisq; regulis conformia esse uidebātur. Et Constit. 7. Mandamus, inquit, ne quis episcoporū per omnis diuisionis nostrae terras licētiā habeat alienandū rem immobilem aut in domibus aut in agris ecclesiarū. Item Constit. 57. prohibet in priuatis domibus sacra celebrare mystēria. Addit pēnam, Alioqui domus in quibus peraguntur publicae fient & sub ararium imperatoris deducuntur. Constit. 67. praecepit omnibus episcopis ne absint à suis ecclesijs: si uero abfuerint, nihil emolumentum aut stipendij accipiant à Prouinciarum œconomis, sed in usus ecclesiae pios conferatur. Constit. 123. praecepit prouinciarū praesidibus, ut episcopis cessantibus ipsi conuocent synodum ac leges exerceant teneantq; ecclesiasticas. Mox, Interdicimus, ait, episcopis & presbyteris omnibusq; cuiuscunq; gradus clericis, ne ad iabulam ludant aut rali ludo uentibus se associant, aut spectatores sint, aut ad quodcunq; spectaculum spectandi gratia accedant. Hæc non proferimus tanquam scripturas canonicas, sed duntaxat ueluti indicia quæ declarant in ecclesia quondam fuisse principibus potestatem officium consuetudinemq; nimirum à Deo concessam (iuxta Isaia uaticinium) & ex ueteri desumptam exemplo, praecepti episcopis, constituendiq; de religione in ecclesia Christi.

*Priuilegia ecclesiastica.*

Qui uero hic obijciunt priuilegia ecclesiastica, sciant nulli principi imò nulli mortalium permissum esse dare priuilegia pugnātia cum mandatis & cū ueritate uerbi Dei. S. Paulus dixit sibi datam esse potestatem ad ædificationē non ad destructionē. Non enim iam cōmemoro priuilegijs æquis indignos esse qui nō sunt hoc quod audiūt sacerdotes & ministri Christi, sed milites potius & multis corruptis sceleribus. Leguntur in iure Canonico Distinct. 40. hæc inter alia, Videte fratres quomodo sedetis super cathedrā: quia nō cathedra facit sacerdotē sed sacerdos cathedrā: non locus sanctificat hominē, sed homo locum sanctificat. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram honorem accipit cathedræ, qui male sederit iniuriam facit cathedræ. Itaq; malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit non dignitatem. Sed illa hæctenus.

Postquam demonstrauius C. V. ad magistratam quoq; nō ad episcopos

episcopos tantum pertinere religionis curam, & magistratum etiam leges constituere de religione, inquiramus modo quas cōstituat religione leges. Non est autē quod rex uel magistratus arbitretur sibi potestati datam esse constituendi nouas leges de Deo, de cultu Dei, de mysterijs, de uero & bono. Nam omnis magistratus ut à Deo ordinatus, ac Dei minister est, ita Deo obedire & legi uel uerbo Dei obtemperare ac in hoc unice respicere & ab hoc solo pendere debet. Scriptura, quæ uerbum Dei est, abunde satis exponit quæcunq; ueræ religionis sunt: imo uerat dominus uerbo suo quicquam uel addere uel subtrahere: magistratus ergo nullas condit leges nouas de Deo & cultu Dei, sed ueteres illas religiose suscipit atq; custodit, applicat & propagat in regno sibi diuinitus concessio. Huc enim pertinet quod regibus Israeliticis dabatur liber Legis diuinae, ex quo regula sumerent agenda quæ ex officio agenda erant. Ad Iosue dicit dominus, Vide ut custodias & agas secundum uniuersam legem, quam præcepit tibi seruus meus Moses. Non recedes ab ea uel ad dextram uel ad sinistram. Nec recedet liber legis huius ab ore tuo, sed mediaberis in eo die & nocte ut custodias & agas iuxta totum illud quod scriptū est in eo. Tunc enim prosperum reddes iter tuum & tunc ages prudenter. Principes ergo religiosi & sancti summa fide & diligentia contenderunt prædicationem uerbi Dei, leges riuus & statuta Dei tradere populo, retinere conseruareq; in populo, imò & quam latissime per omnes propagare, pro loco item & tempore sancte accommodare: falsam doctrinam, prophanos cultus & blasphemias proscribere, adde & eradicare. Sic inquam religiosas leges de religione constituerunt aut ordinarunt pii magistratus, Sic curauerunt sancte & religiose religionis negotium.

Scholæ.

Scholæ erant quondam urbes Leuitarum in Israele. At has urbes studiorum causa & pietatis ergo diligenter constituit Iosue. Ezechias rex non minus sollicitus est de stipendijs ministrorum ritæ constituendis & reparandis quam de officijs restituendis formandisque. Honos enim alitantes: & inopia uarias excogitat exactiones: uenalia fiunt ipsa etiam sacra, nedum uana hominis lingua. Iosaphat unā cum sacerdotibus siue doctoribus senatoribus & uiribus nos minit in totam regnum. Cupiebat enim modis omnibus uerbum Dei prædicari cum autoritate & dignitate quadam, prædicatum autem defendi ac in ipsa opera produci sancta. Iosias rex unā cum idololatria & prophanis cultibus tollit medio pseudosacerdotes: restituit ueros uerbi Dei doctores, restituit sacra: sicut & Iosias rex ædificata sacra collapsa (oblurgatis Leuitis) restaurat.

## DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

Non possum omnia recēfendo prosequi: discat ex his pauculis pius princeps aut magistratus quid & quo modo de religione cōstituat.

*Nouorum  
cultū in-  
uentores à  
Deo male-  
dicti.*

Ex aduerso Ieroboam quidem audierat ab Ahia Silonita, Sic dicit dominus, Regnabis iuxta id quod desiderat anima tua, & eris rex supra Israelem. Quod si audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in uis meis fecerisq; quod rectum est in oculis meis, ut custodias statuta & præcepta mea, quemadmodum fecit Dauid seruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum firmam. Sed contempsit miser amplissimas illas promissiones, ac reiecto uerbo Dei, templo Dei Hierosolymitano & cultu legitimo, ipsis quoq; Leuitis repudiatis, ex fœce plebis creauit sibi sacerdotes, templa sibi noua extruxit, idolis ornauit seu deformauit potius, sacrificia nō tradita uerbo Dei, instituit & obrulit, adeoq; nouum quandam Dei cultum religionem nouam adinuenit. Et quamuis Deum colere uelle uideri cuperet, tamen diuinitus pro impio damnatur. Audite obsecro quid contra ipsum pronunciarit os domini, Tu (inquit Ahia ex sententia domini) malum designasti super omnes qui fuerūt ante te. Iuisti enim ac fecisti deos alios, ac fufiles quidem illos, ut irritares me & proiecisti me post tergum tuum. Ob id adducam malum super domum Ieroboam, excindamq; ipsi Ieroboam mingentem ad parietem, clausum & derelictum in Israele, & expurgabo posteritatem Ieroboam, ceu stercus expurgatur, donec consummetur. Ac ad uerbū hæc omnia completa esse testatur scriptura hisce uerbis, Cum regnaret Baasa percussit uniuersam domum Ieroboam, ita ut nihil spiras de Ieroboam faceret reliquum. Acidem ille rex Baasa nihilo melior & prudentior factus alieno & miserabili sui prædecessoris exemplo, pergit religionem exoticam & uerbo Dei cōtrariam, à Ieroboamo cœptam, continuare, populo tradere, in hoc propagare & defendere. Audit itaq; & ipse à domino per prædicationem Hanani prophætæ, Quando euexi te de cœno, & posui te principem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in uia Ieroboam & fecisti peccare populum meum Israel, ut prouocares me in peccatis eorum, en ego excindam posteros Baasa, & ponam domum tuam sicut domum Ieroboam. Id quod factum exponit scriptura per Simri principem militiæ. Hic enim & Hela regem filium Baasa probe potum, & omnem eius posteritatem deleuit. Successit in regno Amri pater Achabi perditissimi nebulonis, quem in acie cæciderūt Syri. Regnarunt post ipsum filij Ochofias & Ioram. Verum quando traditam uerbo Dei religionem reliquerant, & Ieroboami regiam sed nouam traditionē sequebantur, adde & Baalis pudendi idoli cultum adiecerant,

rant, excinduntur tandem funditus opera sæuissimi sed iustissimi principis Iehu. Regnarat propago Amri plus minus annis 40. multo cum innoxiorum sanguine, sed perit postquam mensura impietatis esset impleta: & radicitus iusto Dei iudicio tandem excinditur. Discant ex his stupendis sanè exemplis omnes principes & magistratus cauere sibi à nouandis religionibus, & mutandis à Deo institutis cultibus legitimis ueteribusq;. Bonus & fidelis dominus non ster religionem ueram & cultum legitimum plene simpliciter & absolute in uerbo suo instituit, hominibusq; unice et semper custodiendum tradidit, hanc ergo retineant omnes, huic immoriantur qui æternum uiuere uolunt. Puniuntur cœlitus quicumq; religioni & cultui à Deo instituto uel addunt uel adimunt aliquid. Obseruate hæc o uiri principes. Maxima hinc prouenit felicitatis & infelicitatis seges. Ergo qui habet aures ad audiendum audiat. Nemo patiat se seduci bonis, sed uanis reuera impijsq; intentionibus. Multo gratior est Deo obedientia quam uictimæ. Neq; indigent Dei statuta nostris emblematis.

Sequitur iam alterum caput ordinationis magistratus, id quod uersatur in recte constituenda honestate iustitia & pace publica. Id *Leges res* quod iterum absolutiur æquis & bonis legibus. Atqui sunt quibus *gnis aut re* uideantur tyrannicum esse liberis hominibus iniicere leges, ceu iu- *bus pub. bo* gum in colla libera: suo potius quemlibet relinquendum arbitrio. *nas & ne-* Dixit sane apostolus, Lex iusto non est posita, sed iniustis. Cæterum *cessarias es* ideo iusto non est posita lex, quoniam iustus est: iustus autem opera *se.* iustitiæ ac facit sponte sua quod exigit lex à quolibet mortalium. Proinde iusto lex minime difficilis est, utpote quæ animo & menti hominis iusti consentit, & hæc illam cupide amplectitur. Iniustus uero animum explere sinit & à lege per omnia dissentit, lege interim ne sibi & alijs noceat coercendus. Ita consequens est cum leges bonis non sint onerosæ, sed gratæ magis: propter iniustos autem necessariæ etiam, adeoq; ipsis iniustis quoq; coercendis datæ, eas omnibus esse bonas & utiles minimeq; reiiciendas. Quid quod ipse Deus qui prænouit quales sint futuri homines atque ueræ libertati fauet, ipsamq; in populo suo conseruatam cupit, & qui nihil facit instituitq; inuuliter, legem tulit, nec ulla unquam sæcula sine legibus uiuere permisit. Ac felices fuerunt Respublicæ, quæ receperunt leges ac legibus se gubernandas præbuere: infelices seditionibusq; & bellis discerpæ, quæ legibus repulsis, suam illam libertatem, suum arbitrium, suam licentiam, id est beluinam libidinem & probrosam barbariem retinere contenderunt. Sunt itaq; leges bonæ salutaris

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

adeoq; necessaria ad pacem incolumitatemq; regni uel reipublicæ. Ac mirum est ita despere quosdam Christianorum, cum Ethnici de legibus pronunciarint honestissime. Agnouerunt legislatores suos pro dijs, ea re testantes, se fateri bonas leges munus esse Dei. Nequit autem Dei munus esse inuile & superuacaneum. Plurarchus appellauit leges urbium uitas. Demosthenes diserte confessus est leges esse dona Dei. Cicero nuncupauit illas uincula ciuitatis (utpote quæ sine legibus dissoluta dispergitur) fundamenta libertatis æquitatis, & honestatis fontes. Leges enim reuera sunt nerui reipub. ualidissimi, & animæ magistratum: ut nec commode uiuat & gubernet rempub. sine legibus, neq; leges uim suam exerant adeoq; & uiuât sine principibus. Itaq; magistratus est lex uiua, lex autem est magistratus mutus. Executione & applicatione redduntur leges uiuæ & uocales. Id non intelligunt principes qui dicunt *wir sind das r&cht*. Nos sumus ius et lex. Intelligūt enim se pro sua libidine quid liberi præcipere posse, atq; id protinus recipiendum esse ab omnibus pro lege. Ceterum hoc citra contrarietatem est tyrannicum. Nouissimum est illud ex poeta desumptum, planè tyrannicum,

Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Est sane princeps uiua lex, si animus eius obediatur legibus scriptis, & non dissentiat a legibus nature. Ergo subiicitur legibus magistratus & dominatus. Nisi enim principis animus consentiat legi, legem habens scriptam in pectore, & legem dictis & factis exprimat, non est appellandus uir bonus nedum princeps. Rursus dominatur legi & magister est legum princeps aut magistratus bonus: non quod liceat ei illas calcare, abolere, dissoluere, figere & refigere: sed quod illas & exercere in populo & adhibere applicaretq; pro rerum exigentia atq; eo modo & hac ratione moderare siue interpretari potest.

*Addere & adimere legibus.* Errant ergo toto cælo qui arbitrantur propter aliquot Imperatorum & regum priuilegia, concedentia magistratui, legibus alicubi adicere aut adimere aliquid mutareq; illas, licere sibi bonas leges abolere in uniuersum uiuereq; contra ius et decorum. Nam sicut nullis permissum est imperatoribus & regibus priuilegia donare quæ pugnent cum æquo bono & honesto: ita si donent tale quiddam, nec recipiendum nec agnoscendum est ab honestis ciuibus tanquam donum aut beneficium, sed habendum magis pro pernitie, uiri reuera est, & pro maleficio. Semper permanet apud omnes & omnibus sæculis immota legum de honestate iustitia & pace publica mens et substantia, in circumstantijs fit mutatio & adhibetur interpretatio pro rei exigentia, pro æquo & bono. Lex est, Nemo cædat alterum:

si cæcide

si ceciderit, cædatur & ipse. Illa lex perpetua est & immutabilis, neque licet illam cuiquam abolere ullis temporibus. Interim rigor legis imminui potest & lex ipsa interpretari commode: nempe si quis alterum cædat, qui sit ipsi eximie charus, & cædat forte fortuna, nō dedita opera, nō odio & malicia, ideoq; cædem redimere cupiat, si fieri posset, magno. Hic sanè minime cædendus est, ac dispensat hac parte cum rigore legis magistratus. Est alius qui diuturno & uatiniāno quidē odio alterum persecutus est, quem et cædit, sed prætextu fortunæ. Occasionē enim quæsiuit, ut speciē pro se habeat casus fortuiti. In huiusmodi causā nihil legis potest mutare magistratus, sed cædat oportet eum, quem legis mens iussit cædere. Huius generis & alia possem proferre exempla, sed caueo, quātum fieri licet, ne sim C. V. nimia copia & prolixitate onerosus. Satis claret ex disputatis leges esse bonas & sempiternas, ac quatenus adminant principum, quam uocant *ἐπιεικειαν*, id est moderationem uel æquitatem uel interpretationem, limitationem, dispensationē uel, ne in ipsis illud ritum & uulgare hæreat, Summum ius summa iniuria.

Demonstrauī hactenus leges esse bonas, uiles, necessarias, æternas: consequens ergo est istis adijcere, qualibus uel quibus maxime legibus utatur magistratus, quibus honestatem, iustitiam & pacem publicam pro suo officio constituat atq; cōseruet. Visum est quibusdam magistratum nullis oportere uel legibus scriptis, sed pro naturali æquitate pro temporis loci personarū & rerū exigentiā, id quod ipsi uideatur optimū, pronunciare. Alij contendunt omnibus regnis & rebus publicis leges Mosis iudiciales obrudere. Sunt qui hac repudiata & proscrip̄ta, nihil agnoscant quam quod peritum est ex legibus principum ethnicorum. Atqui cum illi, qui in magistratu uersantur uel boni sint uel mali uiri: cumq; in optimos uiros cadant cupiditates, ira, odiū, fauor, dolor, metus & affectiones alia, cui quæso tradiderunt rem publicam gubernandam, quicunq; scriptis legibus ac certo iure repudiato, iubent hominem quemlibet in magistratu constitutū pro animi sui sententiā pronunciare? An non beluæ subiecerunt rem publicam? Quid hic dicam de malis in magistratu hominibus? Furij subdidit regnum, qui pessimorum hominum decretis subdidit. Sed uolumus, inquit, illos pronunciare ex naturali æquitate, non ex animi corrupti libidine. Pronunciabunt ergo isti ex corrupta animi libidine, ac increpiti, dicēt se pronunciasse ex naturali æquitate. Adijcient se non aliter posse iudicare, neque aliter negotium posse intelligere. Id ipsis uideri optimum quod decreuerunt: nec hic quicquam actum contra conscientiam.

Qualib. & quibus legibus utatur magistratus.

Legib. scriptis opus.

Te autem in ius uocabit qui ausus fueris ipsius uirperare sententiam. Ita uero peribit iustus, & dominabuntur barbarissimi affectus & homines scelestissimi. Et ut maxime donemus omnes in magistratu constitutos esse uiros bonos, excitabit tamen inter ipsos sententiarum diuersitas iurgia & turbas perpetuas. Proinde expensis omnibus, longe præstabilius est scriptis uti legibus. Hoc ipsum doceat nos exemplum Dei nostri æterni sapientis optimi maximi, dantis populo illi suo peculiari, leges scriptas. Sat relinquatur aliàs negotij magistratibus, iudicandi scilicet, id est applicandi conferendiq; causas legibus, quatenus conueniant aut discrepēt, qui peccarit contra leges, qui minus. Porro in lege Mosaica, iudiciali in primis, sunt

*Lex Mosis non obtrudenda re-gnis.*

multa genti Iudaicæ propria peculiariaq; , pro ratione loci personarum & temporis sic constituta : ut si ea pergamus omnibus alijs imponere & aptare gentibus, cum ratione insanire uideamur. Quorsum uero atinet iam olim eliminatas ethnicorū immundicias postliminio reducere in forum populi Dei? Apostoli itaq; domini nostri Iesu Christi, neminem obstrinxerunt aut grauauerunt legibus Mosaicis, neq; bonas ethnicorū leges damnarunt, neq; malas cuiquam commendauerunt, sed leges ipsarumq; usum uel delectum permiserunt sanctis liberum. Interim diligentissime inculcarunt omnibus timorem Dei, fidem charitatem iustitiam & temperantiam, quod imbuta his uirtutibus pectora, nullo negotio uel ipsi bonas leges condeunt, uel ex aliorū legibus optimas deligunt. Nihil enim refert siue ex Iudaicis legibus Mosis, siue ex Ethnicorum legibus probatis, sibi magistratus leges, quantum satis est, colligat, uel ueteres illas & hæcætenus usurpatas, refecatis impijs iniquis & turpibus duntaxat, si quæ in ipsis, inueniantur, reuineat. Censeo enim magistratibus æquis diligenter cauendam curiositatem & nouitatis studium. Raro sine motibus & turbis configuntur quod Prouerbio dici consueuit, cornicum oculi: & quæ ordinantur à curiosulis fere abolitis sunt deteriora.

*Curiositas & nouandi studium*

*Leges ciuiles quales?*

Porro leges omnes uel de religione & cultu Dei externo præcipiunt, uel de externa uitæ conuersatione ciuilibusq; moribus. De religionis legibus dictum est superius. De ciuilibus uel politicis legibus hæc addimus, optimas uideri illas quæ pro cuiuslibet loci, personarum, rerum, temporisq; ratione, quam proxime accedunt ad decalogi præcepta & charitatis regulam, nec habent quicquam iniquitatis uel licentiæ & turpitudinis. Sint præterea breues succincteq; , nō in immensum extensæ aut multis implicite expositionibus: sint directæ ad iustum scopum, ad rem facientes, non superuacua. Tribus autem

bus aut comprehenduntur fere capitibus. leges politicae, honestate iustitia & pace. Proinde huc spectent leges, ut in republica pleretur uel retineatur disciplina & honestas: nempe ne quid fiat in decore libidine ac turpiter. Legibus proscribatur omnis obscenitas, petulantia, leuitas, libido & luxuria, in uestibus, ædificijs, poculis, cibis. Sancte colatur cõiugium. Exulent fornices cum scortatione. Exulent adulteria supra raptus atq; incestus. Exhibeantur conuiuia moderata. Colatur frugalitas uectigal omnium maximum. Breuiter quicquid cum honore & decore pugnat legibus explodatur. Muniatur legibus iustitia. Caueatur ne quis uel indigenarum uel peregrinorum lædatur, in fama, in fortunis, in corpore uel uita. Lædens alium uolenter uel insidiosè puniatur secundum leges. Sint leges iustæ de adeundis hæreditatibus, de contractibus, stipulationibus, fideiussionibus, emptionibus, de ponderibus & mensuris, de locationibus, mutuo, deposito, de mercede conductis, de usufructibus & usufructu. Sit ordo inter patrem & liberos, inter coniuges, inter dominum & seruum, breuiter suum cuiq; cedat ex integro. Neq; enim statui hic omnes iuris titulos commemorare. Præterea procuranda erit legibus pax, ut quisq; suis tranquille possit frui. Depellenda est omnis uolentia & iniuria, sopiendæ similitudines & insidiæ. Bella quoque sopienda sunt prudentia uel excipienda finiendaq; fortitudine heroica.

*Leges de honestate.*

*Leges de iustitia.*

*Leges de pace.*

Cæterum ut talis nobis & magistratus & uita obtingat, iussit apostolus ualde precari dicens, Adhortor ut ante omnia fiant deprecationes & obsecrationes, interpellationes item, & gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminencia constitutis, ut placidam ac quietam uitam degamus cum omni pietate & honestate. Rursus cogor nondum plene absoluta hac causa uela colligere. Cras adijciam reliqua. Vos iam diligenter animis in cælum sublatis orate, &c.

*De Iudicio & officio Iudicis. Iudicia non esse Christianis prohibita. De uindicta & pœna. An liceat magistratui cadere sonores? Quare, quando, quomodo, & quid puniat? An propter religionem punire possit?*

SERMO VIII.



XI heri de ordinatione magistratus, restant duo reliqua huius officii Iudicij & Pœna siue ultio, de quibus pro gratia à Deo concessa, breuitate succincta dicam: uos intentis animis attendite, & domino pro gratia supplicate.

A 3



DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

*Iudicium  
quidē*

Iudicium uarie accipitur, sed in præfenti est sententia iudicum interposita inter litigantes, desumpta autem ex legibus secundum æquum & bonum, prout causa proposita à partibus requisit, pronuntiata in hoc, ut dirimat litigantes, & ut suum cuiq; cedat. Prodeunt enim in iudicium confessum partes, litigant de hæreditate aut possessione aliqua, quam partium quælibet ad se iure pertinere contendit, propositis in medium argumentis, quibus suum ius probant atq; demonstrant. Ea diligenter audiunt & colligunt iudices, deinde eadem conferunt inter se & cum legibus, postremo ferunt sententiam, qua possessionem alteræ parti decernunt, alteræ adimūt. Similis ratio est & in alijs causis. Hoc uero iudicium est, ipsa inquam iustitiæ executio. Est autem hæc ratio dirimendi & componendi partes lenior consequente nimirū pœna atq; uindicta, cum iam nō tantum uerbis res agitur & sententijs, sed uerberibus & gladio. Et sunt quidem causæ diuersæ, quarum aliæ non possunt nisi gladio finire,

*Iudiciū &  
ultio præ  
stantissima  
in officijs  
magistratus.*

aliæ sententijs & mitius longè transiguntur. Cæterū in his est salus & incolumitas regni uel reipub. Sunt itaq; iudicium & pœna in officijs magistratus longe præstantissima, etsi uideantur dura ac crudelia. Verum nisi exerceatur hæc (ut uidentur) crudelitas, omnes ætates ordines & sexus experientur longe crudeliora & reuera crudelissima. Nam crudelitas non est, quæ iubente domino, ad seruandos innoxios & ad tranquillitatem in regno seruandam, exercetur, iusta magis est seueritas. Finge autem rempublicam esse quæ absolutissimis instructa sit legibus, quod religionem atinet & mores politicos: finge præterea nullum esse in republica illa magistratum qui leges illas exerceat & tueatur, qui omnia dicta & facta hominum ad illas leges redigat atq; reducat: & iccirco quemlibet pro sua libidine perumpere & quidlibet agere, quid oro leges illæ scriptæ profunt ciuibus? Nihil prorsus. Præstantissima ergo officiorum pars in iudicio & ultione consistit. Et requirunt illa uirum siue iudicem præstantem & heroicum: quem ipse dominus in lege sua qualem esse cupit ac officium quod agat graphice describit: quam descriptionem recitabimus atq; explicabimus, quando in hac re iudicis persona primas tenet.

*Iudicis offi  
cii descri  
bitur.*

Moses præcipiente domino ad iudices ait, Audite causam fratrum uestrorum, & iudicate iuste inter uirum & fratrem eius & inter peregrinum eius. Non recipietis faciem in iudicio: tam paruum quam magnum audietis: neq; timebitis ab illo uiro, quia iudicium domini est. Duo agit diuinus propheta in his uerbis. Indicat quodnam sit iudicis officium: & quæ uitia quæ morbi inficiant iudicem, quo

quo minus suo officio satisfaciat. Et quantum attinet ad officium boni iudicis, primo requiritur ab eo ne quem repellat, sed audiat omnes, paruum, magnum, inquilinum, ciuem & peregrinum, notum & ignotum. Audiat autem partes beneuole, diligenter, attente. Excluditur his focordia & animus à dicente alienatus. Excluduntur præiudicia, quæ mentem iudicis alienant. Ipsa res clamat audiendum esse intelligendumq; sobrie priusquam iudicandum. Et uulgare est illud, Audiarur & altera pars. Prudenter dicebat iudex ille accusatori se alteram præbuisse aurem, alteram reseruare reo. Comprehendimus in his cognitionem iudicis diligentem, ne acceleret iudex in causis nondum plene cognitis, quas uidelicet iudex ex re ipsa non ex delatione partium iudicare debet. Deinde iudices, ait, & iuste quidem iudicet iudex. Iudicare est discernere & pronunciare secundum leges pro æquo & bono, quid bonum, quid malum, quid rectum, quid iniquum. Heluetij utimur uocabulo *urteilen* oder *erteilen* oder *richten*, quasi quis dicat rem diligenter expensam discriminare, & incuruam cõplanare & rectam facere. Partes affectibus cæcæ res rectas incuruas faciunt, iudex ad normam æquitatis & legum adhibens, rursus rectificat: ergo iudicare est rectificare. Præterea iudicare est defendendo & puniendo asserere. Iudex ergo iudicat cum asserit innoxium, cohercet nocentem. Cæterum iudicandum est iuste, id est secundum iustitiam & leges, quæ unicuique suum illud reddunt. Iniuste iudicat iudex, cum contra leges & iustitiam, ex uitia affectibus mente, pronunciat. Inspicienda ergo iam sunt uitia iudicum.

*Audiat & cognoscat.*

*Iudices iuste.*

*Iudicium uitia.*

*Respectus personarum.*

*Vehemens affectus.*

Et plurima quidem sunt iudicum uitia morbiq; animorum uerborum: sed præcipui duo. Alter morborum corruptenium animos iudicum, quo minus suum exequantur officium est receptio facierum seu respectus personarum, nempe cum iudex in iudicio non ipsas res, uel causas quales reuera sunt causarumq; circumstantias, sed uel dignitatem excellentiam uel, uel humilitatem sortem uel afflictam, uel genus, uel clientelam uel tale quidpiam spectat. Hoc malum excludens dominus, iuste, inquit, iudicabitis, non recipietis faciem in iudicio: tam paruum quam magnum audietis. Alter morborum est metus, sanè uehemens affectus, omnia disturbans præclara consilia, omnesq; præfocans uirutes. Sub metu intelligimus & spem, nimiorum emolumenti, adeoq; & munerum corruptelam. Qui metuit uitæ suæ aut fortunæ suæ, aut ne quæ offendant magnatum, neue iudicia & odia uulgi in se exciter: qui munera accipit, aut se accepturum ab altera partiù sperat, impingit in iustitiã, & promouet iniquitatẽ. Dñs itaq; Non timebitis, inquit, ab ullo mortaliù: nõ sperabitis à quoq; quicq;

munerum. Ratio, Non uestra res agitur, neq; huc uocati estis ut rem uestram conficiatis, sed Dei iudicium est. Spectanda est ergo uoluntas & lex Dei. Ac Deus tueri potest iudices iustos contra iniqua quorum uis odia & contra omnem uiolentiam. Præterea cum dicitur iudicium esse Dei, admonentur iudices Dei iudicis supremi exemplū ipsis esse imitandum. Quale uero Dei exemplum sit exponit idem

*Iudex Dei exemplum imitetur.*

*2. Para. 19*

Moses in 1. cap. Deut. & ait, Deus non suscipit nec personā nec munus, ipse facit iudicium pupillo & uiduæ: & amat peregrinum, ut det illi panem & uestitum, diligetis ergo & uos peregrinum. Ita agere oportet etiam iudices diuinos in iudicio Dei. Certe Iosaphat princeps religiosissimus constitutus à se iudicibus dicit, Videte quid agatis: non enim hominis exercetis iudicium sed domini, qui uobis scum est in causis quas iudicatis. Sit ergo timor domini in uobis, obseruate & diligentes este. Quoniam non est ulla peruersitas aut corruptio apud dominum Deum nostrum ut uel personas suscipiat uel munera recipiat.

*Exodi 23.*

His adijciam alios quoq; scripturæ locos qui superiores illustrēt partim, partim officium iudicis significantius explicent & ornent. In Deuteronomio legimus, Iudices iudicabunt populum iusto iudicio. Non declinabis iudicium, nec agnosces personam, neq; accipies munus. Quoniam munus excæcat oculos sapientum, & peruertit uerba iustorum. Iustitiam iustitia prosequaris, ut uiuas & possideas terram. Rursus in Exodo legimus, Non sequeris multiudinem in malo, neq; respondebis in causa, ut declines post multos ad peruertendum. Pauperem non ornabis in causa sua: neq; peruerteris causam pauperis tui in causa sua. A uerbo falso longe aberis: nec innocentem & iustum occides. Quoniam non iustifico impium. Munus ne acceperis, quia munus excæcat uidentes & peruertit uerba

*Leuit. 19.*

iustorum. Item in Leuitico sic legis, Non facietis peruersum quid in iudicio, nec suscipias faciem pauperis, neq; honorabis uultum magnifici, in iustitia iudicium proximi tui decernes. Item, Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula in pondere & in mensura. Bilanx iusta, lapides iusti, epha iustum, & hin iustum sit uobis. Ego dominus Deus uester, &c. Comprehensum in his domini Dei nostri uerbis aut præceptis paucissimis omne illud arbitror quod philosophi & iuris prudentes uix multis absoluunt libris. Super hæc omnia sanctissimus Dei propheta Ieremias clamat, Facite iudicium & iustitiam & liberate ui oppressum de manu calumniatoris: peregrinum quoq; pupillum & uiduam ne contristeris neq; iniuriam faciat

*Ierem. 22.*

tis & sanguinem innocentē ne effuderitis. Hæc de iudicum officio.

Frustra

Frustra uero de his hucusq; apud quosdã differuimus, nisi etiam *Iudicia nõ*  
 ipsorum obiectiones diluamus, quibus contendunt demonstrare *esse abroga*  
 forum in uniuersum omne abrogatum esse, in euãgelio dicente do *ta inter*  
 mino, Et qui te uelit in ius trahere ac tunicam tuam tollere permittite *Christias*  
 illi & pallium, Et iterum, Cum abis cum aduersario tuo ad magi *nos.*  
 stratum da operam ut in iunere componas cum illo, ne forte trada  
 ris tortori. Addunt lites forenses ab apostolo Paulo ad Corinth. scri  
 bente in cap. 6. damnatas, Ad quæ sic respondemus, Sicut œcono  
 miam non abolet & damnat doctrina euangelij & apostolorum  
 ita neq; politiam. Obiurgat & repellit dominus in euangelio secun  
 dum Lucã adolescẽtem qui postulabat ut cum fratre suo ageret quo  
 is partem hereditatis æquam cederet: non quod damnaret si quis po  
 sceret diuisionem æquam, aut partem iure sibi debitã, sed quod exi  
 stimaret id nequaquam sui esse officij, sed iudicum, Quis, ait, consti  
 tuit me iudicem aut diuisorem inter uos? Præterea sicut in euangelio  
 scriptum legimus, Si quis uelit te rapere in ius & tunicam tuam à te  
 tollere, cede illi & pallium: ita ex aduerso non requiritur aliud in ro  
 ta euangelica doctrina maiore diligentia quã charitas & benefi  
 centia. Cæterum confertur beneficentia si aliã per iudicium & iusti  
 tiam maxime. Cum autem propter iudicium & iustitiam exercens  
 dam & seruandam inuenta sint iudicia: claret ipsa per euange  
 lium minime esse abrogata. Clamant insignes prophetæ Isaias &  
 Zacharias, Ille, Cessate male facere, discite benefacere, quærite iudi  
 cium, subuenite oppresso, agite in iudicio causam pupilli & uiduæ. *Isaie 1.*  
 Hic uero, Iudicate iudicium ueritatis, & facite beneficentiam ac mi  
 sericordiam unusquisq; cum fratre suo. Viduam & pupillum, pere  
 grinum & pauperem nolite calumniari. Peccant ergo qui iudicia  
 perturbare & iudices è subsellijs deturbare pergunt. Nam ut bonam  
 ueri Dei cultus partem auferunt, sic iniurijs rapinis & oppressioni  
 pauperum ianuam aperiunt. Præcepit dominus fateor quæ recitata  
 sunt ab aduersarijs. Ea ratione uoluit consulere hominibus quieti:  
 sed quoniam malitia hominum est insuperabilis, patientiaq; inno  
 cuorum animos addit iniquis nebulonibus, nequaquam damnauit  
 dominus moderatum iudiciorum usum. Sed & Paulus apostolus  
 non semel iudicijs legitur usus in Actis apostolorum, non propter  
 pecuniam sanè aut peculium, sed propter uitam suam quam cupie  
 bat seruata defensamq; à latronibus. Nec consentit in iniquum Fe  
 sti præsidis iudicium, sed appellat ad Cæsarem: & tamen non igno  
 ramus Paulum a cõtione hac sua nihil peccasse cõtra doctrinam Chri  
 sti euangelicam. Idem Paulus ad Corinthios non damnat absolue

quod in foro decertarent Corinthij super rebus ad uictum pertine-  
 ribus, sed quod sub infidelibus litigarēt iudicibus. Decebat quidem  
 æquo animo iniurias ferre, indecens est ulli ullam inferre iniuriam:  
 quoniam uero dominus iniuriam sustinentibus mederi subueni-  
 rit; uoluit in iudicio, nihil peccat qui cupiat iniuriam à se propulsa-  
 ram, non uindicta priuata, sed æqua iudicum sententia. Ideoq; præ-  
 cipit Corinthijs apostolus sibi ex fidelibus deligant iudices qui liti-  
 gantes propter res temporales dirimant.

*De uindi-  
 cta magis-  
 tratus.  
 Gladius.*

Exposita parte officiorum magistratus secunda iudicio uidelicet,  
 descendimus ad tertiam & postremam explicandam, ad uindictam  
 & pœnam. Nam magistratus pro officio suo gerit gladium: ergo di-  
 uinitus iubetur uindicare bonos & cædere malos. Gladius enim di-  
 uina est uindicta seu instrumentum quo Deus suas persequitur ini-  
 urias & hostes suos: ac usurpatur generaliter in scripturis pro ultio-  
 ne & uindicta. Apud Ieremiam clamat dominus, Gladium uoco su-  
 per omnes habitatores terræ. Item apud Ezechielem, Gladius acu-  
 tus & politus est ut iugulet uictimam. Rursus, Dabo gladiū meum  
 in manus regis Babel. Certe Pharaones Aegyptijs dicti sunt reges  
 ipsorum, quasi tu dicas uindices. Est autem duplex apud magistra-  
 tum gladij usus. Vel enim fontes puniunt propter iniurias alijs illa-  
 tas & propter maleficia uaria. Vel bello depellunt hostem grassan-  
 tem, aut opprimunt rebelles uel seditiosos suos ciues.

*An liceat  
 occidere  
 uel punire  
 fontes?*

Verum obijciatur hic nobis iterum secundum doctrinam euange-  
 lij neminem posse uel occidi uel occidere, eo quod dictum sit à do-  
 mino, Ne resistatis malo. Et ad Petrum, Conuerte gladium tuum in  
 uaginam suam. Omnis qui gladium sumit, gladio interit. Respon-  
 demus in tota scriptura priuatam prohiberi uindictam, non publi-  
 cam. Priuata autem erat uindicta & inordinaria quam exercere præ-  
 rabat apostolus Petrus, ad prædicationem uerbi Dei, nõ ad tribunal  
 ad arma aut militiam uocatus. Atq; contra priuatam & inordinariam  
 uindictam recte pronunciat, Omnis qui sumpserit gladium, in-  
 teribit gladio. Cæterum publicam uindictam & ordinarium gladij  
 usum minime à Deo in ecclesia prohibitum esse, demonstro hoc di-  
 uini apostoli testimonio, Docuit Paulus in 12. cap. ad Romanos  
 quid à nobis exigar euangelica perfectio, & inter alia profert et hæc,  
 Ne ulciscamini uos ipsos dilecti, quin potius date locū iræ. Scriptum  
 est enim, Mihi ultio & ego rependam. Quoniam uero obijci pote-  
 rat, Atqui hac ratione Christiana patientia cædibus & parricidijs co-  
 piofissimam suppedinabit materiam, subiicit in mox insequente cap.  
 23. Magistratus Dei minister est, tibi in bonum, ad terrorem male  
 agentibus

agenibus. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est ultor ad iram, ei qui quod malū est fecerit. Colligimus ergo ex hac apostoli doctrina abs quolibet nostrum Deo permitendam ultionem, nec licitam esse uindictam priuatam. Licita est autem publica & ordinaria. Nam Deus qui dixit nobis, Mihi uindictam cedito, & ego retribuā, idem uindictam illam sibi permissam aut datam, concedit Magistratui. Idcirco magistratus est gladio persequi hominum iniurias, idēq; diuino nomine & iussu. Ergo quando punit magistratus, Deus ipse, cuius est uniuersa ultio, punit per magistratū, qui hoc nomine appellatur Deus. Præterea scriptum est, Maleficum non patieris uiuere. Item, Dissipat impios rex sapiens, & conuertit super eos rogam. Rursus, Qui iustificat impium & qui condemnat iustū, uterq; est abominatio domini. Nec desunt exempla approbatiua nobis quosdam incurrisse iram domini grauissimam, quod clementia præpostera pepercerunt illis, quos mandarat Deus gladio percussore. De Saule loquor & Achabo, Ex aduerso sunt innumera optimorum principum exempla testantia maxima cum laude supplicium sumi de sceleratis. Neq; enim ullum peccatum aut ulla culpa hæret in feriente & supplicium fumente principe de noxio & scelerato homine. Ideoq; in lege usq; ad fastidium repetitur, Sanguis eius super eum. Porro sanguis noxi licet non effusus sit, impuatur magistratui pro culpa, quando sui negligens officij ueniam dar nulla ueniam dignis, nec uindicat innoxium. Nam pariceps efficitur iniuriæ & effusi sanguinis iusti, quem non uindicat, dum illi parcat cui iusserat dominus in ceruicem deuertere gladium. Profecto non est crudelitas (uui falso iudicatur) iusta magistratus seueritas, in puniendis maleficis hominibus. Præpostera autem clementia parcens facinorosis & indignis uita consortiōue hominum, reuera atrox est crudelitas. Nam cum magistratus mortem meritis nephandis flagitijs dimittit impunitos ac incolumes, augetur principio audacia simili scelere obnoxij, progrediendi uidelicet in sceleribus. Vident enim parsum esse simili facinore diffamatis. Deinde qui nondum in profundum scelerum demersi sunt, tentantur autem à malo in horas, ut se rotos demergant in nephanda flagitia, facilius manus dabunt. Vident enim clementer tractari facinorosos. Postremo nihilo meliores ferè redduntur impune dimissi: imò conduplicant iam mala, eoq; recidit tandem res ut cogaris illum iam ferire propter parricidia multa, in quo noluisse punire unum homicidium, seruareq; innoxios quos interea latro sustulit. Lupos ergo & ursos emittunt in plebem qui nebulones nepharios dimitunt.

*Clementia  
præpostera*

*Seueritas  
nō est cru-  
delitas.*

Quare De  
us iubeat  
punire fa-  
cinorosos.

Ostenso iure gladij & quod magistratus uindicare iniurias ho-  
minum & facinorosos occidere possit, consideremus porro quæ  
sint causæ ob quas Deus iubet supplicium sumere de noxijs homi-  
nibus, item quædo sit sumendum supplicium, deniq; quæ sint suppli-  
ciorum aut pœnarum irrogandarum à magistratu genera.

Causæ potissimæ propter quas noxios punire palàm præcipit  
dominus illæ ferè sunt. Vim uel repellit & hominum salutem & in-  
comunitatem operatur dominus, uindicat iniuriam perpeffos, & res-  
tituit quæ restitui possunt. Idem iustitiam suam declarat, quæ cuiq;  
rependit pro suo facto. Probrosa ergo facta morte eluit probrosa.  
Admonet reos sui sceleris & sensum ferè indit pœnitentiæ & salu-  
tis. Nã si facinorosus agnoscat scelus admissum pœnitentiq; ipsum  
delicti & toto pectore credat in Christum, remittitur ipsi peccatum  
& saluatur: sicuti apertum habemus in latrone crucifixo testimoni-  
um. Cui certe supplicium fuit salutis occasio. Alteri latronum nihil  
salutis obuenit, quia non credidit in Christum neq; diuexatione illa  
sua admonitus sapere cœpit. Præterea exhibetur iudicijs publicis &  
uindicta exemplum omnibus alijs hominibus quo discant ipsi sibi  
ab huiusmodi cauere flagitijs, nisi simili malint perire supplicio.

Quædo a-  
nimaduertat Magi-  
stratus in  
noxios.

Non animaduertat autem magistratus in quenquam nisi constet  
prius puniendum, eam quam decernunt iudices pœnam commeru-  
isse, ac Deum iussisse in tale delictum animaduertere, id est iure Dei  
damnatum esse quod punitur. Illud uero constabit ex propria libe-  
raty puniendi confessione uel ex testimonijs probatis contra puni-  
endum latis siue collectis, deniq; ex collatione legum cum ipsis pu-  
niendorum sceleribus. Ergo non licet magistratu animaduertere in  
uirtutes, in ueram religionem & in uiros probos honestos & reli-  
giosos. Magistratus enim ordinatus est à Deo ad terrorem non bo-  
nis sed facinorosis.

Quæ sup-  
pliciorū ge-  
nera.

Ac de modo & ratione pœnarū non est curiosius disputandum.  
Seruet quælibet gens aut ciuitas sua supplicia & modum supplicio-  
rum, nisi forte mores patrij habeat aliquid truculenti & iniqui. Hoc  
enim ad æqui & boni regulam moderandum esse nemo sanus ne-  
gauerit. Species suppliciorum sunt deportatio siue exilium, diminu-  
tio capitis, mulctatio in fortunis, carcer ac uincula, uirgæ, stigmata,  
amputatio membrorū, ipsa deniq; mors perfecta gladio igni aqua  
laqueo aut modis alijs, cuiilibet genti proprijs. Nec caret scriptura  
tristium huiusmodi titulorum catalogo. Legimus enim in libro Es-  
dræ, Quicūq; autem facere noluerit legem Dei tui atq; legem regis,  
de hoc ilico fiat iudicium, siue ad mortem, siue in exilium, siue ut fa-  
cultatibus.

cultatibus mulctetur, siue ut conijciatur in uincula & carcerem. Hęc non temere propter eos commemoro quibus hæc uidentur inter fideles non esse uel nominanda.

Cæterum modus in his discretioꝝ apud iudices sit oportet, certe ut enormia peccata grauius puniãtur, minora delicta mediocribus supplicijs coherceantur, in minima uero seu leuia moderatius animaduertatur. Notissimum est illud e lege diuina, Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Vbi etiam locum habet consideratio clementiæ iudicis. Excusat reum non raro uel sexus uel ætas. Excusantur aliquando facta eius alioqui non bona circumstantijs rite expressis. Consideratur item a iudice diligenter rei antea facta uita, quæ cum hætenus fuit honesta & proba, plus meretur reus clementiæ, nisi facinus ob quod modo tenetur uinctus tam sit enorme, ut nullam admittat clementiam. Verum pietas siue timor Dei, preces quæ effusæ ad dominum, & diligens legitimatꝝ facti aut dicti, id est facinoris examinatio, optima erit regula quando iudex uel clementer uel seueriter agat. Alioqui decens clementia maximã habet laudem cum apud Deum tum apud homines.

*Discretio et  
clementia  
iudicis.*

Demonstrauit charitati uestræ quod magistratus punire fontes & possit & debeat, deinde quare uoluerit Deus puniri palam facinorosos, hinc quando, quomodo & quantum sint puniendi. Restat ut dicamus propter quid uel ob quæ delicta sint puniendi. Id autem uno uerbo exponi potest, omnia dicta & facta quæ legibus Dei & magistratus cõtraria sunt, id est omnia quæ contra leges scelerate fiunt, sunt punienda. Iam uero leges latæ sunt uel de religione uel de rebus ciuilibus. Ac hæc quidem uersantur circa honestatem iustitiam pacem. Proinde punire aut cohercere oportet omnes quotquot honestatem iustitiam & pacem publicam & ciuium priuatam conturbant, affligunt, uexant, perdunt atq; subuertunt. Puniantur fœditas, obscenitas, libido, stuprum, fornicatio, adulterium, incestus, sodomia, luxus, ebrietas, crapula, auaritia, impostura, usura atterens, proditio, cædes, parricidium, seditio, & si quid aliud est huius generis. Catalogum satis prolixum texit dominus in lege sua apud Moysen Leuit. 24. & 20. Et ne quis hodie illa arbitretur esse abolita, audiat S. Paulum dicentẽ, iustis non est lex posita sed iniustis & inobsequentibus impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorũ concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris & si quid aliud est quod sanæ doctrinæ aduersetur. Sed cõtra religionis leges peccat apostata, idololatra, blasphemus, hæreticus & falsi doctores, religionis deniq; irrisores.

*Quenam  
sint punien-  
da in noxijs*



DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

*An magis  
stratus pu-  
niri possit  
propter re-  
ligionē ui-  
latam?* Contrauerſum eſt autem & contrauerſitur hodie adhuc an liceat  
magiſtratu ſuæ poteſtati ſubditos punire religionis uel contemp-  
tæ uel contumelijs affectæ gra-ia: Manichæi & Donatiſtæ fuerunt in  
ea ſententia quod nemo ſit religionis gratia uigendus, nedum cæ-  
dendus, ſed quilibet ſuo relinquendus arbitrio. Verum ſcriptura di-  
uina diſerte mandat magiſtratu ne pſeudoprophetis parcat: imo iu-  
bentur rebelles Deo legibus & iudicijs ſanctis occidi ſine miſeri-  
cordia. Loca ſunt in ſcripturis illuſtriſſima & nemini nõ notiſſima.  
Alter habetur Deut. 13, alter in eodem lib. cap. 17. In Exodo hæc po-  
nitur lex, Qui immolat dijs præterquã domino ſoli, exterminetur.  
Occiditur ac lapidibus obruitur blaſphemus in Leuitico. In Numes-  
ris cæditur qui uiolat religionem ſabbati. Et quot quæſo illorum  
cadunt gladio ultore ſternente, qui uitulum erexerant & coluerant  
in deſerto? Helias celebri ſacrificio maſtauit aliquot centurias pſeu-  
doprophetarum ad montem Carmeli. Eliſeus mandante domino  
inungit Iehu in regem ad hoc ut & domum Achabi extirpet et ſacer-  
dotes Baal immolet unã omnes. Ioiada ſacerdos Athaliam cæcidit.  
Ioſias rex Deo dilectiſſimus ſacerdotes excelforum ſacrilegos & per-  
tinaces ad unum omnes ſuſtulit. S. Auguſtinus Tractatu in Ioan. 11.  
contra Donatiſtas diſputans exemplo Nabuchodonoforis oſtendit  
Chriſtianos principes iuſte animaduerrere in Donatiſtas Chriſtum  
& doſtrinam eius uilipendentes. Inter alia, Si rex Nabuchodono-  
for, ait, gloriam Deo dedit, quia liberauit de igne tres pueros, & tan-  
tam gloriam dedit ut decretum mitteret per regnum ſuũ: quomodo  
iſti (noſtri) reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt  
liberatos de flamma, ſed ſeipſos liberatos de gehenna, quando ui-  
dent Chriſtum à quo liberati ſunt exuffari in Chriſtianiſ, quando  
audiunt dici Chriſtiano, dic te non eſſe Chriſtianum? Talia facere  
uolunt & ſaltem talia pari nolunt. Nam uidete qualia faciunt, &  
qualia patiuntur. Occidunt animas: affliguntur in corpore. Sempit-  
ernas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur. Hæc  
ille. In nouo teſtamento habemus maximorum Chriſti apoſtolo-  
rum Petri & Pauli exempla clariffima. Horum alter Ananiam &  
Saphyram ſternit propter hypocrifiſin & mendacium ſiue fictam re-  
ligionem. Alter Elimam magum, quaſi erutiſ oculis, cæcum reddit.  
Neq; admodum refert cædatur aliquis gladio poculis an uerbis. Oc-  
cidere eſt occidere, quocunq; fiat modo aut instrumento. Et Deus  
egit per apoſtolos: idem ille agit per magiſtratu. Nam ultio eſt Dei  
qui illam iradit magiſtratu uiriſq; primarijs exercendam uel ſumen-  
dam de facinoroſis. Extant leges multæ ſanctiſſimorum principum  
Chriſtianoſ

Christianorum in negotio religionis laxè mandantes punire idolatras apostatas hæreticos & impios. Vnam ex multis S. Constantini Imperatoris charitati uestræ recitabo. Scribens enim ad Taurum P. P. Placuit omnibus locis atq; urbibus uniuersis, ait, claudi protinus templa & accessu uerito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiã cunctos sacrificijs abstinere. Quod si aliquid forte huiusmodi perpetrauerint, gladio ultore sternantur, facultes etiã perçpti fisco decernimus uindicari. Et similiter puniri rectores prouinciarum, si facinora uindicare neglexerint. Eadem prope mandant uulgatis edictis Theodosius & Valentinianus in codice Theodosiano tit. 2. item Valentinianus & Martianus in codice Iustiniano tit. 11. lib. 1. His omnibus accedit illud quod citra controuersiam iure & religiose puniuntur adulteri homicidæ seditiosi impostores & blasphemii. Inde consequens est optimo iure occidi & pseudoprophetas aut hæreticos. Nam sunt impostores blasphemii & homicidæ.

Cæterum in puniendis his magna est seruanda habendaq; ratio, *Que moderatio ad hibenda sit in puniendo.* primo quidem personarum, deinde uero errorum: postremo ipsarum quoq; pœnarum. Nam in persona magna est diuersitas. Sunt enim antesignani & duces peruicaces in erroribus, qui audaces sunt, hypocritæ & loquaces, & iccirco ad seducendum appositissimi, ipsi quidem citra emendationem in propriam ruentes perniciem & alios secum pertrahentes. Et hi modis omnibus sunt coercendi ueluti ecclesiæ pestes, ne contagio ipsorum ceu cancer serpat latius. Sunt deinde seducti quidam ac dementati ab alijs, qui errant sed non malitia neq; pertinaciter, sed resipiunt in tempore. Hos non oportet damnare protinus, sed orare ac sustinere dominum errantesq; spiritu lenitatis & mansuetudinis erudire, donec redeant ad mentem meliorem.

Porro in erroneis dogmatibus alia alijs sunt grauiora. Sunt quædam adeo impia blasphema & indigna, ut ne audiri quidẽ nedum ferri possint. Sunt quæ rectè & palàm tendant in subuersionem rei pub. nisi in tempore sopiantur. Oportet autem scripturis & manifesta ueritate euincere illa quæ in accusationem ueniunt, esse talia, qualia dicuntur. Comperta ueritate & productis apertis testimonijs scripturæ licebit in blasphemos & euerfores ecclesiæ reipublicæq; grauius animaduertere. Sed leuior mitiorq; pœna decernatur contra errantes in leuibus, non capitalibus erroribus. Nam errant quidam, sed ita ut erroribus horum Deus non blasphemetur, & ecclesiâ consistat, deniq; ipsa non inturbetur reipublica. Vbi rursus occur

DE PRAECEPTO DECALOGI VI.

rat cuilibet illud apostoli, Alter alterius onera portate. Item, Infirmos in fide suscipite, non ad dijudicationes disceptationum.

Iam & in supplicijs & pœnis insigne est discrimen. Pertinaciter errantes & alios secum in errorem abducere inq; erroribus retinere contumaces, blasphemi & perturbatores imò subuersores ecclesiarum iure cædi possunt. Ideo tamen capitis supplicio non protinus afficiendus est omnis qui errat. Et quæ minis & increpationibus curari possunt, non debent acerbioribus elui & puniri. Modus in re qualibet optimus est. Est & multa pecuniaria. Sūt carceres in quos concludi possunt, ne alios inficiant qui ueneno prauæ doctrinæ & fidei corrupti sunt. Sunt & aliq; corporum afflictiones quibus coercentur errantes, & ut noceant minus alijs sanis, & uripsi seruentur, non toti pereant, sed respiscant. Sed timor Dei æquitas & prudentia iudicis intelliget ex circumstantijs quomodo punienda sint in seductoribus & seductis praua dogmata & perucax rebellio, aut stolida & minime maliciosa credulitas.

*De admonitione præcedente pœnam.* Admonitio seria & diligens locum non habet in sceleribus nephandis iam perpetratis & gladio eluendis: curet ergo magistratus ut moneat in tempore monendos. Nam admonitio seria & diligens diligenter cōmendata est omnibus proceribus exercenda erga subiectos & iam aliqua in re periclitantes. Sed & prudentes & pijs magistratus non raro pepercerunt peccantibus ignoranter, respicientibus autem ad seriam admonitionem. Dominus in euangelio iubet admonere peccantem & obsequenti parcere, rebelli grauiora iniicere. Et Iosue priusquam ad arma conclamaret, missa legatione iuberet Rubenitas cum socijs demoliri aram, quam illi uidebantur extruxisse contra legem domini. Et Iustinianus Cæsar respicientibus amplectentibusq; meliorem sententiam ueniam concessit Constit. 109. Nam & Iosias non omnes erroribus implicitos occidit, sed incurabiles maxime. Moderatio ergo adhibenda magistratui in sonantibus puniendis.

*Respondetur ad obiectiones.* Non possum hic dissimulare & transilire quod his hætenus de supplicio à me allatis obijcitur à quibusdam, nempe apostolū Paulum non præcepisse hæreticū hominem post unam aut alteram admonitionē occide aut mulctato, sed deuita. Fidem itē esse donū Dei, quod non possit ulli inferi aut dari gladio. Præterea neminem esse cogendum. Qui cogit, hypocritam facere, religiosum facere non posse. Iam etiam apostolos nulla à regibus subsidia uel ad tuendam religionem Christi uel ad propagandam aut ad puniendos hostes religionis atq; blasphemos postulasse. Ad quæ paucis sic respondeo. Scriptum

Scriptit Paulus ad apostolum dum scripsit epistolā ad Titum. Apostolum ergo informat, quomodo se gerat in suo officio erga hæreticum deploratum. Si ad Sergium Paulum aut ad præsidem aliquem scripsisset, proculdubio & huic præscripsisset suum officium. Certè idem ille Paulus stans corā Sergio Paulo principe Cypri, suo factò demonstrauit Sergio quid deceat magistratum. Nam Elymam pseudopphetam non rātum obiurgat uerbis acerbissimis, deinde eius se abdicat consortio ipsumq; deuicit & fugit, sicut Cerinthum Ioannes apostolus, sed & corporali percutit cæcitate.

Fateor fidem esse donum Dei in corde hominis cuius scrutator *Fides est solus est dominus.* Cæterum ex dictis & factis iudicantur homines: *donū Dei.* ut ergo non sit puniendā erronea animi opinio, neuiquam tamen ferenda est pestilens & impia professio siue doctrina. Nemo sanè punit in hoc sæculo prophanas aut impias animi cogitationes: at si hæ in apertas erumpant blasphemias, puniuntur iam à bonis principibus blasphemæ uoces: interim pietas non cōfertur per magistratum. Iustitia ipsissimum Dei donum est, quod à solo Deo hominibus conceditur. Sed quis a deo ineptus ut inde colligat, ergo iniusti, raptores, parricidæ & uenefici non sunt puniendi. Nam puniendò magistratus non potest iusticiam conferre iniusto. Oportet itaq; discriminare inter fidem uti est donum Dei inhærens animo hominis & uti est externa professio pronuntiata & testificata coram hominibus. Dū enim fides falsa in animo sepulta later, nec inficit quenquā nisi infidelem, puniri non potest infidelis: ubi autem fides latens erumpit in blasphemias, ac Deum palām lacerat, et proximos quosq; inficit, protinus coercendus est blasphemus et seductor, ne malum latius serpat. Hunc nolle coercere, est gladium furioso dare in manus, ut conficiat imprudentes & imbelles, Fides est donum Dei, sed confert hoc suum donum Deus per mediā. Ea non uult negligi. Scit paterfamilias fidem esse donum Dei, sed nihilominus erudit liberos suos in uerbo fidei, & præcipit ut abeant in cæterum sacrum, pro fide orent ac fidem ex uerbo docentis discant. Indignissime ferret in dō non ferrer parens bonus si filius diceret, Nōli pater me erudire, noli mittere in cæterum ecclesiasticum, noli negligentem scutica excitare. Fides est donū Dei, quod nō per scuticam incutitur. Quis ergo æquis auribus audiat clamantes fidem esse donum Dei, ergo neminem propter fidem id est propter fidei corruptionē & propter blasphemiam esse castigandum?

*An liceat  
quenquam  
cogere ad  
fidem.*

Ac Petilianus quidem clamabat dicens, Absit absit à cōscientia nostra ut ad nostrā fidem aliquem compellamus, Author Augu. lib. 2.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

cōtra Petiliani literas cap. 83. Ergo ne pergemus paria proferre cum hæreticis: aut dicere dominum Deum in scripturis hypocrisim plan-  
tare cum minis & castigationibus perpellit ad bonum? David dicit, Bonum est mihi domine quod humiliaueris me. Et Ierem. Castiga-  
sti me domine, ait, et castigatus sum, ueluti uitulus indomitus. Quod  
si nemo compellendus est ad bonum, cur quæso toties iubet morta-  
lium sapientissimus Solomon castigare liberos? Qui parcit uirgæ,  
odit filium, ait: tu quidem percutis eum, sed uirga liberat animam eius à  
morte. Quotidiana experientia rerumq; natura euincit uehementis-  
simos in hominib. esse affectus, quibus nisi medeamur & frenū ini-  
ciamus perdūt & se & alios qui facile & leui aliqua castigatione po-  
terant seruari. Dum insaniunt homines uim & castigationem uitu-  
perant, ubi autem redierunt ad mentem, ac cernunt iam palam à  
quantis per eos qui ipsos coegerunt, sint liberati malis, gaudent se  
salubriter esse castigatos et laudant iam uiolentiam quam prius uitu-  
perant. Audiamus quid in hac re exercitatus plurimum senserit &  
docuerit S. Augustinus. De ui coercendis hæreticis ad Vincentium  
contra Donatistas epist. 48. scribit in hæc uerba, Mea primus sen-  
tentia erat neminem ad unitatem Christi esse cogendum, uerbo es-  
se agendum, disputatione pugnandum, ratione uincendum, ne fi-  
ctos catholicos haberemus quos apertos hæreticos noueramus. Sed  
hæc opinio mea non contradicentium uerbis, sed demonstrantium  
superabatur exemplis. Nam primū mihi opponebatur ciuitas mea  
(Hippone) quæ cum tota esset in parte Donati ad unitatem catholi-  
cam timore legum imperialiū conuersa est: quam nunc uidemus ita  
huius uestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquā fuisse  
credatur. Ita alia multæ quæ mihi nominatim commemorabantur  
ut ipsis rebus agnoscerē etiā in hac causa recte intelligi posse quod  
scriptum est, Da sapienti occasionem & sapiētiōr erit. Rursus, Non  
omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui uerberat inimicus. Mello-  
ra sunt uulnera amici, q̄ uoluntaria oscula inimici. Melius est cū seue-  
ritate diligere, q̄ cum lenitate decipere. Et qui phreneticū ligat, & qui  
læthargicū excitat, ambobus molestus ambos amat. Quis nos potest  
amplius amare q̄ Deus? & tamen nos non solū docere suauiter, ue-  
rum etiam salubriter terrere non cessat. Putas neminē cogi debere ad  
iustitiā, cum legas patrē familias dixisse seruis, Quoscunq; inueneri-  
tis cogite intrare: cū legas ipsum primo Saulum postea Paulum ad  
cognoscendam & tenendam ueritatem magna uiolentia Christi  
cogenis esse compulsum? Nam idem in epist. ad Bonifacium comi-  
tem 50. Vbi est, inquit, quod isti clamare consueuerunt liberum  
esse

esse credere uel non credere? Cui uim Christus intulit: quem coegit? Ecce habent Paulum apostolum, agnoscat in eo prius cogentē Christum & postea docentem: prius ferientem & postea consolantē. Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad euangeliū intrauit coactus, plus illis omnibus qui solo uerbo uocari sunt in euangelio laborauit: & quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras mittit timorem. Cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios ut redirent, si perditū filij coegerunt alios ut perirent?

Rursus in eadem epistola idem August. Quod dicunt, inquit, qui *Apostoli* contra suas impietates leges iustas contumui nolunt, nō petisse à re- *nulla subsi-*  
*dia à magi-*  
*stratu pro-*  
*religione*  
*contra ho-*  
*stes postu-*  
*larunt.*  
 gibus terræ talia apostolos, non considerant aliud tunc fuisse tempus & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret? Quando adhuc complebatur illud propheticū, Quare remuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus dominum & aduersus Christum eius. Nondum autem agebatur quod paulo post in eodem Psalmo dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite ei in timore & exultate cum tremore. Quomodo ergo reges seruiunt Deo in timore, nisi ea quæ contra iustā domini sunt religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo? Aliter enim seruit quia homo est: aliter quia etiam & rex est. Quia homo est ei seruit uiuendo fideliter: quia uero etiam rex est, seruit leges iustas præcipientes & contraria prohibentes conuenienti uigore faciendo. Sicut seruiuit Ezechias lacos & templa idolorum & illa excelsa quæ contra præceptum Dei fuerant extructa destruendo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit rex Niuiitarum uniuersam ciuitatem ad placandum dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt domino reges in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Cum igitur nondum reges domino seruirent temporibus apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus Deum & aduersus Christum eius, ut prophetarum prædicta omnia completerentur, non utiq; tunc potuerunt impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum uoluebatur, ut & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium

præstare Deo, sicut prædixerat Christus: & gentes fremere aduersus Christianos & omnis potentia martyrum uinceret. Postea uero quam cæpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei, quis mente sobrius regibus dicat, Nolite curare in regno uestro à quo meatur uel oppugnetur ecclesia domini uestri: non ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit pudicus esse quis impudicus? Cur enim cum datum sit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur & sacrilegia permittantur? An fidem nõ seruare leuius est animam Deo quam fœminam uiro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur mitius uindictanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem, quis dubitauerit ad Deum compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis constat) prius timore uel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod iam uerbis didicerant opere sectari. Hactenus recensuimus S. Augustini uerba respondentis ad obiectiones eorum qui arbitrantur nullo iure animaduerti religionis causa in inobsequentes & rebelles seductos & seductores.

Frustratum me spe mea uideo, qui existimaui posse me quæ de Magistratu dicere institui plene absoluere hoc sermone. Nam uideo hic mihi subsistendum, nisi pergam C. V. supra modum esse molestus. Cras ergo adiciam his residua. Vos modo supplices ante dominum prostrati, orate, deinde abite in pace,

*De Bello, An liceat magistratui gerere bellum? Quid tradat de bello scriptura. An magistratum gerere possit homo Christianus? Et de officio subditorum.*

SERMO IX.



**D**ius gladij dati à Deo magistratui pertinet Bellum. Nam sermone proximo docui usum gladij in manibus magistratus esse duplicem. Vel enim fontes punit. Vel hostem grassantem aut grassari uolentem repellit, aut ciues rebelles aut seditiosos obruncat.

*An licitum  
bella gere-  
re magistra-  
tui.*

Dubitant autem multi an licitum sit magistratui bellum gerere. Atqui mirũ est eos in re alioqui clarissima sic cæcutire. Si enim magistratus iure diuino plectit fontes latrones seu noxios homines, neq; quicquam refert paucine numero an plures sint (quod hesternò in sermone demonstraui) eodem profecto iure ciues rebelles &

les & seditiosos, barbarum item militem idem palam prætextu militiæ tentantem, quod latrones clam solent perficere, bello persequi repellere & conterere potest. Dixit sane diuinus uates de Christianis prophetans inter alia, Constabunt gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces. Nam Christiani pacem habent cum omnibus hominibus, & prorsus abstinēt ab armis. Quisq; enim alteri præstat quod ab altero expectat. Quia uero non omnes sic animati sunt, quin potius turbatores multi sceleratq; latrones & oppressores inter honestos & humanos ciues ceu feræ beluæ inter animantia innoxia uersantur, Deus gladium in defensionem innocuorum è cælis magistratui porrexit. Nullibi uero prohibitum legitur ne lupos apros uel ursos huiusq; generis feras alias uel in homines uel pecudes grassantes opprimamus conficiamusq;. Quid ergo prohibeat bello iuste suscellere in iustam uim latronum? quando latrones raptores barbari milites, seditiosi ciues parum aut nihil discrepēt à feris beluis. Certe scriptura eos non alijs quam bestiarum nomini bus dignatur. His aspirat & sensus naturæ communis. Congruit cū his doctrina religionis & fidei, Si fieri potest, ait apostolus, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus in pace uiuite: non uosmetipfos ulciscetes. En quantum in uobis est, inquit, Et, Si fieri potest. Alioqui subiungit mox, Magistratus non frustra gestat gladium, nimirum propter eos qui pacem habere cupientibus obstrepunt omniaq; conturbant. Consentiant exempla sanctissimorum in orbe heroum, qui bella susceperunt pro defensione patriæ & innoxiorum: sicuti exposui ex S. Paulo ad Hebræos, cum enarrarem in quinto præcepto quem honorem debeat quisq; suæ patriæ. Adhuc his disputata quædam S. Augustini contra Faustum Manichæum edita lib. 22, cap. 75. Nec bella, inquit, per Mosen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina sequutus imperia non sæuens sed obediens fuit. Nec Deus cum iuberet ista sæuiebat, sed digna dignis retribuebat dignosq; terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quædamq; morituri, ut dominentur in pace uiicturi? Hoc reprehendere timidorum est non religiosorum. No-cendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, ut etiam iure puniantur. Aduersus uolentiam resistentium siue Deo siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerū humanarum ordine inueniuntur, ubi eos uel iubere tale aliquid, uel in talibus obedire iuste ordo ipse constringit. Alioqui Ioannes cum ad



DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

eum baptisandi milites uenirent, dicentes, Et nos quid faciemus? re-  
sponderet eis, Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percu-  
tite uulnerate prosternite. Sed quia sciebat eos cum hæc militando  
facerent non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores ini-  
uriarum suarum sed salutis publicæ defensores, respondit eis, Nemi-  
nem concusseritis, nulli calumniam feceritis: sufficiat uobis stipen-  
dium uestrum. Sed quia Manichæi aperte Ioannem blasphemare  
consueuerunt, ipsum dominum Iesum Christum audiant, hoc sti-  
pendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere suffice-  
re militi, Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei  
sunt, Ad hoc enim tributa præstantur ut propter bella necessario mi-  
liti stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, Et  
ego homo sum, sub potestate constitutus habens sub me milites: &  
dico huic Vade, & uadit: & alij Veni, & uenit: & seruo meo Fac hoc,  
& facit, fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit,  
Huc pertinet & sequens cap. 75. & 76. &c. Sed libenter parco uobis  
neq; prolixis recitationibus sententiarum obturbo. Hæc hæctenus  
dixi de eo quod bellum liceat gerere magistratui. Vnde & illud col-  
ligimus iure & sine culpa subditos suscipere bella ac belligerari,  
quando ex præcepto magistratus id faciunt. Verum si hic innoxios  
trucidare pergeret, ostensum est superioribus sermonibus impijs ma-  
gistratus iustis non esse parendum.

Populus  
obediat ma-  
gistratui  
bellum im-  
peranti.

Videat ergo magistratus ne suo abutatur iure. Et quanquam ob  
causas iustas & necessarias liceat magistratui bella gerere, est tamē  
res periculossima bellum ac trahit secum agmen quoddam malo-  
rum inexplicabile. Puniuntur sane ad eum modum iusto Dei iudi-  
cio, quos nulla potest paterna commouere admonitio: sed plerumq;  
& ipsi incurrat grauem domini. Ac reuera locum in bello habent  
mala orbis ferè omnia. Oboritur ex bello caritas rerum proinus  
omnium, & fames funestissima. Nam obsidentur itinera, proterun-  
tur segetes, ardent uillæ, dissipantur frumenta luxuriosissime, cessant  
artificia & negotiationes omnes, perit cum diuite pauper. Fortissimi  
quiq; cadunt in acie, fuga sibi consulunt meticulosi, ac seruant seip-  
sos maioribus & crudelioribus excarnificandos supplicijs: sustol-  
luntur enim in fastigium pessimi, qui hominibus perinde ut pecudi-  
bus abutuntur. Gemunt hic uniuersi. Lugent uiduæ & pupilli. Diri-  
piuntur in futuram necessitatem congestæ opes ac facultates, in cen-  
dio conflantur urbes, uirgines & innubiles puellæ constuprantur,  
uiolatur omnis pudor, absq; reuerentia tractantur senes, silent iura  
& leges,

Bellum res  
periculosa.

& leges, sacra simul cum studijs corruunt, regnant sacrilegi & nepharij. Idcirco nominatur in scripturis bellum flagellum Dei. Hoc enim incurrit ferè incurribilibus & pertinaciter contemnentibus uerbum Dei. Hanc enim ob causam excisa est Hierosolymorum urbs cum uniuerfa Iudæorum gente. Non enim agnouit diem, ut in euangelio ait dominus, suæ uisitationis, quin potius effudit sanguinem apostolorum domini, quo in se deriuauit omnem effusum sanguinẽ à primo Abel iusto ad Zachariam usq;. Propter cædes, idololatriã, incestus & luxuriam detestandam, dicuntur excindi funditus Chananæi. Moabitæ, Isaia teste, pereunt propter crudelitatem inhumanitatem & contemptum pauperum. Niniuitæ iniustis bellis alias gentes diuexarunt & auare deprædati sunt: proinde eadem mensuris ipsis alijs mensurant, sicut legitur in propheta Nahum, qua ipsi alijs mensi fuerant, Micheas in 6. cap. commemorat Deum bella imitare iniustis, propter auaritiã & dolum admissum. Apud Ieremiam dicitur arrogantia & superbia: apud Isaiam luxus & ebrietas, in causa esse belli. Porro malum belli regnis & rebus pub. ita adhæret, ut non possit remoueri aut tolli excutiẽ quando nos uolumus, ulla humana sapientia, ullis fœderibus, ullis opibus, ulla munitione, fortitudine aut potentia, ut uidere licet in Abdia. Sola sincera ad Deum conuersio medetur: id quod Ieremias in cap. 7. testatur. Constat hæc agnitione & confessione peccatorum ingenua, uera fide de peccatorum remissione per gratiam Dei ac meritum Iesu Christi: deinde odio & abnegatione iniustitiæ, studio iustitiæ innocentie charitatis & omniũ uirtutũ: postremo precibus & obsecrationibus perpetuis.

*Bellũ Dei  
flagellum*

Rursus uideas bella alijs adferre emolumentum utilitatem & o-  
pes inæstimabiles, pauculo aut ferè nullo damno accepto partas. Tale erat Israelitis bellum Chananæis sub duce Iosue illatum. Nolo autem spes lucri quenquam abstrahat à iusto & æquo. Ac arbitrantur non raro magistratus se habere ius, bellum iuste inferendi alijs & puniendi noxios, cum Deus iustus hac occasione ipsos protrahit in harenam, ut puniantur ipsorum peccata ab illis in quibus ipsi statuerant malum persequi. Exempla eius rei manifesta extant in scripturis. Undecim tribus Israeliticæ bellum inferunt iustissimũ Beniaminitis, uulturæ scelus nepharium à nebulonibus quibusdam cõmissum, quibus adhærebat tota tribus ac ita se sceleris reddebat participem. Sed funduntur & fugantur ab iniquis & sceleratis secundũ. Israelitæ uim Palæstinorum idololatarum sub Heli repellere uolunt à patria, sed cadunt in acie & capiuntur arca domini deportaturq; in urbes idololatarum. Ita cadit à Chaldæis cæsus optimus princeps

*Bellũ utile*

*Vincuntur  
iustã habentes  
causam  
ab iniustis.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

Iofias, quia dominus statuerat animaduertere in totum populum eius inferre mala, quæ noluit inspicere principem sanctissimum, meliora meritum, Ex quibus & illud discimus religionis ueritatem nõ esse æstimandam ex populi alicuius uictoria uel fuga, ut ea religio uera sit & orthodoxa, cuius cultores uincunt, falsa uero cuius confessores terga dant, Separanda enim religio à personis siue hominibus, qui alij de causis uisitantur à domino.

Uniuersa autem illa admonent nos magno & multo timore Dei opus esse magistratui in suscipiendis & deponendis bellis, ne dum uitant carbonariam incidant in calcariam, aut arbitrentur se deponere ex humeris malum unum, & ea ipsa depositione suscipiant im-  
*De bellorũ causis.* prudentes maiora uel multo plura mala. Causæ ergo bellorum penitius sunt à principibus inspiciendæ. Sunt hæ uariæ ac multiplices, potissimæ tamen illæ. Vel enim cogitur magistratus præfidijs pro defensione collocatis alicubi in urbibus suis iam autem obsidione cinctis suppetias ferre hostemq; depellere. Nephas enim esset parricidale & urbes & præfidia in extremo laborantes periculo perfide deserere. Vel certe cogitur magistratus pro suo officio inferre bellum hominibus incurabilibus, quos ipsa damnat sententia domini & cædere iuber absq; misericordia. Qualia fuere bella Madianitis à Mose, & Amelechitis à Saule illata. Eius generis bella sunt quibus opprimuntur qui inuincibili malitia perire & alios secum in perniciem rapere uolunt, qui omnem iustitiam & æquitatem respuunt, in sceleribus contumaciter perseuerare pergunt. Tales erant Beniamitæ cum uastarentur ferro & flamma ab undecim tribubus. Tales sunt hodie contumaces & sediciosi defectores & turbatores reipub. uel regnorum, qualis fuit quondam Absolon & Seba filius Bochri: quorum mentio fit in 2. lib. Samuelis. Huc pertinent bella contra idololatrias & oppressores catholicæ & orthodoxæ fidei uera religione suscepta. Errant qui arbitrantur nulla propter religionem bella geri posse. Dominus Petrum gladio ferientem cohercuit, tanquam apostolum, magistratum non iussit religionis esse negligentem, neq; prohibuit defendere puritatem fidei. Si enim licet magistratui tueri minora cuiusmodi sunt libertas, facultates, pudor, corpora &c. cur maiora imò maxima non defenderet aut uindicaret? Nihil autem religione uera & sincera habemus maius. Extat præterea apertum Dei super hac re mandatum in Deuteronomio. Iubet enim dominus ciuitatem, quæ à Deo, & à Dei cultu (in iurisdictione cuiusq; magistratus) deficiit, bello adoriri, ac pertinacè fuditus cruere. Extat locus Deut. 13. cap. Porro si iubetur magistratus animad-

animaduertere in apostatas bello, licet certe bello defendere ecclesiā  
 quam uolet princeps aliquis barbarus bello à uera religione ad fal-  
 sam abstrahere. Iosue uoluit Rubenitas cum socijs debellare pro-  
 pter erectam aram contra uerbum Dei. Iudas Machabæus pugnat  
 pro populo Dei contra gentes & milites regis Antiochi, cui animo  
 sedebat religionem Iudaicam, quæ tum uera erat conculcare, gentili-  
 tiam autem superstitionem obtrudere omnibus. Ita à Paulo laudan-  
 tur duces qui per fidem incursionem auerterunt exteriorum. Ac Pau-  
 lus ipse bellum gessit in Cypro contra Elymam pseudopropheta-  
 quem & cæcitate percussit. Rationem subiungit ex religionis obser-  
 uantia petitam, Nō desinis subuertere uias domini rectas &c. Acto.  
 13. Eidem Paulo insidiantur uiri quadraginta, qui arbitrabātur Pau-  
 lo debellato & extincto, bonam euangelicæ prædicationis partem  
 esse extinctam, & Iudaicam (quæ tamen falsa erat) religionē asser-  
 tam. Atqui Paulus hic non est segnis, nec obuertit alteram maxillā,  
 sed solcite & suppliciter postulat assertionem & defensionem: et po-  
 stulat quidem illam non à Christiano magistratu, cum nondū esset, *Si ab eihni*  
 sed à Centurione Romano: neq; uel uerbo reclamabat dū ille dele-  
 ctis & quasi in acie dispositis pedibus quadringentis & equitibus *cis postulae*  
 septuaginta deduceret ipsum ex urbe Hierosolymorum Antipatrida *magis po-*  
 usq; Sic aut seruabatur electionis uas Paulus armata Romanorū mi- *stulasset à*  
 litum manu. De Armenijs uim à Maximino Imp. sustinentibus hæc *Christianis*  
 scripta reliquit Eusebius Eccles. hist. lib. 9. cap. 8. Armeniorum gens *si tum suis*  
 olim & utilissima & amicissima populo Rom. dū à Cæs. Maximi-  
 no Christianæ religionis ritum (cui deuotissime uniuersa dedita est)  
 in idolorū cultum mutare cogeretur, et dæmones uenerari pro Deo,  
 inimici pro amicis et pro socijs aduersarij effecti, manu se aduersum  
 nepharia eius edicta defendere parant ac spõte bella inferūt, & cum  
 uehementer & acriter urgēt. Hęc ille. Proinde licet magistratui suos  
 subditos defendere cõtra idololatrias & armis uerā assereret religionē.  
 Huic cõfinis est alia causa. Vel em̄ irruit barbarus hostis aliq; in tuæ  
 fidei creditos ciues, lacerat hos & grassatur ceu in grege lupus crude-  
 lissime: cū tamen tu non modo non prouocaris illos iniurijs prior,  
 sed & pacis cõditiones obuuleris æquas. In huiusmodi causa iubetur  
 magistratus leonis instar proflire & tueri suos contra aperā uim &  
 contra truculētos latrones. Exemplū præbet Moses pugnans contra  
 reges Amorrheorum Aradeum, Seonem & Ogē. Exēplum præbet  
 rex Iosaphat pugnans contra Ammonitas & incolas montis Seir.  
 Exemplum præbet David quoq; bellum propellens sibi illatū à Sy-  
 ris. Vel suppetias fert magistratus consederatis (fœdera enim cū ui-

cinis gentibus iungere potest magistratus, modo nihil in his cōtra uerbum Dei fiat) iniusta ui pressis. Sic enim Iosue Gabaonitas liberat obfidione, et Saul ciues urbis labe Galaad, pugnās cōtra Naas principē tyrannicissimū. Huiusmodi uero ob causas recte suscipiuntur à magistratibus & principib. bella, recte obrēperant milites siue ciues magistratui, imò magna cū gloria nec infeliciter occubunt cū in causa iusta pro religione pro legibus Dei & pro patria chara uxoribus libe-

*Militum et  
militiæ com  
mendatio.*

risq; occubunt. Ergo militiā ingredients & grauissimos belli suscipientes labores, non ad quæstū aut ad uoluptates spectabūt, quibus depulso periculo, immergātur: sed iustitia & pax publica ueritatis et innocentiæ assertio sit scopus oīm: nimirū ut debellatis impijs partaq; uictoria ac repulsis cæcis uel redactis hostib. in ordinē, floreat religio iudiciū et iustitia, floreat ecclesia, floreat sacra, ritus, instituta et disciplīna ecclesiæ, floreat studia & bonæ artes, curētur pauperes et beneficia conferātur uiduis & pupillis, uiuāt & tranquille uiuant, Deoq; seruiant Deū laudent, & Deū colant uenerādi senes, castæ puellæ & bonæ matres familias. Ad hunc scopū animi & corporis oculos intēderūt, hæc unice in cordibus suis cogitarūt patres nostri fortissimi, quorties bella susceperūt ac in aciē, pgressi sunt contra nepharios, pro ecclesia & repub. Abrahamū puro, Mosē, Iosue, Dauidem & alios heroes, deniq; beatæ recordationis patres nostros. Quibus et omnibus alijs strenuis & religiosis militib. debetur æterna in ecclesia sanctorum gloria. Ignauis & timidis militibus, impijs, auaris, blasphemis, luxu perditissimis & leuissimis nebulonibus proditoribusq;, quorum ignauia gula libidine & impietate pereūt hodie regna præclara & subuertitur florētes respub. debetur ignominia sempiterna, ac Deus maledixit huiusmodi, pfigatis nebulonib. in sæcula seculos.

*Iniusta bel  
la.*

Ergo non licet bella gerere nisi contra hostes ac sceleratissimos incurabilesq; homines. Iniustissima bella sunt, quæ suscipiuntur contra socios, & contra innocentes, aut apud quos spes est resipiscentiæ. Iniusta bella sunt etiam ea quæ non suscipiuntur iusto modo, nec ob res grauissimas. Omnia prius tentanda sunt quàm experiedum armis. Non sunt petendi termini alieni: non opprimenda libertas aliarum gentium uel tibi subiectarum. Non sequendus hic est affectus ullus abripiens mentem & seducens, qualis est libido dominandi, auaritia, munerum cupido, inuidia & si quis huius generis alius affectus est. Medela quidem est bellum, sed periculosa & funesta qualis est incisio aut resectio membrorū. Ardet manus, & periculū est ne & brachium inardescat, atq; totus extingatur homo: nō resecas tamen manū, nisi prius expertus omnia, intellexeris, nulla alia ratione

ratione mederi posse morbo. Ita non nisi desperatis rebus tandem bella conuenit suscipere, ut meminerint tamen principes ne quid sero nimis.

Adeo enim à iustis bellis non abhorret uerbum Dei, ut & leges belli dicter, & exempla bellorum prudentiumq; & fortium imperatorum suppeditet plurima. Leges contexuntur Deuter. 20. cap. utiles & necessariæ, sed & claræ, ut mea non indigeant expositione. Vulgares & ex scripturis petuntur hæ leges. Locum habeat ante omnia religio in castris, & primum quidem. Nam ipse dominus bellis adhibuit sacerdotes, religionis ueræ ministros. Valeant in castris perinde ut in urbibus æque leges: uiuant sub disciplina honeste iuste & sancte milites. Etenim non ex Deo, sed diabolo exortum est quod uulgo iactatur, Sileant inter arma leges. Eligatur imperator et dux belli pius, iustus, sanctus, foris, prudens et felix, quales apud ueteres fuerunt Iosue, Dauid, Iudas Machabæus, Constantinus, Theodosius, Mascelzer & multi alij. Huic addatur manus selecta. Nam militum habendus est delectus, ne exercitus sit turba imbellium & imperitorum hominum, uel perfidorum & blasphemorum conseruatorumq; nequam & ebriosorum gulonum porcorumue grex. Non in multitudine hominum consistit uictoria, sed in gratia Dei & in manu delecta. Vulgare est, Vbi multitudo ibi confusio. Magni & innumerabiles exercitus conculcant semetipsos. Experientia magistra hoc ipsum discimus quotidie & exēpla omnium seculorum id testantur. Porro improbantur modis omnibus milites ignaui. Semper itaq; agat miles Christianus aliquid, sit strenuus, fidelis, laboriosus, centurionibus obsequens, nullam negligat occasionem, exercetur in disciplina militari: non sit mollis, sed fortis, non sit crudelis & truculentus, sed seuerus & clemēs, suis quibusq; temporibus. Quod seruare potest ne perdat. Præ omnibus autem rebus non negligat & extra periculum & in ipso periculo preces ad dominum iuges. Cum Deo auspiceret omnia, sine Deo nihil tentet prorsus: sinistram expertus fortunam, ne despondeat animum: fortuna usus feliciore, ne efferatur sed agat Deo gratias clemēterq; utatur uictoria: à Deo pendat prorsus, neq; aliud cupiat magis quam defensam rempubl. leges, religionem, iustitiam, innoxios. Mirum scio uidebitur multis hæc me postulare à milite, quæ alioqui uidentur, ut uulgo dici consuevit, postulari à religioso aliquo. Quasi uero irreligiosi & impij soli queant esse milites. Sunt certè pleriq; tales. Sed quales oro fructus merimus hodie ex huiusmodi semente? Vincimur à Turcis, ludibrium sumus omnibus genibus, pereunt & Mahumetismo sub-

*Leges belli dictauit uerbū Dei.*

*Milites piij nō sunt im piij.*

duntur regna, & inexplicabilibus in diē malis inuoluimur. Quales  
 uero olim fuerint milites qui ex ecclesia aut numero Christianorum  
 sese dederunt militiæ, uel ex unica, sed memorabili, colligere pos-  
 sumus historia, quam hisce uerbis perstringit ad Scapulam Tertul-  
 lianus, Marcus quoq; Aurelius in Germanica expeditione Christia-  
 norum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa im-  
 petrauit. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris  
 etiam siccitates sunt depulsæ: Tunc & populus acclamans deo deo-  
 rum, & qui solus potens, in Iouis nomine, Deo nostro testimonium  
 reddidit. Hæc ille. Copiosius autem & plenius eandem historiã re-  
 xit beatus Eusebius lib. eccles. hist. 7. cap. 5. dicens, M. Aurelium fra-  
 trem Antonini Cæs. bella inferentem Germanis & Sarmatis, tradit  
 historiæ, cum siti eius periclitaretur exercitus, & suantem & quæren-  
 tem quid facto opus esset, reperisse in legione quadam milites Chri-  
 stianos, quibus (sicut & nostris mos est) flexis genibus obsecrantibus  
 exaudisse Deum supplicationes eorum, & subito contra omnium  
 spem largissimis imbribus profusis, exercitus quidem periclitantis,  
 pro quo orauerant Christiani, suam sedatam: hostes uero qui iam  
 exitaliter imminebant fulminibus crebris & cœlitus delapsis igni-  
 bus effugatos. Quod factum refertur quidem & ab historicis gen-  
 tilium. Sed quod nostrorum orationibus id impetratum sit non re-  
 fertur. Quippe apud quos etiam cætera miracula quæ à nostris ge-  
 sta sunt non habent fidem, Nostrorū uero & Tertullianus hæc me-  
 morat & apud Græcos Apollinaris, qui etiam ipsam legionem pro  
 insignis facti miraculo, mutato nomine uocitatum dicit ab Impera-  
 tore Fulmineam, Tertullianus addit Marci imperatoris epistolas et-  
 iam nunc haberi quibus de his apertius indicatur. Hæc Euseb. Ex  
 quibus colligimus milites Christianos non tantum ad orandum  
 fuisse quondam propensos, sed iustissimos quoq; & uitæ sanctimo-  
 nia claros. Quis enim ignorat Iacobum apostolum, dixisse? Multū  
 ualet deprecatio iusti efficax, Helias homo erat similibus obnoxius  
 affectibus ut nos sumus, & precatōne precatus est & cælū dedit plu-  
 uiam, & terra dedit fructum suum. Manifestissimum est itaq; milites  
 ueteres fuisse uiros religiosissimos. Nostrī quia alieni sunt à religio-  
 ne, imō hostes religionis ueræ, pro uictorijs reportant clades & sub-  
 uersiones urbium. Neq; immerito hæc patiuntur ciues, quia confi-  
 dunt in huiusmodi milites nepharios. Id enim perinde est ac si fidu-  
 ciam suam collocarent in ipsos diabolos, quos milites isti ferè super-  
 rant fœditate immundicia crudeitate & artibus pessimis.

Exempla uero militiæ sanctæ & iustæ & optimorum imperato-  
 rum siue

rum siue ducum exhibet nobis uerbū Dei innumera serē. Abraham *Exempla*  
 pater noster modico instructus exercitu insequitur quatuor orbis *militia*  
 potentissimos reges siue prædones, fundit & fugat hos, suos autem *imperatorū*  
 cum ipsorum facultatibus recuperat & restituit, gratias agens Deo *ex scriptis*  
 auctori in sperata uictoriæ. Moses cum Iosue sternunt reges circiter *ra.*  
 triginta nouem, puniunt infanda scelera seueriter, & populum sibi  
 creditum collocant in terram promissam à Deo. Iudices populi Isra-  
 elitici memorabilia gesserunt bella, contra ethnicos & infideles, ac  
 his infregere tyrannidem impiorū, impie exercitam in populo Dei,  
 ac hunc suæ libertati & religioni restituerunt. Venit hic & Samuel  
 propheta cōmemorandus inter illustres populi Dei duces. Præstan-  
 tissimus dux fuit Ionathas Saulis filius, singulare pietatis specimen.  
 Dauide uero nullus est præclarior. Debellaui hic Palæstinos, Idu-  
 mæos, Syros & bonam orientis partem, bello prosequutus iniurias,  
 bello item uindicans libertatem & mala innumera à populo Dei  
 propulsans. Et tamē qui hæc fecit dicitur esse uir secundum cor Dei  
 imō & pater domini nostri Iesu Christi secundum carnem. In poste-  
 ritate Dauidis plurimos inuenias clarissimos bellatores & duces for-  
 tissimos, Abiam, Asam, Iosaphat, Amasiam, Osiam, Ezechiam, & al-  
 ios multos. Iudas Machabæus inter hos non habet postremum  
 locum, qui tam strenue pro legibus Dei, pro cultu Dei, & pro popu-  
 lo Dei pugnaui, tandem & in acie pro religione & republica cecidi-  
 dit. Non adijciam his exempla Constantini, Gratiani, Theodosij &  
 aliorum insignium in hac re uirorum. Scripsere de his & alijs S. Au-  
 gust. in fine lib. 5. de Ciuitate Dei, & copiose Orosius in historia sua  
 libro 7. à 28. cap. ad finem usq;. Sufficiunt hæc pijs magistratibus.  
 Hactenus de Bello à magistratu gerendo & de Vsu gladii disserui,  
 de quo etiam quædam obiter sparsi in sermone quo quintum præ-  
 ceptum enarraui.

His absolutis demonstrabimus magistratum geri posse à Chri- *Christia-*  
 stianis hominibus. Eam autem demonstrationem iccirco illis atte- *nus potest*  
 xam, quod Anabaptistæ homines furiosi & alij quidam Utopianæ *gerere ma-*  
 reipublicæ extructores, hæc à nobis allata hactenus oppugnantes *gistratum.*  
 contendunt Christianum non posse fungi magistratus officio: eo  
 quod Christiani nec contendant in foro, nec occidant quenquam,  
 neq; bello res ablatas repetāt aut iniurias illatas uindicerent. Et quan-  
 quam his suis quibusq; locis responsum sit, colligam tamen aliquot  
 argumenta in compendium, ex quibus uir politicus & Christianus  
 contra furores & somnia Anabaptistarum intelligat, si uocetur ad  
 munus magistratus, & posse & debere ipsum in suscipiendo & ge-



DE PRÆCEPTO DECALOGI VI.

rendo magistratu seruire Deo. Quod enim fingunt doctrinam euangelij e medio tollere defensionem & quæ defensionem sunt confinia, toto errant caelo. Nam ueritas aliud tradit.

Quæcunq; enim diuinitus sunt ordinata ad hominum salutem ac incolumitatem, adeo non dedecent Christianum hominem, si ijs utatur & ijs se accommodet, ut si huiusmodi respuat, non sit futurus uerus Christianus. Nam Christiani cuiusq; prima & maxima cura est, salutem & incolumitatem hominũ summa promouere diligentia. Est autem magistratus non ab ullo homine, sed ipso Deo ordinatus ad salutem & incolumitatem hominum quemadmodum distertis uerbis testatum est à prophetis & apostolis. Paulo præsertim ad Roman. 13. Quis autem inde non colligat Christianum cum laude & gloria fungi posse magistratus munere?

Præterea nemo negauerit, scio, Christiani hominis esse fidem, nõ modo uerbis, sed ipsis operibus, iustitiæ imprimis ac misericordiæ atque testari, curare item modis omnibus quæ publicæ pacis & tranquillitatis sunt, in super facere iudicium & iustitiam, ueri uiduas pupillos orphanos ac asserere oppressos. Occasionem quoq; locum & rationem non spernit, nõ fugit, nec reijcit, per quæ illa opera beneficiaue exercere potest. Ideoq; Christianus nequaquam detrectat munus seu officium magistratus. Est enim magistratus officium facere iudicium & iustitiam & curare pacem publicam.

Iam uero indubitatum & superius demonstratum est Mosen Samuelem Iosue & Dauidem nõ excludi à Christiano nomine. Cum autem isti gesserint magistratum, quid prohibebit obsecro uel hodie hominem uere Christianum fungi officio magistratus? Quid quod in nouo testamento celebrantur uiri egregij & ipsi constituti in magistratu & non depositi propter ueram religionem ab officio. De Iosepho Arimathæo sic legimus apud Lucam, Ecce uir nomine Ioseph decurio (Marcus habet honestus senator) erat uir bonus & iustus, nec consenserat consilio & facto eorum, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. Obseruate obsecro quam illustre sit hoc testimonium. Ioseph est decurio uel senator, & senator quidem honestus. Idem sedit in eo senatu & inter illos iudices, qui condemnarant Christum, sed quia non consensit in ipsorum sententiam, non imputatur innoxio parricidium. Idem prædicatur esse bonus iustus & de eorum numero, qui expectant regnum Dei, id est, de numero Christianorum, interim decurio siue senator est & manet in urbe Hierosolymorum. Licet ergo Christiano fungi magistratus officio. Huc pertinent exempla de Aethiopia

Aethiopico principe, Actorum 8. cap. de Cornelio Centurione Act. 10. cap. & de Erasto quaestore aërio urbis Corinthiacæ Rom. 16. 2. Timothi. 4. Cæterum cupimus anabaptistas scripturis euincere aut demonstrare quod obijciunt istos ad fidem cõuersos deposuisse trabem & gladium. Nos enim superius adductis S. Augustini uerbis ex responsione S. Ioannis baptistæ qui & ipse prædicauit euangelium demonstrauius milites baptisatos nequaquam depositos esse ex officio, aut præceptum eis per Ioannem urdeserent militiam.

Obijciunt aliud, dominum se subduxisse dum populum cogitaret ipsum creare & salutare regem: id quod non fecisset, nisi uellet suo exemplo omnibus Christianis commendare humilitatem, ac ueluti præcipere ne unquam sibi patiantur gubernationem reipub. imponere. Adijciunt his illas domini sententias, Regnum meum non est ex hoc mundo. Item, Reges gentium dominantur eis, uos autem non sic, Cæterum fugit dominus populum, nõ rationem sanam sequentem & uoluntatem Dei facere parantem, sed affectibus cæcitiũ & quærentẽ ea perficere quæ uentris erant. Quia enim pauerat eos mirabiliter, ideo arbitrantur hunc sibi futurum regem commodum, qui possit suos subditos nullo sumptu facto cibare. Præterea nõ uenerat dominus noster in terris regnaturus, more huius seculi, quem admodum imaginabantur Iudæi, somniantes Messiam instar Solomonis regnaturum, & sicut metuebat Pilatus. Ideo recte dicit dominus, Regnum meum non est ex hoc mundo. Ascendit enim in cælos, confedit ad dexteram patris, subiectis sibi regibus & toto mundo, in quo regnat per uerbum & spiritum, quem & iudicaturus ueniet in fine seculi. Et quanquam neget Christus regnum suum esse ex hoc mundo, nullibi tamen negauit e mundo reges & principes in ecclesiam uenturos, qui in ea domino non tantum ut homines, sed etiam ut reges essent seruituri. Non possunt autem reges ut reges domino seruire aliter, quam ea exercendo propter quæ uocantur reges. Et nisi reges Christiani facti in officio manerent gubernarentq; regna secundum regulam & leges Christi, quomodo obsecro Christus diceretur rex regum & dominus dominantium? Ergo quando dixit, Reges gentium dominantur eis: uos autem non sic, apostolis suis de primatu concertantibus est loquutus. Quasi dicat, Principes in orbe dominantes per meam doctrinam non deiiciuntur e subsellijs uel ex cathedra & throno: manet enim in mundo hoc adeoq; in ipsa ecclesia magistratus. Hic regnabit. uos autem nõ sic: non regnabitis non eritis principes, sed doctores orbis & ministri ecclesiarum. Hæc paucis ad Anabaptistarum obiecta respondimus,

*Fugit dominus dum uolunt ipsum creare regem.*

*Regnũ meum non est ex hoc mundo.*

*Vos autẽ non sic.*

quæ alias sæpe copiosius dissoluimus. Iâis autem omnibus demonstratum abunde existimo Christianum non posse tantum sed debere etiam si legitime offeratur, recipere magistratus munus.

*De officio  
subditorum.*

Priusquam uero disputationem huius loci concludamus subiiciemus iam paucis quod nam sit officium subditorum quod cuique suo debent magistratui. Principio subditorum est sancte reuenter & honorifice, non abiecte & uulgariter sentire de principibus uel magistratibus suis. Reuereantur ac uenerentur hos ueluti legatos et ministros æterni Dei. Exhibeant eis etiam foris honorẽ cuique regno & patriæ consuetum. Turpissimũ est si subditi indecenter se gerant erga dominos suos. Cæterum opinio uel falsa uel leuis & prorita de rebus uel personis concepta, contemptum rerum & personarum parit. Colligenda sunt ergo clara aliquot scripturæ testimonia, & omnium cordibus inferenda, ex quibus enascatur & conseruetur iusta existimatio seu autoritas magistratus. Caueant hic principes & optimates ne impura & indecenti uita contemnendos irridendosque se præbeant, atque ita sua culpa auctoritatem amittant omnem in populo. Certe ipse dominus Deus principes ac magistratus populi suo nõ dedignatur nomine appellans ipsos Deos. Loci extant Exodi 21. & Psal. 82. Apostoli nominarunt eos Dei legatos & ministros. Loci extant 1. Pet. 2. Rom. 13. Quis uero nõ magnificat deos Dei que legatos & ministros, per quos salutem populi operatur ipse Deus? Qui legatum spernit, spernit illum qui misit legatum. Qui honorat legatum, uidetur ipsum honorem exhibuisse leganti magis quam legato. Præterea dicit Solomon Prouerb. 26. Diuiniatio in labijs reobseruare præceptum regis & rationem habere iuramenti Dei. Item Prouerb. 24. Time dominum fili mi & regem, & nõ immisceas te illis qui defectores sunt. Repente enim confurget perditio eorum. Nam & Paulus dixit, Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistit, iudiciũ sibi accipiet. Huius generis conuexui quædam & in 5. præceptum.

Deinde orent subditi pro principibus & magistratibus suis, ut Deus ipsis sapientiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam iustamque seueritatem, clementiam, & reliquas uirtutes heroicæ dare, ducere item in uijs suis & seruare ab omni malo dignetur: quo tranquille & honeste uiuamus in hoc seculo. Id poscit à subditis S. Paulus ad Timotheum 1. cap. 2. & Ieremias in cap. 29. Verba aliam recitauimus. Valde segnes & incurij sunt hic multorum animi, ideoque experiuntur sæpe quod nolunt, & quod dolent. Sed merito.

*Si enim*

Si enim officium suum facerent sedulo ardenter orando pro magistratu, meliora experirentur. Quam uero feruidum fuerit studium precandi pro magistratu in ueteri ecclesia, colligere licet, uel ex his Tertulliani uerbis, quæ in Apologético eius cap. 30. sic leguntur: Precamur semper pro omnibus imperatoribus, uitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris uota sunt.

Obediat item populus æquis & bonis magistratus legibus: *Obediētia.* Obediat autem sancte reuenter & ex animo religioso, iam nō tantum obediens legibus ipsius ut legibus hominum, sed ueluti legibus ministrorum & legatorum Dei. Nam Petrus iubet nos obedire propter dominum. Et Paulus, Oportet esse subditos non solum propter iram uerum etiam propter conscientiam. Id est non modo obediendum est magistratui ne contemptus & inobediētiæ pœnas demus, sed ne peccemus in ipsum Deum, nostraq; conscientia nos sceleris admisi accuset. Ostendimus autem in 3. præcepto scripturarum testimonijs & exemplis non parendum esse impijs magistratibus impia & pugnantia manifeste cum uerbo Dei mandantibus. Maluerunt apostoli & primitiue ecclesie fideles homines concludi in carceres, relegari in exilium, spoliari facultatibus, proijci bestijs, feriri gladio & ignibus cremari ac laqueo præfocari, quam impijs obedire mandatis. Proconsuli Romano respondens beatus martyr & episcopus Polycarpus dixit, Docemur principibus & potestatibus his quæ à Deo sunt honorem deferre, eum scilicet qui religioni non sit contrarius. Et diuus Ioannes Chrysostomus ad Gainam dixit, Non licet Imperatori pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata tentare.

Postremo pendat populus magistratui tributa, impendat cum poscit necessitas & ipsum corpus & uitam propriam pro incolumitate magistratus & patriæ quemadmodum in 5. mandato faciendum ostendi. Dominus in euangelio simpliciter dicit. Date Deo quæ Dei sunt & Cæsari quæ sunt Cæsaris. Damnantur merito qui hac parte sunt parci maligni & furaces. Debentur tributa magistratui ueluti merces laboris, & ueluti neruus publicæ tranquillitatis & utilitatis. Quis enim suo militat stipendio? Viuit quisquis ex eo labore, quem exercet. Laborat magistratus, laborat princeps in gubernanda republica & conseruanda hac in pace. Negligit sua priuata & domestica negotia, quæ alioqui uictum & necessaria uitæ suppeditarent: iniquissimum ergo foret nisi aleretur aut certe iuuaretur publicis sum-

*Publicæ  
opes.*

ptibus. Præterea necesse est regna & respublicas iustis instructas esse opibus, quibus in bello, in fame, in incendijs alijsq; calamitatibus publicis utantur uel ad reparationem collapsorum, uel ad depulsio- nem grauiorum calamitatum. Nihil nunc dico de publicis ædifi- cijs conseruandis, utpote mœnjs, turribus, uallo, fossis, portis, ponti- bus, itineribus, fontibus, aquæ ductibus, prætorio & foro alijsq; id genus innumeris. Sunt etiam publicæ personæ, apparitores, uigiles & similes altæ plures, publico alendæ stipendio. Ac nisi in promptu sit pecunia, nullum regnum nulla respub stabit incolumis diu. Er- go qui tributa negant, mercedem laboris negant, adde & rempubli- cam omnino subuersam & conculcatam uolunt. Qui in publicis operibus, sicuti quibusdam mos est, segnes & ignaui sunt, non pec- cant in unum aliquem dominum, sed in totam rempublicam. Ac uideas ferè segnes huiusmodi operarios, nulla aut modica uiri diuina benedictione. Admonendi tamen hic sunt magistratus et principes,

*Exactio-  
nes.*

populum suæ fidei & suo imperio subditum diligant eiq; benigne parcant nec immoderatis atterant exactioibus. Id fiet si sint fruga- les, & ab omni abstineant luxu & superbia. Cogitet princeps ho- nus quanta sit iniquitas aulam redundare luxu & crapula, ciuitates autem ac uillas cruciari & absumi inedia. Cogitent reipub præsides tributa & uestigalia, publica, non priuata esse bona. Odit Deus ex- pilatores. Odit Deus exactiones immoderatas. Maledicit Deus ex- atoribus tyrannis: benedicit commodis & moderatis optimatibus. Plus efficit in pace & bello concordia iusta quàm pecunia iniusta. Et fortius quidem est regnum ualidiorq; respublica quæ amore & concordia principum & populi, non magno tamen thesauro repo- sito, commendatur, quàm quæ opes habet inæstimabiles, paruas & extortas è uisceribus ciuium, interim simulate & odijs dissidentibus inter se magistratibus & ciuibus. Nihil hic fingo. Experientia omnium seculorum testis est.

Hæc hæctenus de Magistratu ex occasione sexti mandati, Non occides, quanta potui breuitate complexus, proposui charitati ue- stræ declarans ob quid ille institutus à Deo, quodnam eius er- ga subditos & rursus subditorum erga ipsum officium sit.

Oremus iam dominum ut is benigne tam magi- stratu quàm subditis concedat cuiq; digne sua uocatione ambulare.

De tertio secunda tabulae praecepto, quod in decalogo septimū est,  
 Non machaberis. De Coniugio, contra adulterium & omnē in-  
 temperantiam, de continentia. SERMO X.



**P**ROXIMUM uitæ & corporibus nostris coniunx  
 est cuiusq; hominis. Coniugio enim cōiunguntur duo  
 corpora ut fiant unum corpus. Dominus enim dixit,  
 Erunt duo in carne una. Tertio itaq; mandato & pro-  
 xime quidem post prohibitum homicidium, præcipitur de cōiugio  
 sancte colendo, item de sanctificatione uera corporis contra adulte-  
 ria, contra uagas libidines & incontinentiam omnem. Muniuntur  
 coniugia ut floreat apud bonos honestas castitas sancteq; educetur  
 liberi. Præceptum rursus duobus exprimitur uerbis, **NON MOE** *Præceptū*  
**CHABERIS.** Explicaturus hoc mandatum, Deo aspirante, dicam *Dei 7.*  
 primo de Coniugio sancto: deinde de Adulterio: hinc quæ sub no-  
 mine adulterij sint comprehensa atq; prohibita: postremo de Con-  
 tinentia.

Coniugium quod & matrimonium appellatur fœdus & con- *Cōiugium*  
 iunctio est diuina uiri & mulieris, ex cōsensu mutuo sociata & ad- *quid sit?*  
 unata in hoc ut omnibus utentes communiter caste uiuant & edu-  
 cent in timore Dei liberos. Ac euangelium quidem appellauit con-  
 iugium coniunctionē diuinam. Dominus enim Iesus, Quod Deus  
 coniunxit, ait, homo ne separet. Neq; licet matrimonium ad alium  
 referre authorem quam Deum ipsissimum. Instituit hic alias bonas  
 & necessarias hominibus ordinationes per angelos suos & delectis-  
 simos homines, sed matrimonium absq; ulla interueniente persona  
 media ipse Deus instituit, legibus muniuit, primos coniuges ipse  
 copulauit, ipse copulatis uere summus sacerdos benedixit.

Ex his liquido possumus colligere præstantiam seu excellentiam *De dignita*  
 matrimonij. Deus enim hoc instituit, & in paradiso quidem insti- *te & præ-*  
 tuit, tunc quando nullis adhuc miserijs obnoxius esset homo. Non *stantia con-*  
 uidebatur Adam in paradiso commode & satis suauiter uicturus, *iugij.*  
 nisi ipsi esset adunata coniunx. Non est bonum, ait Deus, ut homo  
 sit solus, faciam illi adiutorium, quod ei cohabitaret. Adduxerat enim  
 Deus ad Adamum omnia animantia quæ condiderat, ut nomina  
 imponeret singulis: sed in omnibus nihil erat quod concupisceret  
 Adam, abhorrebat animus & genius eius à coniunctione ipsorum.  
 Deus ergo sopore immisso ipsi Adamo, condit ex dormientis late-  
 re mulierem, quam ab ipso Deo conditore adductam protinus atq;  
 uidisset, exclamat, Hoc scilicet esse quale uelit, quod amare possit,

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

consentiēte per omnia genio suo. Hoc nunc os, air, ex ossibus meis, & caro ex carne mea, Inueni, inquit, inueni adiutorium conueniens mihi, mecum carne & sanguine ipsaq; substantia cōmunicans. Unde adhuc existit naturalis illa uirorum erga mulieres propensio: ac rursus igni aboletur naturæ humanæ repugnans cum bestijs execrabilium hominum commixtio & uenus præpostera. Inter alia adijcit dominus, Deseret uir patrem suum & matrem suam, & adhæret uxori suæ, eruntq; in carnē unam. At dudum intelleximus quanti fiat amor & studium liberorum erga parentes apud dominum: quanta diligentia hos præcipiat honorare. Necessè est itaq; coniugium longe diuinissimum esse institutum quod præfertur honorū parentum. Interim uero lege matrimonij non aboletur lex de honorandis parentibus, sed uia & ratio indicatur si forte parentes disfidia pergant excitare inter coniuges, quid hi agant, non patiantur se diuelli, interim in alijs & per cætera honorent parentes. Sancti patres nostri coniugij legem custodierunt & coniugium ipsum coluerunt sanctissime. Nec puduit sanctum Dei spiritum multis recensere & describere matrimonia ipsorū. Nam primum & præstantissimum in sacris literis liber, Genesis appellatus, in matrimonijs sanctorum describendis bona parte consumitur. Nec piget ipsum seruum Dei incomparabilem Moſen commemorare coniugij negotia & opera, ueluti pura & egregia quæ hodie iudicantur à multis esse sordida & purida. Honorauit & cōmendauit ipse Christus (in coniugio quidem, sed ex purissima uirgine natus naturalis Dei filius) nuptias dum in nuptijs primum suorum signorum edere dignatur, & tale quidem signum quod ostendit, dominum posse amara coniugij reddere dulcia, & inopiam subleuare diuite copia. Apostoli ut mariti fuerunt ad exemplum patriarcharum, regum, principum, sacerdotum & prophetarum, ita præcipuus inter eos Paulus clamat, Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutū. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Dicit coniugium esse honorabile apud omnes, nimirum gentes. Pauculas enim inuenias quæ non maxime laudarint nuptias. Xenophon arbitrat̄ inter omnia Dei instituta nix aliud inueniri coniugio pulchrius & uilius. Musonius, Hierocles & alij sapientes præci coniugium usque adeo necessarium purant ad bene & commode uiuendum, ut uita hominis extra matrimonium uideatur manca. Illi ipsi mala & incommoda matrimonij ex coniugibus nō coniugio deriuant. Bonum enim est coniugium, sed multi bono non bene utuntur, ideoq; ab usus sui meritas luunt pœnas. Quis enim nesciat ebrietatis mala nō referenda esse:

dā esse ad saluberrimam Dei creaturam uinum, sed ad ingurgitationem uerius atq; prauam cupiditatem hominis bona Dei creatura abutentis? Quod egreditur ex corde hominis, ait in euangelio dominus, nō quod ingreditur per os coinquinat hominem. Huc peruenit quod apostolus Christi Paulus sanctificationem tribuit conubio. Cubile enim, inquit, impollutum est. Et alibi testatur sanctificari intercedente matrimonio incredulum maritum per fidelem uxorem: asserit præterea liberos ē coniugio natos esse sanctos siue mundos. Nam & Christum idem statuit exemplum conjugalis amoris: deniq; mysteria Christi & ecclesie adumbrat per coniugiū, rem utiq; diuinam per typum sanctissimum & Deo probatissimū. Vnde alio in loco idem apostolus dicit eorum doctrinam plane dæmoniorum esse doctrinam, qui prohibent contrahere matrimoniū. Inde rursus consequens est eam doctrinam esse diuinam, quæ liberum permittit coniugium omnibus, ipsumq; commendat & colit.

Præstantia & dignitate matrimonij intellecta, inspiciamus iam *Causæ con-*  
 causas, ob quas diuinitus institutum est matrimonium. Deus pro *iugij.*  
 bona sua natura omnia sua instituta dirigit ad bonum & utilitatem hominum uberrimam. ergo & matrimonium instituit ad conseruationem generis humani, deniq; ut commoda ornata & suauis esset hominis uita. Verum redigi possunt causæ omnes ad numerum ternarium. Principio Deus ipse dicit, Non est bonum ut homo solus sit, faciamus ergo adiutorium quod coram ipso sit, uel ei cohabitent. Prima ergo causa instituti coniugij est hominis commoditas, nimis rum ut uita eius sit suauior & commodior. Non enim uidebatur Adam satis feliciter & suauiter uicturus, nisi adiuncta coniuge. Ea appellatur non impedimentum aut malum necessarium, ut poeta qui dam mulierum osiores & malæ bestie nugati sunt, sed adiutorium *Mulier est*  
 uel brachium uiri. Ac ex Gentilibus, quod tamen mirum uideri po- *uirum bra-*  
 terat, Antipater in Seruone de Nuptijs protulit, quod mirū in mo- *chium.*  
 dum huc quadrat, & quale nam brachium aut quale adiutorium coniunx sit, exponit, Quisquis uxorem, inquit, & liberos non expertus est, uerissimam & geminam beneuolentiam ignorat. Vndiquaque commiscetur conjugalis amor, cum non solum opes & liberos & animam, sed etiam corpora soli coniuges cōmunia habeant. Ideo Euripides, deposito mulierū odio quo laborabat, hos uersus scripsit,  
 Coniunx in ægritudinibus & sinistra fortuna, marito  
 Suauissima est, si domum honeste inhabitet,  
 Iram suauiter mitigans & molestias  
 Animi iucunditate leuans ac fraudes amicorum.



Quemadmodum enim si quis unam habens manum alicunde & alteram indipiscatur, aut unico pede utens, etiam alium aliunde acquirat, facilius multo aliquid apprehendere, aut quo libuerit ire poterit: ita qui uxorem duxit facilius fraetur salubribus & utilibus uitæ commoditatibus. Nam coniuges pro duobus oculis quater nos habent, & pro duabus manibus totidem alias, quibus unâ iunctis facilius agent opus manuum. Proinde fessis alteris reliquæ suum officium præstabunt. Coniugium ergo quod unius membri uice ex geminis coalescit felicius omnia administrare in uita poterit. Hæc omnia Antipatri sunt. Hierocles uero in libro suo de Nuptijs, Vtilis est, inquit, cum muliere conuictus etiam præter liberorum procreationem. Primum enim externis laboribus attritus suscipit officiose tractans & omni cum studio recreans. Deinde animi tristitiæ obliuionem inducit. Tristiores enim uitæ casus & in uniuersum omnis sollicitudinis aut negotij agentibus nobis, circa forum, rus aut inter amicos, non facile feruntur necessarijs occupationibus admixti: expeditus autem inde & domum regressis, animoq; in otium & libertatem suam restituto leuiora fiunt omnia, & hac occasione nos angere desinunt. Nec profecto uxor molestia est, imò res molestas ipsa leuat. Nihil enim usqueadeo onerosum est quod maritus & uxor non facillime ferant concordēs, & communi opera quicquid est ferre uolentes. Erreliqua.

*Procreatio & educatio sobolis.* Secunda instituti matrimonij causa est procreatio sobolis ad conseruandum genus humanum, & educatio liberorum in timore domini. Nam benedixit dominus Adæ atq; Eux ac dixit, Crescite & multiplicamini & replete terram. Paulus item apostolus ad Titum, Anus doceto, ait, ut honesta doceant, quo intelligentes ac modestas reddant adolescentulas, ut maritos suos diligant, ut liberos ament, ut sobriæ sint, domus custodes, bonæ, subditæ suis uiris. Et iterum ad Timotheum, Adam non fuit deceptus, ait, sed mulier seducta fuit, salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide & dilectione & sanctificatione cum castitate. Cæterum inutilis foret generatio nisi accederet & educatio liberorum. Præterea quæ uere liberos diligit, educat ipsos in timore domini. Et hinc profluit maximus in reipub. & ecclesiam fructus. Accedit item per plurimū gloria ac cultui Dei, cum prouenit ex sancto coniugio maximus hominum numerus uere Deum agnoscentium inuocantium colentiumq;.

*Cubile in cōiugio impollutum.* Tertiam causam instituti matrimonij huiusmodi uerbis commemorat apostolus, Propter stupra uitanda suam quisq; uxorē habeat, & suam quæq; uirum habeat. Bonum quidem esset & commodum nullam

nullam contingere mulierem cœlibemq; uiuere hominem, sed quia hoc non omnibus datum est, sicut in euangelio ait dominus, ac urit quosdam aut plerosq; ferè carnis concupiscentia, dominus coniugium uelut medelam instituit, restante apostolo rursus atq; dicente, Qui se non cõinent, contrahant matrimonium. Nam satius est matrimonium contrahere, quam uri. Discimus hic concubium naturalem cum propria coniuge non reputari à Deo pro culpa aut pro immunditia. Fornicationis opus est immunditia, quia pugnat cum lege diuina. Coniugium uero permisiit Deus & benedixit ei, ergo sanctificantur coniuges benedictione Dei fide & obedientia. Nec desunt hic nobis argumenta & testimonia clarissima Pauli. Is enim ad Hebræos dixit, Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Verecunde locutus est apostolus, ac per cubile intellexit concubium conjugalem, quem testatur esse impollutum. Quod autem mundauit Deus, *Act. 10.*  
 quis oro immundũ dixerit? Quis negauerit mundis omnia esse munda? Recte ergo de his iudicans in Nicena Synodo Paphnutius confessor & episcopus dixit castitatem esse concubium cum uxore propria. Neq; uero puduit uerecundissimum Christi apostolum leges de his ferre. Scribit enim, Vxori uir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & uxor uiro, Vxor proprii corporis ius non habet sed maritus. Similiter & maritus proprii corporis ius non habet, sed uxor. Ne frauderis uos inuicem, nisi quid fiat ex consensu mutuo & pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi: & rursus in unum conueniatis, ne tentet uos sathanas propter intemperantiam uestram. Clara sunt hæc apostoli uerba nec ulla interpretatio nostra addita indigent. Idem apostolus ad Corinthios, Si duxeris uxorem, ait, non peccasti. Item, Si uirgo nupserit non peccauit. Quid autem uirginitate præstantius purius sanctius? At non peccat uirgo, si uirginitatem sancto commuret connubio. Bene ergo Chrysostomus in homelia quadam, Primus, inquit, gradus castitatis est sincera uirginitas, secundus fidele coniugium. Sed & beatus Augustinus nuptias uocat castitatem siue continentiam. Locus extat de Bono coniugali cap. 19. & 20. item epistola 198. Ex hoc fonte dimanar honestas publicæ portio maxima. Approbat enim Deus coniugia, improbat fornicationem & omnem immunditiam. Sancto suo instituto uult omnem turpitudinem à suis excludere fidelibus. Videant ergo sancti magistratus in primis, ne hic sint segnes, sed acres, sancta tueantur coniugia, persequantur sauerissime obscœnitates, fornicationes & omnem immunditiam. *Honestas.*

*Act. 10.*  
*Titum 10.*

*1. Cor. 7.*

*Honestas.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

*Nemini prohibentem coniugium* Hæc ex scriptura sancta recitauit hucusq; paulo copiosius ut omnibus manifestum facerem coniugium esse sanctum & ideo eius moderatio sancto legitimoq; usu neminem posse inquinari: ergo omnibus quoq; esse permittum. Apostolus enim, Episcopus, inquit, sit unius uxoris uir, qui suæ domui bene præsit, liberos habens fideles. Nam & apostolos Christi apostolicosq; uiros sanctissimos ecclesiarum pastores habuisse uxores diuino & humano testimonio comprobatur. Neq; uero aliud post prauam doctrinam magis inficit ecclesiam omnemq; disciplinam subuertit ecclesiasticam, quam si ministri ecclesiarum, qui debuerant esse lumina, sint fornicarij & adulteri. Scandalum hoc præ cæteris honestatem omnem fatigat atq; conspurcat. Sed de his in præsentiarum non statui prolixius & plenè disputare. His adijcio uinculum coniugij esse indissolubile & sempiternum, id est nunquã dissipandum. Fit enim ex duobus una caro, unum corpus. Hoc si disceces, perdis. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Ergo huius corporis cædem faciunt, qui ad alterum perpetrant. Diuortium enim admittit lex euangelica & lex humana inter maritum & adulteram. Neq; sit minor & leuior causa, quæ inter cõiuges uinculum hoc dirimit quam fornicatio. Alioquin maiores in euangelio non prohibuit esse diuortij causas, qui minorem permittit. Ac in ecclesia ueteri non unam fornicationem separationis causam fuisse testes sunt Christianorum principum epistolæ atq; constitutiones. De quibus alias.

*Quomodo contrahendum sit matrimonium* Vt autem uinculum hoc sanctum coalescat firmitus, multum refert si sancte legitime cum timore Dei & cum iudicio coeant coniugia. Ne sint inuita aut coacta, Iungant prius animorum consentientium genij quos postea coniungit professio consensus mutui & externa confæderatio. Iungantur qui non sunt propinquitate sanguinis aut affinitatis disiuncti. Iungantur qui per leges diuinas atq; patrias, parentum consensu consilioq; accedente, coniungi possunt. Adsit in contrahentibus mens sincera, quæ quærat incolumitatem et felicitatem perennè, hoc est quæ unice spectet uoluntatem Dei: neque admitrat ulla parte prauos adfectus in consilium. Hierocles in lib. de Nuptijs, Imprudentia omnino grauis est, inquit, ut quæ res etiam perse faciles, onerosas efficiat, & inter alias uxorem quoque. Non paucis enim intolerabiles fuerunt nuptiæ: non quod sua culpa aut suapte natura talis sit cū uxore societas, sed quando ducimus, quas non oportebat, inde usu uenit, ut fiat intolerabilis illa societas. Hoc sanè modo nuptiæ uulgo eueniunt. Non enim procreatio nis liberorum, aut uitæ societatis gratia ducunt uxores: sed alij propter

pter magnitudinem doris, alij excellentia formæ, alij uero alijs istius  
modi causis ducti, ceu malis consiliarijs usi, de ingenio & moribus  
sponsæ nulla cura habita, in perniciem suam nuptias celebrant. Huc  
peruenit quod Plurarchus in libello de liberis educandis parentes ad  
monet, ut eiusmodi liberis tuis uxores despondeant, quæ non sint  
multo uel ditiores uel potentiores. Prudenter enim dicit Prouerbio,  
Tux sortis uxorem ducto Breuiter preluceat in his omnibus timor  
Dei uerbum Dei & ardens ad Deum effusa precatio.

Cæterum non conuenit in legitimo coniugio plures esse quàm  
duos, qui constringantur unum sub iugum. Polygamia enim usur- *Contra poe  
lygamiam.*  
pata patribus nostris citra culpam, nullam nobis constituit legem.  
Illuxerunt correctionis tempora & uenit in orbem Messias omnia  
docens atq; reformans. Leges ergo coniugij idem ille reduxit ad  
primam regulam & legem. Erunt, ait dominus, duo in carne una.  
Et apostolus, Habeat quisq; suam uxorem, & quæq; suum maritum.  
Nihil ergo ad nos pertinent greges concubinarum Solomonis.  
Nihil ad nos pertinet quod Iacob legitur duabus coniugatus soro- *Secundæ  
nuptiæ.*  
ribus. Interea secundas tertias aut etiam plures nuptias non damnat  
uerbum ueritatis. Generale enim est illud apostolicum adde & per-  
petuum, Qui se non cõrinent, contrahant matrimonium. Satius est  
enim contrahere matrimonium, quàm uri. Desumpta est ea sententia  
ex illis euangelicis uerbis, Non omnes capiunt uerbũ hoc: sed ij qui  
bus darũ est. Sunt enim eunuchi de utero marris sic nati: sunt qui ita  
facti sunt ab hominibus: & sunt qui seipso castrauerunt propter re-  
gnum cœlorum. Qui potest capere capiat, Ergo qui non potest ca-  
pere, uxorem quoties necesse est, ducat.

Imprimis uero scire refert quomodo colamus matrimonium, quo *Quomodo  
colendum  
matrimo-  
nium.*  
dirigant omnia sua coniuges, quid agant in coniugio, & quomodo  
animati esse debeant erga hoc sanctum Dei institutum, Ea de re pau-  
cula, sed maxime necessaria capita recensebo, singulis suppeditas oc-  
casionem plura & maiora cogitandi. Principio teneat coniuges pro-  
re certissima compertissimãq; se esse in opere Dei cū uiuunt in con-  
iugio, se placere Deo, & rem gratã Deo facere, idq; propter uerbum  
Dei, quo benedixit huic uiuendi generi ac sanctificauit omnes con-  
iuges fide in hoc opere & instituto Dei uiuentes. Ergo cum coniu-  
gati molestias, ex matrimonio consequentes, perferunt patienter, dũ  
laborant fideliter, dum ea faciunt decenter quæ opera uel officia sunt  
coniugum, ueluti dum uxor amat maritum, dum ei inseruit pro offi-  
cio, dũ parit cū dolore liberos, dum genitos fouet & magna diligen-  
tia multoq; labore educat: dũ maritus uxore diligit, uxor mutuam

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

præbet operam ac in domo per omnia fidelem agit paremfamilias: non minus in his placent Deo, quam cum in sacrum prodeuntes eorum, uerbum Dei audiunt & dominum adorant. Nam opera illa coniugij non minus reputantur pro bonis operibus, quam ipsa elemosyna, iustitia et pax. Opus itaque fuerit coniugibus ante omnia uera fide in Deum authorem coniugij. Ita enim per fidem placebunt domino. Hæc non urserunt monachi, quæ tamen iubentur urgeri in uerbo Dei, suam potius fictam sanctimoniam & sua uora supra astra extulerunt.

*Fideles*

*sine coniu-*  
*ges.*

Deinde requiritur à coniugibus ut memores datæ & acceptæ fidei se mutuo non fallant perfide, sed fœdus initum & fidem datam sancte seruent, & seruent quidem sincere animo & corpore. Nemo admittat in animum concupiscentiam alienam aut odium fastidiumue coniugis. Et corpus tuum, quisquis maritus es, non tuum, sed uxoris est, sicuti & uxoris corpus, non uxoris tuæ, sed tuum est. Rapinam committis & furtum si alienum bonum sustuleris aut ab hero proprio abalienaueris alterique communicaueris. Sit mens coniugum integra & corpus illibatum. Pollicetur quisque dum sacra cerimoniam initiat & dedicat coniugium sub obrestatione diuini nominis coram Deo & ecclesia se fidem coniugi sancte seruaturum, hæc & non alia ulla usurum muliere, huic uni adherere illamque diligere & fouere uelle. Hanc fidem datam quisquis uiolauerit perfidus est, diuini uiolator fœderis & sanctæ ueritatis.

*Cohabitan-*  
*dum cum*  
*scientia.*

Nec satis est si sis fidelis, nisi etiam sis humanus & cohabites uiri cum scientia, ut ait S. Petrus. Sit maritus uxoris caput, mens uidelicet sapientiæque, commodus moderator, uix dux, cõuictor iucundus, monitor in rebus omnibus opportunus, defensor fidus. Vxor sit obediens, ut uideamus membra parere capiti, præbeat se agendam & regendam uiro, non spernat æqua mariti dogmata aut imperia. Cogitent se esse unum corpus uel membra unius corporis. Discant ergo ex gubernatione corporis humani quomodo sese gerant in con nubio. Nobiliora membra non contemnunt ignobiliora, sed eis deferunt magis ac laborē leniunt & auxiliū conferunt. Ignobiliora suspicunt nobiliora, nec istis inuident quicquam. Membrum non collidit aut affligit membrum, sed mutuo se fouet omnia, & defendunt se inuicem ab iniurijs. Talis sit inter coniuges mutua cõnexio & operatio & beneuolentia & charitas, tale studium & consortium. Ideo enim ex corpore uiri desumpta est mulier, ut suum corpus colere & amare pgeret maritus. Ideo etiam apost. Sic debet uiri suas diligere uxores, ait, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem, seipsum diligit. Nullus enim unquam

*Ephes. 5.*

unquã suã ipsius carnẽ odio habuit: imò enutrit & fouet eam, sicut & dominus ecclesiam. Quid quod apostolus eodem in loco ipsum Dei filium & sanctam ecclesiam, coniugatis exemplum statuit, requirens à marito ut diligat uxorem suam sicut Christus dilexit ecclesiam: uxor uero ita obseruet maritum, eundemq; diligat sicut ecclesia Christum? Eo exemplo non est aliud in toto hoc orbe sanctius & uehemẽtius. Nullus enim amor Christi amore in ecclesiam maior: nec alia inuenitur obseruatio castior quã ecclesie erga Christum. Requiritur ergo à coniugatis ut ardentissime & sanctissime se ament mutuum. Omnibus utantur communiter, bonis simul & malis: idem trahant iugum, alter alterius onus portet. Breuiter, sint unius corporis membra. Alibi descripsimus hæc officia copiosius, dum conscripsimus Institutionem Christiani matrimonij.

Postremo educent liberos in sancta disciplina & timore Dei ad *Gignant et*  
salutem domus propriæ & totius reipublicæ. Paulus, Volo, inquit, *educent liberos.*  
iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare. Hoc enim est honestum & acceptum coram Deo. Porro de educatione liberorum dixi sermone quinto huius Decadis. Vtilissimum est autem hac parte matrimonium cum suæ cuiusq; domui, tum uniuersæ reipublicæ: ut iam non commemorem & cultum & gloriam Dei propagari quam laetissime, si uidelicet liberi non tantum generentur, sed et sancte instituantur à parentibus in timore domini & in omni pietate. Hierocles, Viles, inquit, esse nuptias assero. Primum quidem quia diuinum reuera fructum producunt liberorum generationem qui nobis & ualentibus adhuc, utpote consanguinei, in omnibus negotijs opem ferunt, & etate confectis senioq; pressis boni sunt auxiliarij: familiares quidem in secunda fortuna lætitiæ socij, in aduersa uero condolentes rerum tristium successores. Et reliqua. Antipater uero, Hominem, ait, ingenio ciuili præditum commune negotium patriæ oportet augere. Nam alia ratione ciuitates seruari non possent, nisi optimi quicq; ciues & generosorũ filij, prioribus tanquam arboris pulchræ folijs marcescentibus & desluentibus, uxores tempestiue ducerent, & liberos ceu generosa quædam germina patriæ successores relinquerent, ut ipsam florere semper & in uigore perpetuo durare efficerent, nunquam hostibus oppugnatu facilem fieri pro uirili sua molientes. Hoc igitur sibi scopo proposito ut & uiui & defuncti patriam tueantur & adiuuent, nuptias cõtrahere maxime necessariũ, ac in primis conueniens æstimant, cum omnia que requiruntur à natura perficere cupientes, tum illud apprime quod salutem & augmentũ patriæ, ac multo magis diuinũ cultũ atinet, &c.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

*A religioe  
auspicanda  
coniugia.* Cum autem tanta ad beate feliciterq; uiuendum momenta habeat  
iustum matrimonium, nõ præter causam auspicantur hoc à religio-  
ne fideles. Certè primo parentum nostrorum coniugio protinus ab  
initio benedixit dominus, qui & eos copulauit. Vnde receptus est in  
ecclesiam Dei mos, quod qui matrimoniũ contraxerunt, priusquam  
cohabitent in templum domini ueniant, ubi sub inuocatione diui-  
ni nominis & in medio interpellantis ecclesiæ copulantur & bene-  
dicuntur à ministro Dei sub nomine Dei. Proinde locum primariũ  
in coniugio habent assidue coniugum preces ad Deum, ut hic di-  
gnetur facere maritos sapietes, religiosos, modestos, benignos, pro-  
bos, laboriosos & patientes amantesq; uxorum: uxores uero obse-  
quentes, placidas, castas, fidas, diligentes maritos & liberos, æcono-  
micas & fecundas. Quanta enim uel ex unico matrimonio prauo  
& corrupto existant mala, nemo unus explicauerit. Conturbantur  
hoc familiæ, perit pudor & facultas omnis, corrumpuntur liberi, of-  
fenditur imò irritatur Deus, malum ingens datur uniuersæ reipubli-  
cæ. Proinde sedulo orandus Deus ut benedicat omnibus coniugi-  
bus, quo nomen eius sanctum incolumitasq; reipublicæ incremen-  
ta accipiat.

*Contra ad  
ulterium.* Descendo iam ad Adulterium, quod huiusmodi scelus est, quo  
ad alteram accedit maritus, uel uxor ad alterum diuertit cui corpor-  
ris sui imò maritalis corporis copiam facit. Blandiunt sibi quidam  
existimantes nulla se teneri culpa adulteriij, si consuetudinem habeant  
cum libera aliqua puella, uel non maritata, rursus si mulier se prostitu-  
tuat homini nondum coniugato. Fornicationem hoc non adulte-  
rium esse contendunt. Sed scriptura diuersum iudicat. Accedis ad al-  
teram, adulter es: fidem fallis, perfidus es: corpus tuum non tuum,  
sed uxoris corpus est, proinde alienæ corpus hoc impendens, adul-  
terium committis. Si coniugatus cum maritata cõcumbis, peccatum  
adulteriij conduplicas. Grauißimis supplicijs hoc statim à rerũ exor-  
dio punitum est. Pharaõ rex Aegypti Saram Abrahamæ uxorem deduc-  
ci iussit in aulam ut ipsa uteretur uxore, ratus illam Abrahamæ sororem  
esse. Sed scriptura, Afflixit autem dominus, ait, Pharaonem & domũ  
eius plagis magnis propter Saram uxorem Abraham. En punitur  
rex Aegypti plagis grauißimis propter adulterium: interim ignorat  
uir rex Saram esse uxorem Abrahamæ: quantæ ergo plagæ illis paratæ  
sunt, qui scientes & uolentes impudenter committunt adulteria? Ad  
Abimelechum regem Palæstinorũ dicit dominus, En morieris pro-  
pter mulierem quam tulisti à marito suo. Atqui abduxerat & hic rex  
Saram nesciens esse uxorem Abrahamæ. Ioseph sollicitatus ab uxore  
herili.

herili ad adulterium, simpliciter dicit, Quomodo designarem ingēs hoc malum siue flagitium, quo & in Deum peccarem? Singula uerba suum pondus habent. Nam grande scelus est adulterium. In libro enim Iob, ipse Iob sic pronunciat, Si concupiscentiæ uxoris alienæ obnoxium fuit cor meum, & ad ostium sodalis mei sum in sidia-  
 tus, nimirū ut corrumperē uxorem eius, scortū alterius sit uxor mea, & rem habeant alij cum ea. Hoc enim grande flagitiū est & iniquitas capitali actione persequenda. Ignis enim est qui ad interitū usq; deuorat, ac omnem prouentū meum euellit. Dicit Iob se non modo non perpetrasse adulteriū, sed ne tentasse quidem unquam alienam corrūpere uxore. Profitetur nephas siue grande scelus esse adulteriū, quod mereatur ut adutero sua quoq; corrūpatur. Addit adulterium ignem esse funditus absumentē ac deuorantē omnia, deniq; iniquitatem esse capitali actione persequendam. Nam & Solomon mor-  
 talium sapientissimus, Num quispiam in sinu suo, inquit, ignē fouer, ut uestimenta sua nō adurantur? Aut incedet quis super prunas ut pedes eius non adurantur? Sic qui ingreditur ad coniugem proximi sui, culpa non uacabit quisquis tetigerit eam. Non reputant probro furi, si esuriens furetur ut uitam sustenter. Sed deprehensus septuplum rependit & uniuersam rem familiarē expendit. Qui autem adulterium committit cum muliere excors est, & qui hoc facit, animam suam perdit. Verbera insuper & ignominia inuenit, cuius opproprium nunquam poterit deleri. Maritus enim incensus zelo typia cum ei offertur uindicandi occasio, non parci: neq; ullius intercessoris faciem suscipit, nec munera quantumuis magna admittit. Plurima certē in his Solomonis uerbis considerata ueniunt. Principio ut fieri nequit quin adurat ignis uestem si in ueste gestetur: ita impune nemo commiserit adulteriū. Deinde collatio fit inter furem & adu-  
 terum: non quod furtum defendatur, sed quod fures licet sint ignominiosi, minus tamen peccare, quā adu-  
 teri uideantur. Potest enim satisfacere fur restitutione ei cui suffuratus est aliquid: adulterium recompensari non potest. Et quis non malit sibi arcam funditus euacuari à furibus, quam adamatam uiciari uxorem? Præ-  
 terea appellatur à Solomone adu-  
 ter excors & insanus. Adulterium iudicatur esse scelus morte dignum, & infamia ineluibilis. Nam do-  
 minus ipse in lege non tantū dicit, Ne committas adulterium: sed alibi quoq; addit, Et uir qui adulteriū cōmittit cum uxore alicuius, qui adulterium inquam cōmittit cum uxore proximi sui, omnino moriatur adu-  
 ter & adultera, Leuit. 20. Ac pœna hæc capitalis non est uel sublata uel mutata à Gentibus. Notissima est enim lex Iulia



DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

Romanorū, quæ iubet adulteros plecti capite. Viguit ea lex Hieronymi adhuc seculo, sicuti colligere licet ex historia, quam is conscribit de muliere adultera septies ista. Nec certè mirū est adulteriū apud priscos fuisse, & esse uel hodie iuxta leges capitale. Nam scelus est multifarium. Principio enim perfidus est adulter. Fidem enim coram Deo & ecclesia palam datam sub diuinæ & adorandæ trinitatis obtestatione, & ministro Christi manus uel dexas coniugū conserente, fefellit atq; uiolauit. Deinde furtum & rapinam admisit. Nam cum adultera sui corporis copiam facit alteri, non suum quidem, sed mariti corpus prostituit inquinat & perdit. Quibus accedit quod spurij ex adulterio nati, non raro hæreditates adeunt cum legitimis liberis æquis portionibus. Id quod fieri non potest circa maximam legitimorum liberorū iniuriam. Spoliantur enim iniustissime debita hæreditate, diuiditurq; ei cui nullo iure debetur. Præterea mala exoriuntur innumera ex adulterijs. Ergo cum hydra sit multorum capitum, lex diuina & humana non præter rationem adulteros supplicio capitis puniuit.

David adulter.

Suaues uero illi sunt homines, si dijs placet, quibus adulteria lusus esse uidentur. Illi ipsi pro se facere credunt Dauidis adulterium, & quod dominus noster propitius fuisse legitur adulteræ in ipso scelere deprehensæ. Quare non animaduertunt illi ipsi quanta seueritate in Dauidem cœlitus animaduersum sit? Polluitur mox funesta domus Dauidis incestu sordo. Amnon enim uiciat per uim sororem suam Thamarem. Prouinus & parricidio infamatur crudelissimo, Absolone Amnonem fratrem iugulante in conuiuio. Idem ille Absolon Dauidis filius corrumpit aut uitiat patri uxores, idq; in proptulo, omni posito pudore. Expellit patrem ex regno quem & trucidare festinat. Agnoscit hic merito se tanta propter admissum adulterium & parricidium sustinere. Tandem in pugna occiduntur populi multa millia. Vix restituitur regno Dauid, ac restitutus perpetuam agit pœnitentiam. Mirum uero si pergant adulteri porro pro se Dauidis exemplum adducere.

Saluator absoluit adulteram.

Saluator in mundum, neq; usurpauit sibi alicubi ius gladij. Quis ergo miretur adulteram non esse ab eo damnatam ad lapides? Dicebat tamen, Nemo te condemnauit? quasi non impugnaturus, si lata fuisset, condemnationis sententia. Non enim uenit patrocinarum adulteris, neq; ut legē solueret, sed ut impleret. Quod si adulteris adeo placet adulteram illam nō esse condemnatā à domino, placeat clausula qua terminatur historia, dicēte domino, Vade & posthac ne peccaueris. Desināt ergo & ipsi adulterijs seipso coingnare et perdere.

Dominus

Dominus in lege sua Adulterium quidem nominauit, sed omnes *Quæ an-*  
 libidinis & luxus species, omniaq; ea quæ ad libidinem incitant & *plus probè*  
 fomenta præbent, intellexit, quæ non minore seueritate & iustitia *beatur sub*  
 quam adulterium prohibuit. Dominus in euangelio prohibet non *adulterij*  
 modo opus adulterij externum, sed ipsam affectionem & cupidita- *titulo.*  
 tem animi libidinosam, Audistis, inquit, quod dictum fuerit anti-  
 quis, Non committes adulterium. At ego dico uobis, quod quicun-  
 que aspexerit uxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulte-  
 rium cum ea commisit in corde suo. Ibidem docet eruere oculos &  
 amputare manus, nimirum extinguere in herba exurgentes affectio-  
 nes immundas ne in ipsum opus erumpant. Prohibetur ergo hoc  
 mandato omnis affectio immunda, omnis immundicia & turpius  
 do oris & corporis rotius. Prohibetur fornicatio seu scortatio, quæ *Fornicatio*  
 dicitur esse congressus soluti cum soluta. Is putatur à multis uel mo-  
 dicum uel nullum esse peccatum. Sed diabolus huiusmodi homines  
 sic animat sic fascinat & impellit. Doctrina enim euangelica & apo- *Acl. 17.*  
 stolica longe aliud docet. Nam apostoli in synodali illa epistola sua  
 missa ex urbe Hierosolymorum ad omnes gentes manifestissime pro-  
 hibent fornicationem. S. Petrus scortationem inter scordissima nume- *1. Pet. 4.*  
 rat scelera, à quibus quam alienissimos uult esse Christianos. S. Pau- *1. Cor. 10.*  
 lus, Fugite, inquit, scortationem. Item, Ne fornicatione inquinemur,  
 sicuti quidam illorum inquinati sunt, & conciderunt uno die uigin-  
 ti tria millia. Pugnat fornicatio cum scedere dei quo is nobis, & nos  
 cum Deo cohæremus. Sed & Deum gloria sua spoliât scortatio, tem-  
 plumq; Dei polluit scordissime. Audiamus super ea re apostolum te- *1. Cor. 6.*  
 stificantem atq; dicentem, An nescitis quod corpora uestra membrum  
 sunt Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciã scorti mem-  
 bra? Absit. An nescitis quod qui adglutinatur scorto unum corpus  
 est? Redigentur enim duo, inquit, in carnem unam. At qui adgluti-  
 natur domino unus spiritus est. Fugite scortationem. Omne pecca-  
 tum quod fecerit homo extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium  
 corpus peccat. An nescitis quod corpora uestra sint templa eius qui  
 est in uobis spiritus sancti: quem habetis à Deo & non estis ipsi ue-  
 stri iuris? Nam empti estis precio. Ergo fornicatio excludit fornica-  
 tores ex regno Dei. Idem enim apostolus, Neq; scortatores, ait, neq;  
 adulteri, regni Dei hæreditatem accipient. Ideoq; alibi ne nominari *Ephes. 5.*  
 quidem inter Christianos sustinet fornicationem, tantum abest ut  
 fornicus lupanariæ uelisset seruus Iesu Christi. Præterea opplet totum  
 corpus uarijs morbis scortatio, exuit cultores suos omni facultate  
 atq; substantia, redigit ad extremam paupertatem & miseriam, adigit

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

demum ad desperationē. Adobruit autem omni ignominia: cuius rei uiuum exemplum statuitur in sacris literis fortissimus Israelitarū Samson. Proinde in loco & tempore omnes homines admonei Solomon sapientissimus ut fugiant scortorum suauiloquia. Desinunt enim in uenena & hominem præcipitē agunt in abyssum malorū.

*Stuprum.*

Prohibetur hac lege & stuprum siue uolatio uirginū, item raptus quo liberi parentibus per uolentiam corrumpuntur & abducuntur. Differunt inter se stuprum ui factum & stuprum sine uolentia factum. Dinam Iacobi filiam uiciat Sichem, & quamuis corruptā sibi matrimonio iungi cuperet mutareq; religionem, confoditur tamen à fratribus Dinæ Leui & Simeone, totaq; ciuitas subuersa & cruore cætorum oppleta diripitur. Historia legitur Gen. 34. Propter stuprū Iuliani præfecti filix illatum à rege Roderycho Gotho Hispaniam tenente, uniuersa penē Hispania igni & cruore commixta est. Volaterranus enim Geograph. lib. 2. Roderychus tres annos regnauit, inquit, cuius fœda libido finem attulit Gothorum non tam generi quā pacifico imperio, Saracenis superuenientibus. Nam cum filiam cuiusdam Iuliani præfecti, qui Tingitanam administrabat prouinciam, uitiasset, dolor domesticus patrem ad ulcionem sollicita uir, loci fretum commoditate. Quare Iulianus clam ex Africa Saracenos euocat: qui anno salutis 714. duce Muzza, misso à Mirmomelino eorum tunc rege, per angustias Herculei freti ingresso, biennij spatio omnem ferē Hispaniam occupant præter Astures. In quo temporis spatio dicuntur ad septies centena hominum millia bello utrinque absumpta. Cecidit in eodem bello cum omni sua nobilitate rex uirginis constuprator. In Israele interierunt propter ui compressam Leuitæ concubinam à Gabaonitis ciuibus Beniamitarū 25000, ut iam non commemorem eos qui ceciderunt ex undecim tribubus, quorū ceteros Roma, & Troiam decennali bello (cui oriens & occidentis inuoluebatur) fatigaram, tandem funditus euersam esse, quod Tarquinius ui oppressisset Lucretiam, & Alexander Paris è Græcia abduxisset alienam coniugem Menelai Helenam. Exempla innumera superpeditant omnia ferē secula. Semper enim iustissimus Deus editis exemplis declarauit quam irascatur uirginum constupratoribus ac raptoribus mulierum. Ideoq; leges & supplicia grauissima in huiusmodi nebulones sunt constituta. Raptum siue stuprum ui factū capitaliter puniunt leges. Non uiolento constupratori præcipit Deus Ducas & dores. Aliud altæ leges statuunt. De quibus plura traduntur in iure Ciuili.

Imprimis

Imprimis autem prohibetur Incestus. Incestū uocant illegitimam Incestus.  
coniunctionem contra sanguinis honorem. Cestus enim zona est  
nuptialis quam gerebant sponsæ, significans iustas nuptias. Germa-  
ni uocamus hoc scelus *Blutschand*, uitium scilicet sanguini uel con-  
sanguineis illarum. In Leuitico post gradus inhibitos, subiungit do-  
minus, In his omnibus ne polluamini. Nam in hisce omnibus gen-  
tes polluuntur, quas ego eijcio ante uos. Et hinc contaminata est ter-  
ra & ego uisitauit iniquitatem eius super eam, & terra ipsa euomit  
habitatores suos. Vos igitur custodite statuta & iudicia mea, & ex om-  
nibus istis abominandis rebus, nullā designabitis. Nam quicumq;  
sic fecerit, excinderetur. Et in 20. cap. Leuit. statuit contra incestus sup-  
plicium capitis, quod non mutarunt leges ciuiles seu imperatorie.

Prohibetur item abominandum nephas Sodomæ & commixtio Sodomæ.  
cum brutis. Apertissimas habemus contra hæc in Leuitico cap. 18. et  
20. expressasq; leges. Habemus item sæuerissimum, sed iustissimum  
supplicium ab ipso iustissimo Deo sumptū de Sodomitis. Nā igne  
et sulphure fœtente cœlitus demisso fœdissimos homines in cineres  
redegit ac cineres abluit maris mortui undis, ne superesset de nepha-  
rijs hominibus uel fauilla. Arserunt præterea integræ urbes & agri  
ferulissimi. Neq; enim oportebat uel tanullū superesse de rebus etiā  
scelestissimorum hominum. Locus nomen obtinuit Maris mortui.  
Vnde necessario colligimus Deum iustissimum minime parsurum  
genibus simili scelere implicitis, tamen si dissimulet ad tempus. Abo-  
lebuntur incēdio cū ipsæ tum res ipsarū: ardebunt apud inferos æter-  
nū, nec aliud de eis quā in famis remanebit memoria. In theologia  
enim domini nostri Iesu Christi legimus, Et descendit ignis à Deo è  
cœlo, & deuorauit eos: & diabolus qui seducebat eos, missus est in  
stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruce-  
tiabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Apo. 20.

Prohibentur præter illa etiā omnia quæcunq; incitant & illiciunt Illecebræ  
ad libidinem prohibitam. Huius generis sunt cultus corporis immo prohibita.  
dicus, consortium prauum & luxuriosum, gula uel crapula & ebric-  
tas. Nam Ezechiel inter alia, Hæc fuit iniquitas Sodomæ, inquit, fa-  
stus, copia ciborum, felicitas & otium. Ad libidinem incitant carmi-  
na spurca uel audita uel lecta, cantilenæ obscenæ, chori uel choreæ  
lasciuæ, spectacula impura, exempla & colloquia fœda. Damnantur  
ergo hac lege conuiuentes & fouentes aut etiam mediantes atq; co-  
pulantes fornicarios homines. Impio dicit Deus in Psalmis, Quare Psal. 50.  
assumis testamentum meum in os tuum? Cum odio habeas discipuli  
nam, & uerba mea post te reijcias? Si uidebas furē currebas cum eo,

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

& cum adulteris portionem tuā ponebas, &c. Punit ergo ista omnia in sceleratis iustus dominus, unū quodq; pro magnitudine sua. Sunt enim alia peccata alijs grauiora. Adulter est qui cōcupiscit in animo suo uxore alterius: sed idem peccat grauius si etiā opere pergat complere scelus, grauius rursus si cōpleat, & adhuc grauius si repetat. Ita peccat quidem adulter, sed peccat is quoq; qui iuuat adulterū, qui defendit. Peccat grauius scortator, sed grauius peccat qui se polluit incestu, grauiissime omniū qui cōmunicat cum abominandis Sodomitis. Præcipitur itaq; hoc mandato septimo uerecundia, pudor, sobrietas, temperantia, castitas & honestas publica, deniq; uera animi & corporis sanctimonia. Restat iam ut aliquid dicamus de Continentia.

*De continentia.*

Abstinencia ab alienis abstinemus ne cui eripiamus suum. Temperantiam uolunt continentia patere latius. Nam hanc illius partem faciunt. Ego simpliciter Continentiam oppono intemperantiæ aut incontinentiæ. Est enim uirtus & animi uis à spiritu Dei accersita, quæ comprimit affectus, nec quicquam permittit uoluptatibus illicitis. Hæc exercet se & locum habet in sermone hominum, in uoluptate etiam concessa, in uestibus, in habitatione seu ædificijs, in cibo & potu, ac in rebus quoq; alijs. Nos enumerata duntaxat in præfenti excutiemus.

*Continentia lingue.*

Principio requiritur à nobis ut linguam nostram contineamus neq; laxemus ipsam in contumeliam gloriæ Dei aut in proximi nostri detrimentum. Sit sermo hominis Christiani honestus, uilis & sale conditus, sit prorsus alienus à scurrilitate, leuitate, mendacio, à turpitudine & obscenitate. De lingua multis egit beatus Iacobus in sua epistola capite 3. In primo capite, Sit omnis homo, ait, uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Et Paulus, Omnis sermo spurcus, inquit, ex ore uestro ne procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audientibus, & ne contristeris spiritum sanctum Dei, per quem obfirmati estis in diem redemptionis. Item, Scortatio & omnis immundicia aut auaritia ne nominetur quidem inter uos, sicut decet sanctos, aut obscenitas aut stultiloquium aut urbanitas, quæ non conueniunt, sed magis gratiarum actio. Ne quisquam decipiat uos in uerbis sermonibus. Propter hæc enim uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Nam et alibi ex Menandro hanc protulit sententiam, Corruptunt mores bonos colloquia praua. Sed & uiri animus inspicitur in sermone, Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ergo si alibi uspiam hic imprimis conuenit Christianos esse continentiores & sobrios.

Concessit

Concessit quidem dominus homini uoluptates. Licet enim ad *Concessa*  
sobrietatem ornare uestibus corpora, & iisdem ab eis depellere fri- *uoluptas.*  
gus. Concessit amplexus coniugales sanctos. Concessit contra in-  
temperiem cœli habitationes commodas, nec flagitat ut pecudū aut  
beluarum instar per agros & syluas oberremus. Concessit ad neces-  
sitatē adeoq; ad iucundam facietatem cibos atq; potū. Concessit  
otium quietem atq; somnum mirabiliter uires etiam deficientes re-  
parantem. Proinde cum illis fruitor & illa percipit illisq; cum hone-  
sta uoluptate delectatur uir pius, agat Deo gratias, moderate & cum  
timore Dei illis utatur, Non enim peccat contra dominum. Abusu  
illarum rerum ingratitude & intemperantia peccatur.

Nam quid permissum sit cōiugibus superius exposui in hoc eo-  
dem sermone ut idem repetere non sit necessarium. Solomon dicit,  
Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: sit hæc amata cerua & caprea  
gratiosa: amores eius omni tempore te reficiant: in amore eius dele-  
ctare iugiter, &c. Interim contineat se quisq; ab omni abusu & in-  
temperantia: ac sicubi postularit necessitas secubent coniuges, iuxta  
Pauli consilium: uel audiant Ioseph prophetam dicentem, sanctifi-  
cate ieiunium, congregate cœtum: egrediatur sponsus de cubiculo  
suo & sponsa de uolo suo.

Vestes sint mundæ & honestæ iuxta morem patrium, nisi is sit cor *Continen-*  
ruptissimus, tegant & ornent: nihil in his sit sordidum aut hypocri- *tia in ue-*  
ticum, nihil peregrinum leue & indecorum. Non puduit apostolos *sitiu.*  
Christi primarios Petrum & Paulum bene longas leges ferre de or- *1. Pet. 3.*  
natu & uestibus mulierum: quod hoc hominum genus ferè insolentius *1. Tim. 2.*  
se hic gerat. Cogitet quisq; fidelium quid se deceat, non tam ex *Titum 2.*  
conditione & statu, quam ex religione. Luxus in re qualibet impro-  
batur Christianis. Quorsum uero attinet uestes, quæ ut contegant  
corpus consumuntur, discindere, nisi quod anatomia ineptissima  
aperimus & omnium oculis exponimus quales simus apud nos  
ipsum domi nostræ in pectore, discissi uidelicet, laceri, uani, leues &  
integri parum? Ac uestis è lino uel lana parata non minus contegit  
& ornat hominem, quam Damascena aut holoserica, imò onerant  
& deformem te reddunt, quæ te non decent & luxuriosa sunt.

In ædificijs non prohibetur mundicies & necessitas, sed splendor *Continen-*  
& excessus. Ac splendida illa ædificia raro construuntur sine paupe *tia in ædi-*  
rum oppressione aut iniustitia graui. Ieremias adducit dominū lo- *ficijs.*  
quentem contra regem Iuda atq; dicentem, Væ qui ædificat domū  
suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio, qui utitur seruitio  
proximi sui gratis, & mercedem eius non reddit ei: qui dicit, Aedifi-

DE PRÆCEPTO DECALOGI VII.

cabo mihi domū latam & cœnacula spacioſa: qui aperit ſibi feneftras et facit laquearia arcuata ex cedro pingitq; ſynopide. Num regnauit cum te putas quod cum cedris contendis? An non & pater tuus edidit & bibit & executus eſt iudicium & iuſtitiam: & bene illi erat tunc? Nemo ergo noſtrū ex rapina & ſudore pauperum extruat ædes magnificas. Inhabiter quiſq; domum ſua profeſſione & ſua conditione decentem. S. Hieronymus luxum etiam in templis damnat. Nec uis deo quid ſplendida ædificia conferant homini quam ingens malū. Aegerrime auellimur ex palatijs, his ergo metum mortis conduplicamus. Patriarchæ certè inhabitauerunt tentoria teſtificantes ſe hic eſſe exules, patriam autem inquirere aliam, nempe cœleſtem.

*Continentia  
in cibo &  
potu.*

Continentia in cibo & potu non requirit odium cibi & uini, ſed ut illis utamur moderate ad neceſſitatem, non ad ingurgitationem. Damnatur in ſcripturis gula crapula comeſſatio atq; ebrietas, & hæc imprimis. Nam ex ebrietate ſeruntur mala inexplicabilia, nempe ſcelera innumera, morbi graues, egeſtas & miſeria. Solomon, Apud quem eſt uxor, ait, apud quem eſt dolor? apud quem contentioſus: apud quem nugæ: apud quem uulnera ſine cauſa? apud quem rubedo oculorum? Apud eos nimirum qui uina ſectantur, apud eos qui ueniunt in quiſtum ubi miſceatur. Noli contempleri uinū cum ruber, & cum ſplenduerit in uitro color eius: ingreditur blandè & in nouiſſimo mordet ut coluber, & ſicut regulus uenenū diſſundet. Nō cōmemorabo omnia quæ uel ex gentibus contra crapulam & ebrietatem proferre poſſem. Vnus Solomon pleraq; cōprehendit modo

*Cōtra ebri  
tatem Chri  
ſtus.*

in orbe terrarum auditurum? At hic in euangelio ſub parabola diuinitis epulonis mirabili euidencia pingit quem ſinem ſortiantur epulones. Apud eundem Lucam taxans noſtri ſeculi, hoc eſt proxime diem iudicij præcedentis crapulam & ebrietatem, Sicut accidit in diebus Noe (ait) & Loth, edebant & bibebant uſq; ad diem quo ingre diebatur Noe in arcam & Loth exiret è Sodomis: tunc uenit diluuiū & pluit igni & ſulphure de cœlo & perdidit omnes. Addit idem, Cauete uobis ne quando grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, ſubitusq; ingruat uobis dies illa. Tanquam laqueus enim ſuperueniet ſuper omnes qui ſedent ſuper faciem rotæ terræ. Vigilate itaq; omni tempore deprecantes ut liceat uobis effugere iſta omnia & ſtare ante filium hominis. Atq; utinam plures hanc auream cœleſtem & diuinam admonitiōē ſaluatoris ſcriberent non tantū in omnibus auis & hoſpitijs ubi exhibentur conuiuia, ſed in cordibus ſingulorū. Quoniam enim ebrietas regnum noſtro

nostro seculo apud omnes ferè gradus siue ordines sexus & ætates obuiet, experimur in diem mala illa quæ ebrijs minatus est dominus apud Isaiam in cap. 5. & 28. Ac metuendum est ualde ne ebrios dies illa domini innumeros sit deprehensura ad suum ipsorum interitum. Ergo qui aures habet ad audiendum audiat.

Non possum hic mihi temperare quin recitem C. V. quæ S. Mar *S. Martini doctrina de continentia.*  
 tinus non Turonensis ille, sed Dumienfis episcopus, sub Iustiniano Cæs. florens, in libello ad Mironem Gallicæ regem de Continentia scripta reliquit, Continentiam, inquit, si diligis circuncide superflua & in arctum desideria tua constringe. Considera tecum quantum natura poscat, & non quantum cupiditas experat. Impone concupiscentiæ tuæ frenum & modum, omniaq; blandimenta quæ occultam uoluptatem trahunt reijce. Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Nec præsentibus delicijs inhærebis nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit, nec ad uoluptatem sed ad cibum accede. Palatum tuum fames exciter, non sapores. Desideria tua paruo redime, quia hoc tantū curare debes ut desinant: atq; quasi ad exemplar compositus diuinum, à corpore ad spiritum, quantum potes te festina reducere. Si continentia studes, habita non amœne sed salubriter, nec dominum esse uelis norum à domo, sed domum à domino. Non tibi ascribas quod non eris, nec quod es, nec maior quam es uideri uelis. Hoc magis obserua ne paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: & si tibi res exiguæ sunt nõ tamen sint angustæ. Nec tua desinas nec mireris aliena. Si continentiam diligis, turpia fugito, antequam accidant: nec quenquam alium uereberis plus quam te. Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. A uerbis quoq; turpibus abstineto, quia eorum licentia impudentiam nutrit. Sermones utiles magis quam faceros & amabiles ama, rectos porius quam obsecundantes. Miscebis interdum serijs iocos, sed temperatos & sine detrimento dignitatis ac uerecundiæ. Nam reprehensibilis risus est si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus, Nõ erit tibi scurrilitas sed urbanitas grata. Sales tui sint sine dente, ioci non sine utilitate, risus sine cachinno, uox sine clamore, incessus sine tumultu. Quies tibi non desidia erit. Et cum ab alijs luditur, tu sancti aliquid honestiq; tractabis. Si continens es adulationes euita, sitq; tibi tam triste laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia. Lætior esto quoties displices malis, & malorum de te existimationes malas ueram tui laudationem ascribe. Difficillimum continentia opus est assentationes adulatorũ repellere, quorum sermones animum uoluptate



resoluunt. Non eris audax aut arrogans. Submiteste, non proijci-  
 es, grauitate seruata, Admoneberis libenter & reprehenderis patien-  
 ter, Si merito obiurgabit aliquis, scito quia profuit. Si immerito, scis-  
 to quia prodesse uoluit. Non acerba, sed blanda timebis uerba. Esto  
 uitiorum fugax ipse, aliorum uero neq; curiosus scrutator neq; acer-  
 bus reprehensor, sed sine exprobratione correptor, ita ut admonitio-  
 nem hilaritate præuenias: & errori facile ueniam dato. Nec extollas  
 quenquam nec deicias. Dicentium esto tacitus auditor, audientium  
 promptus receptor: requirenti facile responde, contemnti facile  
 cede, nec in iurgia execrationesq; discedas. Si cōtinens es, animi tui  
 motus corporisq; obserua ne indecori sint: nec illos ideo cōtemnas  
 quia latent. Nam nihil differt si nemo uideat cum tu ipse illos uide-  
 as. Mobilis esto non leuis, constans non pertinax. Cunctis esto be-  
 nignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Rumo-  
 ribus criminibus suspicionibus minime credulus uel malignus. Va-  
 næ gloriæ contemptor & bonorum quibus præditus es ne sis acer-  
 bus exactor. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Seuerus  
 non sæuus, sed hilarem non aspernans. Sapientiæ cupidus & docil-  
 lis quæ nosti sine arrogantia postulanti imparties: quæ nescis sine oc-  
 culatione ignorantia tibi postula impartiri. Non conturbabit sapi-  
 ens mores publicos, nec populū in se uitæ nouitate conuerter. Hæc  
 de Continentia ex beato Martino episcopo recitauī hactenus. Ora-  
 dus interim est dominus ut nobis spiritū suum largiatur per quem  
 continentia uirtus apud nos in his omnibus floreat. Nisi enim hic  
 nos animet atq; inspiret, frustra tot & tanta audiuius præcepta, ac  
 nisi temperanter & sobrie uiuamus, Christiano nomine sumus  
 indigni.

*De Ieiunio.* Ad hunc locum pertinet etiam Ieiunij consideratio, quam pau-  
 cis attingemus. Ieiunium Christianum est disciplina custodia ac ca-  
 stigatio corporis, pro necessitate præsentis, sponte suscepta, qua humi-  
 liamur coram Deo fomentaq; carnis corpori detrahimus ut pareat  
 spiritui. Nam quandiu in hoc corpore uiuimus mortales, caro sub-  
 inde rebellat spiritui tum uero maxime cum bene curata cute deli-  
 cijs assuimus. Proinde ieiuniū detrahit corpori omne id per quod  
 incitatur & roboratur contra bona spiritus diuini dictata.

*Species ie-  
 iuniorū du-  
 plex.* Ac necessitas illa propter quam suscipitur ieiunium duplex est,  
 publica & priuata, Publicam ob necessitatē suscipitur ieiuniū quan-  
 do aliqua calamitas ecclesiam uel premit uel ecclesiæ imminet. Eius  
 ieiunij exempla extant in prophetis apud Ioelem in cap. 2. & apud  
 Ionam in capite 3, Usurpatum est hoc ipsum adhuc a postolorū tem-  
 pore:

pore: sicuti declarat lectio Actuum apostolorum. Ac uidentur huiusmodi ieiunia apud ueteres parū aut nihil abfuisse à luctu publico, adeoq; nihil aliud fuisse quam luctum. Exempla ubiq; in sacris occurrunt plurima, docentia quomodo se sancti humiliarint coram Deo agētes pœnitentiam ueram. Priuatam ob necessitatem suscipit quisq; ieiuniū, cum sentit se uexari à cupiditate propria, ac huic mox detrahit materiam, quo minus inardescat. Nam in euangelio dixit dominus filios sponsi tunc ieiunare cum ab ipsis auferetur sponsus, in tempore uidelicet difficili. Nuptiæ significant uinculum quo connectimur cum Christo fide & spiritu. Hoc integro, perpetuo gaudet pius. Edit & bibit cum gratiarum actione & moderatione, quantum satis est, & lætatur etiam in his externis Dei donis: ubi uero sentit sponsum parare discessum aut excessisse ferè ex pectore, id est cum sentit spiritum insolentia carnis extinguui & fidem frigere, tunc preces & ieiunia instituit ut sponsum uel retineat uel discedere paratam retrahat.

Non amant autem ieiunia uel priuata uel publica uim. Non enim cogi sed libera hilari & spontanea mente proficisci uolunt. Ab inuitis nihil fit perfectum. Hilarem datorem requirit Deus. Sint præterea ieiunia moderata pro locorum personarum periculorum aut tentationum ratione aut magnitudine indicta atq; suscepta, si non perpetua saltem crebra, donec liberemur. Sint aliena à superstitione & hypocrisi, sicuti docuit dominus noster in euangelio Mat. cap. 6. Huc quadrant mirum in modum S. Hieronymi uerba de ieiunio ad Neporianum sic exarata, Tantum tibi ieiuniorū modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo nō uesci & moléstias quasdam difficultatesq; ciborum querere, carycas, piper, nucēs, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hororum cultura uexatur, ut cibario non uescamur pane, & dum delicias sectamur à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum hominumq; naturam aquam non bibere, nec uesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera betarumq; succum non calice sorbere sed concha. Proh pudor non erubescimus huiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Hæc Hieronymus. Constat autem hoc uitium hodie inter diuites & spirituales potissimū esse receptissimum. Porro finem habeant ieiunia Christiana hunc, humiliet se ecclesia aut peccator coram domino, obediat & subiiciatur caro spiritui, minus obstrepāt caro operanti iustitiam, & sit orantis intentio et affectus ardentior erga Deum. Ieiunium enim de eorum est nume-

*Qualia  
sint ieiunia*

*Finis ieiuniorum.*

ro, quæ non per se sunt absoluta opera, sed ad aliud & propter alia instituta: ergo ieiunium est adminiculum quoddam orationis sanctorum & uirtutum omnium. Proinde legis in prophetis ieiunia sanctorum displicuisse domino. Nihil enim aliud quam ieiunabant, id est certo & stato tempore abstinebant à cibis consuetis, at à sceleribus interim non abstinebant, sed laxabant nihilo minus frena carni, cum reuera carni sua debuissent fomenta detrahere quo fuisset infirmior, spiritus autem in operandis bonis operibus robustior. Dicit itaq; dominus, Ego tale ieiunium nõ elegi: & quæ his subiiciuntur apud Isaiam in cap. 58. & apud Zachariam in cap. 7. & 8.

*Verum ieiunium.*

Certe apostolus Christi Paulus manifeste dicit, Esca nos nõ commendat Deo, neq; si comedamus aliquid nobis superest, neq; si nõ comedamus quicquam nobis deest. Non ergo ieiunat uere qui nihil aliud quam abstinet certo tempore à cibis certis, sed qui ideo abstinet ab omnibus fomentis carnis ut & carnem spiritui subiiciat & opera fidei charitatisq; Deo placencia perficiat. Proinde si cupis uere ieiunare, ede bibe dormi corpusq; cura ne insolescat, ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias uoluptatis epulas, nullo uino luxuriæ concalescas. Ieiuna à malis actibus, abstinere à malis sermonibus, contine te à cogitationibus pessimis. Nam & Basilius, Verum ieiunium est, inquit, à uitijs immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio obrectationis, mendacij, periurij, &c. Quemadmodũ uero ipsa bona opera ex fide facta regnum cœlorũ non merentur (debetur hæc gloria unico Christi merito) ita neq; ieiunium ad opera bona adminiculum & subsidium, regnum Dei meretur.

*De modo temporeq; ieiuniorum & delectu ciborum.*

Iam uero uideo anxie de tempore modoq; ieiuniorum atq; ciborum delectu disputari à plerisq; theologis nostri seculi. Sunt qui statuta ieiunia quadragesimæ, quatuor temporum & alia multa pro diuinitus institutis tueantur ieiunijs. Sunt qui nullo modo te ieiunasse aiunt, si edas carnem. Sunt qui certas designent ieiunio horas. Ego uero non uideo talia nobis tradi in scripturis diuinis. Nam dominus non ieiunauit in euangelio quadraginta diebus, sed in uniuersum ab omni cibo humano abstinuit sicut & Moses & Helias. Eo itaq; facto suo non tradidit nobis leges ieiuniorum. Præterea dominus in euangelio clare docet id quod per os ingreditur non poluere hominem, sed quod ex corde egeritur. Puris omnia pura sunt. Et Paulus, Noui & persuasum habeo per dominum Iesum nihil esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Item, Qui uescitur non uescentẽ ne despiciat: & qui non ue-

non uestitur, uestentem ne iudicet. Deus enim illum (nimirum uestentem) assumpsit. Iam etiam notissimus est eiusdem Pauli locus in 1. ad Timoth. 4. cap. ubi prohibitionem ciborum appellat doctrinam dæmoniorum. Nec est quod quisquam nobis hic quicquam dicat de Tacianis & Encratitis. Hi enim in uniuersum bonam Dei creaturam infamabant. Paulus autem de illis loquitur qui tametsi cibum & coniugium in uniuersum non dant, tamen usum ciborum prohibent.

Huc accedit quod seculo mox apostolorum prædicationem insequuto non legimus ullas de Ieiunio certas leges esse institutas, modo *Diuersitas ieiuniorum.* dum delectum ciborum & tempus præscribentes. Recitabo charitati uestræ, Irænei martyris uerba ex Ecclesiastica historia Eusebii, quæ ita habent, Non solum de die paschæ agitur contrauersia, sed & de ipsa specie ieiuniorum. Quidam enim putant uno tantum die obseruari debere ieiunium, alij duobus, alij uero pluribus, nonnulli etiam quadraginta, ita ut horas diurnas nocturnasque computantes diem statuunt. Quæ uarietas obseruantia non nunc primum neque nostris temporibus coepit, sed multo ante nos, ex illis (ut opinor) qui non simpliciter quod ab initio traditum est tenentes in alium morem uel per negligenciam uel per imperitiam postmodum decidere. Et tamen isti omnes licet in obseruationibus uariarent, fuerunt tamen nobiscum pacifici & sunt, nec dissonantia ieiunii fidei consonantiam rupit. Hæc ille. Porro illam ipsam diuersitatem fuisse adhuc in ecclesia regnante Theodosio iuniore circa annum domini circiter 453. testis est Socrates Constantinopolitanus in Tripart. histo. lib. 9. cap. 38. sic scribens, Sed etiam ciborum abstinentiam non similem habent. Nam alij omnino ab animarum abstinent: alij ex animantibus pisces solummodo comedunt. Quidam cum piscibus uestuntur & uolatilibus, dicentes hæc secundum Moysen ex aqua habere substantiam. Alij etiam caulibus & ouis abstinerere noscuntur. Quidam sicco tantummodo pane uestuntur. Alij neque hoc. Alij usque ad nonam ieiunantes horam, sine discretionem ciborum reficiuntur. Et innumeræ consuetudines apud diuersos reperiuntur. Atque idem ille Socrates suam super hac diuersitate sententiam adferens dicit, Et quia lectio nulla de hoc inuenitur antiqua, puto apostolos hoc singulorum reliquisse sententiam, ut unusquisque operetur non timore aut necessitate quod bonum est. Hæc Socrates. *Ieiunia sine libera.* Debent itaque ieiunia Christianorum esse libera non legibus irrenita, Apollonius quidam scriptor uerustus & ecclesiasticus disputans contra Montanum hæreticum, Hic est, inquit, qui docuit nuptias solui, & qui ieiuniorum leges primus imposuit. Author Eusebius Eccles. hist. lib. 5. cap. 18. Et certe uelle omnibus regionibus & hominibus eandem ieiuniorum

nij formam in tempore, modo, delectuq; ciborū præscribere, est deesse proflus. Nam pro ratione cœli diuersissime affecta sunt corpora hominum, & idem cibus diuersæ complexionis homines non a eadem incendit studia. Pijsimum ergo utilissimumq; fuerit ecclesiæ, si omnes pastores ubiq; doceant sobrietatem & temperantiã ipsūq; ieiunium uerum: leges autem de ciborum delectu & temporis, præscribant nullas, sed liberum cuilibet regioni & homini permittant, qui haud dubie ab illis maxime sibi temperabit, à quibus ipse sibi periculum suæ integritati imminere sentit, ac eo præsertim tempore quo maxime insolescit caro aut magnum imminet periculū. Nam tempus ieiunij non prorogatur ad annos uel dies certos, sed ad remissionem aut insolentiam carnis uel tentationum & affectuum. Ita sanè ieiunia, ut sunt exercitia pietatis, maximam habent laudem in ecclesia.

*Summa huius mandati septimi.*

Hæc haftenus de Ieiunio. Iam ut præceptum septimum concludam, prohibet hoc omnem intemperantiam, & præcipit sanctimoniam, deniq; singulorum membrorū totius corporis usum purum & legitimum. Vnde comprehenditur in hoc breui mandato bona pars doctrinæ Christianæ & apostolicæ. Paulus enim ad Theff. Rogamus uos, ait, & adhoriamur per dominum Iesum, quemadmodū accepistis à nobis quemadmodum oportet uos uersari & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quæ præcepta dederimus uobis per dominum nostrum Iesum. Hæc enim est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, & sciat unusquisq; uestrum suum uas (suum inquā corpus) possidere, cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodū gentes quæ nō nouerunt Deum. Vltor est Deus de omnibus his quemadmodum & ante diximus uobis & testati sumus. Non enim uocauit nos Deus immunditiæ causa sed ad sanctificationem. Et mox, Deus pacis sanctificet uos totos ut integer sit uester spiritus & anima & corpus, ita ut in nullo possitis culpari in aduentu domini nostri Iesu Christi.

Ierum constitutas cōcionis metas transui, ac solito longius uos detinui fratres. Condonate mihi hanc culpam. Neq; enim citra utilitatem (spero) uobis molestus fui per horas ferè duas integras. Orate iam & abite felices. Si dominus iuuerit & uoluerit, paucos post dies residua Decalogi adiiciam, Gratia domini Iesu Christi saluatoris nostri sit uobiscum.

Finis secundæ Decadis.

SERMONVM

E R R A T A.

Folio 4. b. lege 2488. pro 2487. Folio 5. a. lege contigisset pro contigissent. Folio 12. a. lege bonitate fretus pro bonitati fretus. Folio 20. a. lege omneq; bonum gratis promittitur, pro omneq; bonum promittitur. Folio 29. a. lege Indicium ideo appellantur pro iudicium &c. Et mox lege quod per illam notam ceu iudicium, pro quod per illam notam seu iudicium. Folio 94. b. lege uocabunt pro uocabit. Et b. ipforum pro ipsius, &c.

TIGVRI, APVD CHRISTO  
PHORVM FROSCHOVE  
RYM, M. D. XLIX.

REV. A. A. ...

... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..

CHRISTOPHER ...  
... ..  
... ..

1893 2769 3981